B



RELIGIOSA
PAVPERTAS
REFORMATA

RELIGIOSA PAVPERTAS REFORMATA

Ad mentem Sanctorum Patrum Institutorum, Summorum, Pont: Leun: Sacrorum Conciliorum, & pijssimi Imperatoris Iustiniani.

AVCTORE R. P. M.

F. FRANCISCO BORDONIO

Parmensi Tertij Ordinis Regularis Sancti Francisci.

Reuerendissimo P. M.

AGAPITO VGONIO

Nobili Brixiensi, Sac. Theol. Mag. Ordinis Pred.

Ac in toto Serenifs. D.D. Venetorum Domin. contra Hereticam Prauitatem

INQVISITORI VIGILANTISSIMO.

VENETIIS, Apud Heredes Storti. M.DC.LXIV

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

REVERENDISSIME PATER.

Timidè admodum hic præli mei labor adit excelsam dignitatem tuam, solicitumq; obsequij munus tibi sisto, Inquisitor Reuerendiss. Quot enim timoris occurrunt argumenta? Sacrum illud Tribunal, cui præsides doctorum hominũ fætus seuerè discutiens: præclara scientiarum decora, quæ in te cum morum grauitate conspirant; perspicacissima mentis acies, quam nulla scriptorum labes effugit, se se animo meo insinuant. Cumulum addit ipsa Paupertatis materies neq; enim tam exiguo, ac paupere munusculo amplitudinem tuam debuit tenuitas mea venerari. Non hæc tamen tanti mihi visa sunt, quo minus meis partibus satisfacerem, ac nomen dissoluerem, quo tibi teneor: optabiliusq; duxi obsequio in te meo, quàm timori parere. Cum præcipuè non desint, quæ deiectum erigant animum, nouaq; spe impleant humanitatis. Sanè si ad magistratum quem geris, cogitationem conuerto, qua lenitatis imagine non allicit? Virga quidem censoria mentis errores castigat; sed tamen mira excepit facilitate, reos ipsos ad bonam frugem reductos suauissimè amplectitur: imò cum maximè sæuit, non omnino exuit placidam clementiæ, amorisq; speciem, vt verius dixerim in sacro hoc Tribunali, quàm olim apud Athenienses, Furias Gratiarum aspergi lepore. Iam verò quæ tua est humanitas Deus immortalis? Non tibi auitæ nobilitatis fulgor non congesta virtutum ornamenta; non huiusce dignitatis apex cæterorum ingerit fastidium. Aquilam nimirum gentilitium familiæ tuæ stemma imitaris, quæ sublimi licèt volatu æthereos dimetiens tractus ad minutissima quæq; demittit obtutum: singulari adeò benignitate alienæ humilitati occurris in tàm excelso honoris, ac virtutũ culmine constitutus. Quid ergo? Operis argumentum me deterrebit, quò minus meæ in te consulam obseruantiæ? imò verò facit mihi animos ad audendum. Religiosa Paupertas quæ si vsquam alibi in religioso tuo sinu potissimum

tissimum

Ασφαλέστατον conquiescit. Suis praeterea arcanis diuitijs se tibi Paupertas commendabit, quas sincero rerum iudicio omnibus regũ gazis mortaliũ sapientissimi praetulerunt. Pretium quoq; adaet diues celeberrimi Auctoris ingenium, quod suis operib. hactenus publicae luci commissis thesauro nunquam aut detrimenta sensuro literariam Remp. locupletauit. Excipe igitur serena, qua soles fronte opus morale, cui munus ipsum, quo enites, virtutum, ac natalium decora, ipsum argumentum, Auctorisq; fama apud te fauoris viam aperit, meamq; tenuitatem hisce nominibus tibi probatam, in aere tuo serua. Vale.

Paternitatis tuae Reuerendis.

Humilis. & Addictis. Serui.

Heredes Francisci Stortis

NOI

NOI REFORMATORI DELLO Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel libro intitolato Religiosa Paupertas Reformata &c. non esserui cosa alcuna contro la Santa fede Catolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi concediamo licenza che possi esser stampato, osseruandosi gl'Ordini &c.

Data 13. Ottobre 1663.

Andrea Contarini Cau. Proc. Reffor.

Nicolò Sagredo Cau. Proc. Reffor.

Angiolo Nicolosi Segretario.

LICENTIA REVER.^mi P. GENERALIS.

F Annibal Piuzellus Romanus S. T. D. Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci de Pœnitentia Regularis Obseruantię generalis, & Seruus.

Opus inscriptum *Religiosa Paupertas Reformata* &c. R. P. Magistri F. Francisci Bordoni eiusdem nostri Ordinis Alumni, recognitum in ordine ad impressionem, vt in vtilitatem publicam exeat concedimus, quantum nostra interest. Datum Romæ die 23. Ianuarij 1663.

F. Annibal Piuzellus Generalis.

INDEX

INDEX

Capitum, & Quæstionum.

2 A Quo

2 A quo tempore hæc solemnitas introducta fuerit?
3 Quid importet in habilitas huius solemnitatis affixę voto Paupertatis?
4 An hęc inhabilitas sibi aquirendi, vel non retinendi, sibi ius, & dominium excludatur in aliquibus rebus?
5 An hęc inhabilitas se extendat ad operationes volũtatis, & intellectus?
6 An professus habeat velle, & nolle in sua potestate?
7 Quomodo religiosus dicatur mortuus mundo?
8 An sit incapax ad se obligandum non solũ ciuiliter, verũ etiã naturaliter?
9 An sit capax ad contrahendum?
10 An sit capax standi in iudicio?
11 An votum obedientiæ in se dicat aliquam solemnitatem?

CAPVT SEPTIMVM.

De Renunciationibus, quę fiunt ab ingredientibus religionem.

1 Quid sit renuntiatio?
2 An sit species donationis?
3 Quotuplex sit renuntiatio?
4 In dubio renuntiatio an sit realis, an personalis?
5 An sit stricti iuris, ac proinde stricte interpretanda?
6 An renuntiationes factę intuitu religionis ingrediendę sint late interpretandę?
7 Volẽs ingredi religionem, quem finẽ habeat in disponendo de suis bonis?
8 An valeat renuntiatio facta à nondũ ingresso, nõ seruata forma Tridẽtini
9 An nouitius valide renuntiet ante bimestre Tridentini?
10 An sit seruanda statutorum forma in renuntiationibus.
11 An reuocari possit ante professionẽ?
12 An saltem propter enormissimam lęsionem reuocari possit?
13 An ingrediens pręsumatur habere magis affectionem ad consanguineos, quam ad monasterium?
14 An valeat renũtiatio omniũ bonorũ, nihil sibi, nec monasterio reseruato.
15 Quęnam ex duabus renuntiationibus sit sustinenda?
16 An renuntians testari possit de fructibus percipiendis medio tempore?
17 An in causa renuntiationis præsumatur magis diligere extraneos, quam monasterium?
18 An renũtiatio requirat insinuationem.
19 Quomodo renuntiatio cognoscatur esse simplex, an donatio?
20 An conuentus possit repudiare bona nouitiorum?
21 In quibus contractibus sit seruanda forma Tridentini?
22 Quinam contractus fieri possint non seruata eadem forma?
23 Ad quem spectent fructus proprietatis renuntiatę?
24 An inualida professione, nulla quoq; sit renuntiatio? & quomodo ratificatur?
25 An nouitius possit contrahere cum conuentu forma inseruata?
26 An contraria consuetudine abrogari possit forma prælibata?
27 An sit necessaria licentia Episcopi ad renuntiandum? Et quis ueniat sub eius nomine?
28 Quomodo numerandum sit bimestre, intra quod renuntiandum est?
29 An dictum bimestre seruandum sit à minoribus, & maioribus?
30 An Militares nouitij seruare debeant hanc solemnitatem?
31 An ualeat renuntiatio facta ante bimestre à nouitio profitente in articulo mortis?
32 An renuntiatio nulla professione fiat rata, & ualida?
33 An conuentus possit capere bona nouitij ante professionem?
34 An conuentus debeat consentire in renuntiationem hereditatis uiuentis, vt suo tempore possit aquiri a renuntiatario?
35 An ualeat renuntiatio cum conditione hac: *si ingressus fuero religionem.*
36 An in renuntiatione hereditatis paternæ, seu maternæ comprehendatur legitima.

CAPVT OCTAVVM.

De Testamentis Nouitiorum, & Professorum.

CAPVT NONVM.

De dispositione bonorum inter parentes, & filios causa ingressus religionis.

2 An

2 An pater professione debeat dare legitimam filijs morte non expectata?

3 Quenam bona pater professione transferat in monasterium?

4 An pater debeat tradere legitimam filio dum profitetur?

5 An mortuo patre monasterium petat legitimam filij professi?

6 An pro moriente filio professo monasterium possit petere legitimam ab eius patre superstite?

7 An cum filio professo transeant libri à patre pro eo empti?

8 An filius professus faciat partem in legitima cum suis fratribus?

9 An preteritus à patre rumpat testamentum?

10 An superstes professus preferatur in bonis sorori excluse per statutum?

11 An pater possit instituere filium, qui bonis renuntiauerat?

12 An monasterium succedat in bona filij spurij?

13 An monasterium habeatur loco filij?

14 An filius spurius secum transferat iura materna in religionem?

15 An matri à filio debeatur legitima à puncto professionis?

CAPVT DECIMVM.

Quid Nouitius professione transferat in monasterium vigore Authenticæ ingressi?

1 QVo iure monasterium succedat in bona nouitij ex professione?

2 An secuta professione statim transeant sub dominium, & possessionem eius?

3 An per dominium, & possessionem dicant incorporata?

4 An ad hanc translationem bonorum requiratur insinuatio?

5 An requiratur auctoritas curatoris, & decretum iudicis?

6 An monasterium debeat facere inuentarium?

7 An bona nouitij debeat repudiare ante professionem?

8 An bona etiam futura, & in spe transferantur in monasterium?

9 An iura, & actiones?

10 An aquisita infra annum probationis transferantur?

11 An profitens causa mortis sua bona transferat?

12 An vsusfructus cum professo trāseat?

13 An legatum transeat?

14 An peculium filij familias transeat?

15 An maioratus, seu primogenitura?

16 An cum Principe, Duce &c. transeat Principatus &c.

17 An transeat feudum?

18 An emphiteusis?

19 An contractus liuellarius, precarius, & affictus?

20 An fidei commissum?

21 An bona prohibita alienari transeat?

22 An patrimonium clerici profitentis?

23 An beneficium transeat cum clerico.

24 An pensio transeat in monasterium cum professo.

25 An ius presētādi ad beneficiū trāseat.

26 An beneficiū iurispatronatus trāseat.

27 An doctoratus etiam legis transeat cum professo.

28 An priuilegium legitimandi transeat cum professo.

29 Executor testamentarius transit cum hoc munere.

30 An Canonicus transeat cum omnibus suis pertinentijs.

31 An incerta bona transeāt in monasterium.

32 An confessarius transeat cum sua facultate.

33 An dicta de nouitijs masculis locum habeant in monialibus.

34 An mulier habens ius presentandi illud secum portet in monasterium.

35 An vxor professione dotem secum portet.

36 An læsus in seculo secum transferat actionem iniuriarum.

37 An vis presentandi transeat cum professo ad secunda vota.

CAPVT VNDECIMVM.

An, & quomodo Monasterium succedat in bonis relictis suis professis?

1 AN monasterium succedat relictis ab intestato religiosis.

CAPVT DVODECIMVM.

Cuiusnam Conuentus sint bona transeuntium ad secunda vota?

CA-

CAPVT DECIMVM TERTIVM

An professus translatus ad Episcopatum, vel aliam dignitatem secum transferat aliquid, de monasterio, & cui deinceps aquirat, & de testamentis translatorum.

1 AN religiosus factus Episcopus secum deferat, quę ad vsum habebat in religione.
2 Cuinam aquirat religiosus factus Episcopus.
3 An repudiare possit hereditatem sibi delatam.
4 An aquirere possit, vel donare suis consanguineis.
5 Quid dicendum de Episcopo titulari.
6 An dicta de Episcopo locum habeant in Cardinali.
7 An possint testari auctoritate propria
8 An Papa dare possit illis licētiā testādi
9 Qualis debeat esse licentia testandi data illis.
10 An Papa possit concedere illis licentiam ad profanos vsus.
11 An possit reuocare licētiam illis datā.
12 An sufficiat licentia generalis.
13 An comprehendat codicillos.
14 An includat donationē causa mortis.
15 An licentia testandi limitetur ad primum actum.
16 An licentia debeat pręcedere factionem testamenti.
17 An morte Pontificis expiret licentia
18 De quibus bonis testari possit.
19 An licentia comprehendat testamentum substitutionis.
20 An recuperet ius pręsentandi, quod intulit in monasterium.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Religiosis translatis ad beneficia secularia, cuinam aquirant, & an testari possint.

1 AN aliquid ex ijs, quę professus intulit in monasterium, secum deferre possit ad ecclesiā sui beneficij
2 Cuinā aquirat religiosus beneficiarius
3 An religiosus translatus desinat esse religiosus.
4 An possit testari, vel saltem donare de fructibus sui beneficij.
5 An beneficium curatum qua vnitum monasterio sit regulare.
6 An beneficium seculare collatum religioso fiat regulare.
7 An Canonici Regulares Lateranenses cum sola licentia Generalis possint esse beneficiarij seculares.
8 An recuperet ius pręsentandi, quod intulit in religionem.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De bonis Fugitiuorum, Apostatarum, & Eiectorum à Religione quibus aquirantur

1 CVinam aquirat fugitiuus.
2 Cuinam aquirat Apostata.
3 An conuentus eius debita soluat.
4 Cuinam aquirant eiecti à religione.
5 An morientes intra claustra adhuc aquirant Camerę Apostolicę.
6 Cui aquirat eiectus transiens ad seruanda vota.
7 An reiectus eiectus aquirat monasterio ex suppositione non extantis Bullę Gregorianę.
8 An eiectus habeat proprietatem, vel solum vsum bonorum.
9 An is vsus sit liber etiam ad illicita
10 An meretrix, vel ludens, cum eiecto teneatur restituere receptum.
11 An eiectus testari possit.
12 An bona, quae in seculo habebat recuperet.
13 An aliquid secum de monasterio portare possit.
14 An eiectus grauiter egens subueniendus sit à monasterio.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

An professus possit recuperare bona, quibus alias renūciauit intuitu ingressus religionis

1 AN renuntians in forma āplissima redire possit ad bona renūtiata?
2 An redeat ad bona fraterna defuncti fratris non obstante renuntiatione paternorum.
3 An redire possit ad bona sibi relicta à patre, cui renuntiauerat.
4 An filius professus superuiuens omnibus descendentibus, & demum patri recuperet renuntiata.
An frater professus recuperet renuntiata

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De licentia necessaria ad euitandum proprietatis vitium.

CAPUT DECIMUM OCTAUUM.

De peculio Testamentorum, & Legatorum Religiosis relicto.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De contractibus, & negotiationibus; an liceant professis.

contrahere possint sine licentia?
8 De contractu vestiarij an liceat?
9 An inter superiorem, & subditum oriatur obligatio ciuilis.
10 An inire mutui contractum?
11 An facere contractum commodati?
12 An recipere pecunias ad cambium?
13 An recipiens mutuo pecunias superior conuentus obligetur.
14 An possit fide iubere?
15 An emere, vendere, & permutare?
16 An inire contractum conductionis?
17 An religiosi possint negotiari?
18 An liceat depositum fauore religiosi?
19 An liceat aliquid in depositū recipere
20 An monasterium teneatur ex delicto, vel contractu superioris, aut subditi?
21 An liceat contractus ludi?
22 An lucrans in ludo religiosorum teneatur restituere?

CAPVT VIGESIMVM.

De Donatione, & largitione Munerum.

1 QVis possit donare, & largiri munera?
2 Quid donandum prohibeatur in Bulla Clementis VIII.
3 An dentur aliqui casus, in quibus non prohibeatur largitio munerum?
4 Quibusnam religiosis prohibeatur largitio munerum.
5 Quænam personæ prohibeantur recipere munera?
6 An sit reus Bullę dicens Amico, dona meo parenti, quod mihi uis dare?
7 An mutuans, locans, vendens &c. vili pretio sit reus Bullę?
8 Quanti valoris sint munera prohibita
9 Qualis debeat esse licētia ad donādū?
10 Ex quibusnam causis liceat largitio munerum?
11 Quasnam pœnas incurrant religiosi Bullæ rei?
12 An seculares munera recipientes teneantur restituere.
13 An Bulla Clementis fuerit recepta?
14 A iure communi prohibeantur largitiones munerum.
15 An inter religiosos, & cum extraneis prohibeantur donationes?
16 An saltem de licentia superioris donare possint?
17 An religiosus possit facere eleemosinā.
18 Quāti valoris possit esse res donabilis.
19 An sine licentia licitè acceptet distributionem eleemosinarum?
20 An sine licentia possit donare suam pitantiam?

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

An consuetudo possit aliquid in voto Paupertatis.

1 AN consuetudo possit abrogare votum Paupertatis, & eius stricta obseruantia.
2 An induci possit per eam, vt professus possideat peculium irreuocabiliter?
3 An inducere possit vsum superfluorū
4 An induci possit, ne ludens faciat contra votum Paupertatis?
5 An inducat, vt soluatur merces meretrici.
6 An induci, quod sufficiat licentia pręsumpta?
7 An valeat consuetudo dandi vestiarium in pecunia?
8 An reprobetur iure communi consuetudo pręiudicās voto Paupertatis
9 An induci possit contra expressam superioris voluntatem?
10 An quilibet conuentus inducere possit consuetudinem.
11 An introductores vti possint consuetudine immunè post decennium.
12 An nouitij teneantur profiteri Regulam reformatam.
13 An debeant habere intentionem expressam profitendi mitigatam.
14 An professi mitigatam cogi possint obseruare reformatam.
15 An consuetudo possit abrogare ordinationes, & precepta.
16 An consuetudo possit habilitare Minores ad possidendum in communi.
17 An superior negligens in se, & in alijs reformationem peccet.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De peccato contra votum Paupertatis, & de vitio proprietatis.

1 QVale peccatū sit vitium proprietatis contra votū Paupertatis.
2 An vnoci possit in proprietario vna ma-

malitia fine altera.
3 An detur paruitas materię.
4 Quanti valoris sit proprium inducens peccatum mortale.
5 An ex tempore mensuretur quantitas peccati.
6 An ex tribus actibus Acceptionis, Retentionis, & Dispositionis arguantur tria peccata.
7 An peccatum proprietatis sit contra iustitiam.
8 An quis peccet contra votum & non sit proprietarius.
9 An desiderium habendi sit vitium proprietatis.
10 An Prouincialis recipiens multitudinem nouitiorum vltra numerum faciat contra votum Paupertatis.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De penis contra Proprietarios.

1 AN sint aliquæ penæ contra proprietarios.
2 Quid requiratur, vt proprietarius sit reus carentię sepulturæ.
3 Quanti valoris debeat esse peculium inuentum apud infirmum.
4 An iudex debeat iuridice procedere in priuando sepultura proprietarii.
5 An post mortem inuentus cum peculio huius penæ sit reus.
6 An tota pecunia cum proprietario sit sepelienda.
7 An extra sterquilinium possit sepeliri in alio loco profano.
8 An proprietarius occultus sit reus huius pęnę.
9 An in illis capitulis exprimatur aliqua alia pęna.
10 Quid statuat Tridentinum contra proprietarios.
11 An pęna Tridentini requirat sententiam iudicis.
12 An proprietarius sit excõmunicatus.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

De Restitutione facienda à Religiosis, & ab aliis bonorum monasterii.

1 AN religiosus professus teneatur soluere debita facta ãte professionẽ.
2 An ex bonis post professionem quæsitis, si integræ non satisfecerat.
3 An soluenda sint debita contracta post professionem.
4 An restituere mutuum acceptum.
5 An superior mutuũ receptũ reddere.
6 An laborare, vt soluat debita.
7 An superior debeat dare illi licentiam laborandi.
8 An furãs extraneis teneatur restituere
9 An furans res communitatis, vel ad vsum alterius religiosi teneatur.
10 an ratione ludi sit restituendum.
11 An datum meretrici sit restituendum.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Quomodo Proprietas, & Furtum sint Casus reseruati inter religiosos.

1 QVomodo inter se differant casus isti.
2 Quanti valoris debeat esse res furata, vt sit casus reseruatus.
3 An furtum rei destinatę particulari sit reseruatum?
4 An furtula simul spectata sint casus reseruati.
5 An ablatio Reliquiarum sit casus reseruatus sub furto.
6 An furtum literarum cadat sub reseruationem furti.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

De Reformatione voti Paupertatis.

1 QVid sit reformatio religionum.
2 an eadem sit Regula reformata, & collapsa.
3 Ex quibusnã trãsgressionibus relaxetur
4 An idem ordo relaxatus, & reformatus.
5 Ex quibusnam causis relaxetur obseruantia regularis.
6 An reformatio religionum sit facilis.
7 Ad quos spectat refotmare religionem.
8 An religiosi teneantur acceptare, & obseruare reformationem.
9 An recusantes reformationem sint in statu peccati mortalis.
10 ã ordo eleuatus ĩ religionẽ, vel ã voto simplici ad solemne dicatur reformatus.
11 An reformatio extendi possit supra Regulam.
12 An religio dicatur relaxata, & professi non viuere relaxate.

CAP.

CAP. PRIMVM.

De Paupertate Religiosa, & Proprietate illi contraria.

1 *Paupertas dicitur parum portio.*
2 *Salomon paupertatem, & diuitias non petijt à Deo, sed victum.*
3 *Victus sub nomine venit etiam vestitus.*
4 *Paupertas alia inuoluntaria, alia voluntaria.*
5 *Pauper quis dicitur quo ad vitam, & statum, vel quo ad statum tantum.*
6 *Paupertas definitur.*
7 *Est virtus Religiosa.*
8 *Est voluntaria abdicatio proprij.*
9 *Proprium est obiectum paupertatis.*
10 *Priuat rebus, iuribus, & actionibus.*
11 *Nouitius non dicitur reus voti paupertatis.*
12 *Proprium id omne dicitur, quod est pretio æstimabile.*
13 Si vis perfectus esse vade, & vende. *Refertur ad nouitium.*
14 *Votum paupertatis essentiale statui religioso.*
14 *Voto prohibetur habere, sed etiam voluntas habendi.*
16 *Votum hoc importat abdicationem rerum, iurium, & actionum habitarum, & habendarum.*
17 *His succedit Monasterium, si sit capax, & non disposuit.*
18 *Inhabilitatur ad agendum, & habendum ex solemnitate voti.*
19 *Acquirit professus suo monasterio.*
20 *Comparatur seruo acquirenti suo domino.*
21 *Paupertas est virtus temperantiæ, & religionis.*
22 *Præceptum est negatiuum paupertatis votum.*
23 *Præceptum negatiuum semper, & pro semper obligat.*
24 *Proprietas opposita paupertati definitur.*
25 *Contrectatio importat recipere, retinere, dare, & consumare.*
26 *Vsurpare quid significet.*
27 *Quatuor sunt actus proprietatis accipere, retinere, dare, & consumare.*
28 *Proprietarius semper est sacrilegus, & intemperans.*

TRactaturus de Paupertate Religiosa, quæ est abdicatio dominij, & proprietatis rerum omnium pretio æstimabilium, quæ habet nouitius tempore professionis, oportet singula, quæ ad hanc materiam spectant, ordinare speculari per distinctas quæstiones infra proponendas pro singulis capitibus.

Quæres igitur primo etimologiam huius nominis Paupertas?

1 Resp. Paupertas dicitur parua pars, seu parua portio respectiuè ad diuitias, quæ dicuntur esse magnæ facultates, & pingues. Dicitur in singulari, quia vnica pars sufficit ad constituendum quem pauperem, ad faciendum vero hominem diuitem pares requiruntur portiones, ideo diuitiæ dicuntur in plurali. Et de his duobus tamquam oppositis locutus fuit Salomon, dum à Deo petijt victum sibi necessarium ad sustentationem vitæ illis seclusis. Prou. 30. 8. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed victui meo tribue tantum necessaria.* Breuiarium vero in Fe. vi. Dominicæ primæ Augusti sic legit: *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi.* Illas honorauit propter earum commodum, dum huic præposuit, quæ nihil boni conferre potest homini, nisi miseriam. Duo sunt extrema, Paupertas, & Diuitiæ, ideo tamquam vitiosa abutentibus neutrum Salomon nolebat, Deus tamen respiciendo ad eius prudentiam illum diuitijs, & honoribus illustrauit, & locupletauit. Sed cur mentionem fecit de solo victu, non exprimendo etiam vestitum, quod etiam necessarium est homini ad tegendum corpus ob iniuriam frigoris, & pluuiæ, atq; propter honestatem personæ? Id non fuit necessarium, quia cum esset omnium sapientissimus, sciebat sub vocabulo *victus*

ve stre

3 venire etiam *vestitum*,l.verbo victus 43.ff.de verb.sign.illis verbis:*Vestem quoq; victus habere vicem Labeo ait*.

Quæres 2. Quotuplex sit Paupertas?

4 Resp. Duplex est, inuoluntaria,seu necessitatis ;& voluntaria , seu monachalis,& religiosa . Illa est indigentia rerum,quæ necessariæ sunt ad sustentandam

5 vitam,& statum personæ . Refertur ergo ad duo,ad vitam, & statum personæ , vnde quis potest esse pauper quo ad statum, non quo ad vitam, qualis est ille , qui non potest se manutenere,& viuere secundum gradum, & conditionem sui status , habendo seruos,currus &c. Sed cum hoc genus paupertatis , quod est magna miseria , ab omnibus abhorreatur,& non faciat ad præsentem tractationem,ab ea & nos recedamus, conuertendo calamum ad religiosam , quam sequi debemus .

Quæres 3. Quid sit Paupertas religiosa ?

6 Resp. Est virtus religiosa inclinans nouitium ad voluntariam abdicationem proprij,quam facere debet in sua professione,priuando se omnibus rebus,iuribus,& actionibus præsentibus,& futuris , quod obseruare debet post professionem dependenter á voluntate sui superioris . Hanc definitionem pluribus explicaui in tract.de Profess.regul.cap.24. editionis Venetæ .

7 Dixi 1.quod est virtus religiosa,nam inclinat nouitium,& disponit ad actum bonum,& honestum,quod est renunciare bonis, vt Deo expeditius seruire possit in religione . Est autem hæc virtus religiosa,quia ex voto sibi adiuncto facit hominem religiosum ad seruiendum Deo .

8 Dixi 2. quod abdicatio proprij debet esse voluntaria , quia cum id ex voto fiat,spontanea debet esse, cum libertas sit de ratione voti,actus enim inuoluntarius nec rationem voti habet,nec virtutis dicitur effectus .

9 Dixi 3. quod hæc abdicatio habet pro obiecto proprium,& id colligitur ex Sanctis Patribus,qui vsi sunt hoc vocabulo.S. August. relatus cap.Non dicatis 11.12.q.1.*Non dicatis aliquid proprium*;& in præcedenti cap. *Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium*.S.Hieron.relatus cap. Duo sunt 7.12.q.1. *Illi enim victu,& vestitu contenti , nullam inter se proprietatem habentes , debent habere omnia communia*.Vrbanus Papa relatus ibid.cap.Scimus 9. inquit : *Quicunq; vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit, se nihil proprium habere,videat,ne pollicitationem suam irritam faciat*.S.Benedictus cap.33.Regulæ: *Neque aliquid habere proprium*.S.Franciscus initio suæ Regulæ . *Viuendo in obedientia sine proprio*.Cap.4.*Fratres nihil sibi approprient*. Demum in cap. Cum ad monasterium 7.de statu monach.definitur , quod votum paupertatis est abdicatio proprietatis.Religiosus ergo profitendo ex vi huius voti renuntiat omni proprio,quod habet,vel habere potest in futurum .

10 Dixi 4. priuando se rebus, iuribus & actionibus præsentibus, & futuris, nam vocabulum proprij importat illa tria , de quibus dicam latius in sequenti capite .

11 Dixi 5. in professione regulari,quia nouitius infra annum probationis non tenetur ad hanc abdicationem,quia ad eam nondum se obligauit, sed remanet sui iuris , vsq; ad punctum professionis, vnde nunquam infra illud tempus dici potest proprietarius,nec voti huius transgressor,cum nondum ad illud se obligauerit .

Quæres 4. An hoc proprium , cui professus renuntiat , sit solum om-

ne id , quod est prætio æstimabile ?

12 Resp. Affirmatiuè , nam huiusmodi bonum præ cæteris hominem abstrahit à seruitio Dei, ideo religiosi, qui præ alijs intendunt se mancipari diuinis obsequijs, debent per huiusmodi votum abdicationis cuiuscunq; rei temporalis , & corporalis pretio æstimabilis remouere omne impedimentum , & affectum ab his terrenis . Et id probatur ex verbis Domini Matth.19. 21. dicentis de voto

13 paupertatis: *Si vis perfectus esse* idest si vis fieri religiosus , *Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus*, scilicet eius pretium, quod est pecunia ex re vendita ad se retracta; *& habebis thesaurum in cælo*, non pecunia æstimabilem, sed per bona opera meritoria vitæ æternæ , illum consequeris, sine alio pretio , & ideo Christus subiungit desideranti illum: *Et sequere me*, scilicet per imitationem, obseruando diuina mandata, & quæ in tua professione Deo spopondisti . Nouitius ergo profitendo per votum paupertatis priuat se bonis præsentibus , quæ habet, sed etiam iure deinceps habendi. De hoc proprio pretio æstimabili omnes Doctores *cum S.Thoma 2.2.q.186.art.7.Scoto in 4.dist.15.q.2.num.11*. Operum eiusdem à P.Luca Vadingo religioso peritissimo impressorum Lugduni tom.9. *Ibidem Faber disp.45.de Restit. Rodriq. tom.3.q.29. art.4.cum suo Compend. resol. 110.num.2.Miranda tom.1.q.28.art.1.Nauar.tom.2.de Regul. num.2. Sanch. lib. 7.cap.18.num.25. Cardin. de Lugo disp.3. de Iust. num.12. Palaus par.3. disp.3. de obligat.relig.p.2.num.2.* Nouissime ex nostris P.Antonius Cotonius Metaphysicus Patauinus *lib.4.contr.6.cap.1.q.1.Ego cap.24.de profess.regul.num.12. editionis Venetæ*.

Quæres 5. An hoc votum paupertatis sit essentiale statui religioso ?

14 Resp. Affirmatiuè, cum alijs duobus obedientiæ, nimirum , & Castitatis, ita quod si vnum eorum reijciatur à vouente nulla sit professio, & sic nouitius non dicitur transisse ad hunc statum , qui copulatiuè requirit omnium, & singulorum illorum professionem sub vinculo voti , quia qui intendit acquirere hunc statum debet omnino se obligare perpetuo ad permanendum , cum sit status immobilis. Tria ergo vota huiusmodi sunt de substantia, & essentia status monachalis. Ita Canon. *in cap. cum ad monasterium 6. de statu mon.* Theologi *cum D. Thoma 2.2.q.186.art.7.Scoto in 4.dist.38.Sanch.lib.5.cap.1.num.16. Rodriq. tom. 3.q.38.art.1.cum suo Compend.resol.123.num.1.Portell. v.Religiosus n.1.*

Quæres 6. An hoc voto prohibeatur non solum actus externus habendi , & contrectandi proprium , sed etiam internus , nempe voluntas habendi proprium ?

15 Resp. Prohibetur vterq; actus , ac proinde non solum contrectatio proprij contra voluntatem superioris, sed etiam voluntas contrectandi , scilicet recipiendi, dandi &c. Quia quando prohibetur aliquid , interdicitur etiam omne illud, quo peruenitur ad prohibitum, ex vulgatis iurib. sed per voluntatem peruenitur ad actum externum, ergo & actus internus censetur interdictus. Ita docent Sancti Patres, Gregorius relatus lect.vlt. S.Andreæ Apostoli, ibi : *Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quandoq; vterque etiam desideria habendi dereliquit.* Intellige per votum paupertatis, quod in manibus Christi nuncuparunt . S.Hieron. relatus cap.2. 17. q.1. *Vouentibus virginitatem non solum nubere , sed etiam velle damnabile est.* Sub voto igitur non solum cadit actus externus , sed etiam voluntas transgrediendi Deo promissum , vt docui cap.24. quæst.31. de profess.

Quæ-

Quæres 7. Quid importet abdicatio proprij in voto paupertatis..

16 Resp. Renunciationem rerum,iurium,& actionum,quę nouitius habet tempore professionis, & quæ deinceps posset habere, si non professasset, nam sub nomine proprij veniunt illa tria tam præsentia,quam futura, consequens enim est,vt qui se sponte spoliat habitis,priuet etiam seipsum iure aquirendi in futurum,ne fiat proprietarius.

Quæres 8. Cum professione nouitius se dictis bonis priuet, quis illorum fit dominus?

17 Resp. Si ante professionem de illis non disposuit, ea aquiruntur religioni, & monasterio ipso,quo nouitius profitetur,vnde illorum fit dominus,& proprietarius, supposito,quod sit capax bonorũ,aliter emissa professione sine vlla dispositione, fiunt eorum, qui successissent nouitio ab intestato, de qua re latiùs infra suo loco,colligitur ex Auth.Ingressi,de qua infra dicam.

Quæres 9. An nouitius profitendo per hoc votum paupertatis fiat incapax aquirendi sibi,itaut non solum illicitè,sed etiam inualide aquirat, contrahat, & negotietur nomine proprio?

18 Resp. Fit inhabilis non ex natura ipsius voti, quia nemo potest seipsum reddere inhabilem ad id,quod facere potest viribus naturæ, sed talis efficitur ex constitutione Ecclesiæ solemnizantis hoc votum,ex cap. vn. de voto in 6. Itaq; votum paupertatis non quatenus tale, sed qua solemne inhabilitat professum ad aquirendum sibi,ad se obligandum,ad contrahendum &c. Ita Canon. *in dictum caput,Nauar.tom.*1*.de Regul.num.*18*.§. Vigesimum tertium, Lessius lib.*2*.c.* 40*.num.*141*.§.Ex his aperte,Palaus par.*3*. tract.*16*. disp.*3*. p.*2*. num.*2*. Miranda tom.*1*.q.*28*.art.*1 *fine,Sanchez lib.*3*.cap.*1*. num.*6. & cæteri omnes nullo discrepante,de qua re infra latius in proprio capite.

Quæres 10. Cuinam aquirat professus, dum sibi aquirere non potest?

19 Resp. Aquirit suo monasterio,vnde extat illud axioma: *Quicquid aquirit monachus,suo monasterio aquirit*, Ratio enim dictat, vt sicut ab eo recipit alimenta, ita consentaneum est, vt illi aquirat,& in hoc bene comparatur seruo, qui

20 non sibi,sed domino suo aquirit. *Instit.De ijs,qui sui,vel alien.§. In potestate*. Et dum ex dispositione Auth. Ingressi, profitendo seipsum, & omnia sua dedicat monasterio suæ professionis, consequenter quoq; confert ius aquirendi eidem monasterio:Ita *Glos.v.Ecclesiarum Clem.*2*.de hæret.Nauar.tom.*1*.de Regul.num.* 3*.Rodr.tom.*2*.q.*29*.art.*5*.Sanch.lib.*7*.cap.*12*.num.*4*.de Lugo disp.*3*.de iustit. num.* 189*.Lessius lib.*2*.cap.*41*. dub.*11. Nemo contradicit.

Quæres 11. Sub quanam virtute morali sit paupertas religiosa?

21 Resp. Est sub duabus virtutibus,nimirum, temperantiæ, & religionis,Temperantiæ virtus est, in quantum moderatiua est concupiscibilis, ne religiosus appetat,nisi moderatè ea,quæ sibi necessaria sunt ad victum, & vestitum, quibusq; modestè,& modicè vtatur pro loco, & tempore, & ideo abdicat à se diuitias,quibus moderatè viuere non posset. *Ex D. Thoma* 2.2. *q.*141. *art.*6. dum dicit temperantiam esse circa res necessarias, & vtiles, vt his homo moderatè vtatur; sed paupertas religiosa est circa res necessarias, & vtiles cum abdicatione inutilium, & superfluorum,ergo est virtus de genere temperantiæ,*Scotus in* 3*.dist.*34*.q.vn.num.*15*.part.*2*. tomi* 7. vbi ait, quod temperantia est moderatiua boni delectabilis, quod sunt diuitiæ,certum autem est, quod paupertas religiosa eas moderatur,dum importat earum abdicationem, ergo continetur

sub

sub genere temperantiæ. Prout autem habet adiunctum votum pertinet ad virtutem religionis, nouitius enim profitendo maximum Deo exhibet cultum, & honorem recognoscendo in suum supremum dominum, offerendo se totum illi in holocaustum odoris, & sanctitatis.

Quæres 12. An præceptum seruandi votum paupertatis sit affirmatiuum, an negatiuum?

22 Resp. Est negatiuum, non affirmatiuum, vt colligitur ex definitione vtriusq; nam affirmatiuum obligat ad faciendum, negatiuum vero ad non faciendum, vnde peccatum commissionis opponitur negatiuo præcepto, omissionis vero præcepto affirmatiuo, & in hoc conueniunt omnes Theologi *cum D. Thoma 1. 2.q.72.art.6.Scoto in 2.dist.28.vers.Contra si Deus*, vbi ait, quod negatiuum obli-

23 gat semper, & pro semper, affirmatiuum vero pro aliquando obligat; sed præceptum de voto paupertatis obligat ad non aquirendum, & ad priuandum se aquisitis, ergo est negatiuum, dum à se negat proprium, quod habet, & quod alias habere potuisset, si non profecisset, debet ergo nouitius relinquere habita, & ius habendi in futurum post professionem, quod illorum omissionem, & carentiam importat.

Quæres 13. Quid sit proprietas opposita voto paupertatis?

24 Resp. Est contrectatio, seu vsurpatio rei alienæ contra voluntatem domini ipsius rei, & contra voluntatem superioris sui.

25 Nomine contrectationis venit quilibet actus accipiendi, retinendi, dandi, & consumandi, omnes autem actus proprietatis videntur reducibiles ad vnum exiftis, vt patet discurrenti per omnes actus, qui possunt violare votum paupertatis, ergo quouis ex illis vtatur professus dicitur contrectare, & vsurpare alienum, dum non potest illud vsurpatum esse illius proprium, quod agendo contra voluntatem domini, & superioris. Vsurpare autem pro eodem, quod est

26 contrectare, accipitur, nam vsurpare quis dicitur, cum sibi vindicat, quod ad ipsum non pertinet, *Glos. v. Extraordinario, cap. Multi* 18.2.q.1. Est sibi attribuere ius, quod quis non habet, *Glos. v. Vsurpare, cap. Ex literis 2. de cler. non ordin. cap. In quibusdam* 12.*de pœnit. cap. Imperium* 5. *dist.* 10. Vsurpare est agere sine licentia, sine necessitate, *ex cap. Illud* 22. *dist.* 93. *cap. Non habenti* 50. 12. *quæst.* 1. Igitur vsurpare est vti re aliena sine licentia, sine necessitate; tales autem sunt proprietarij in transgressione voti paupertatis, dum sine licentia recipiunt, retinent, alienant, vel consumant.

27 Colliguntur ex dictis quatuor genera actuum proprietatis ad quæ cæteri in specie reducuntur, qui sunt Accipere, Retinere, Dare, & Consumare; nam sub primo, & tertio comprehenduntur omnes contractus, in quibus vnum accipitur, & aliud datur item sub accipere, & dare continentur actus liberales, vt elemosinæ, munera, & similia, quæ accipiuntur ab extraneis, vel quæ dantur eisdem per professos. Sub retinere comprehenduntur accepta à religiosis quatenus ab eis possidentur post receptionem. Demum sub Consumatione continentur comestibilia, esculenta, & poculenta, atq; proiecta. Præfatos actus ferè insinuantur à Sanctis Institutoribus in suis Regulis, D. August. relatus in cap. Non dicatis 11. 12.q.1. *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia.* Deest actus Consumationis, & proiectionis, qui subintelligitur.

Quæres 14. An vitium proprietatis habeat coniunctam duplicem malitiam

tiam in professo transgressore voti paupertatis?

28 Resp. Vitium proprietatis semper habere coniunctam malitiam sacrilegij, opponitur enim virtuti religiosæ paupertatis, quæ est species virtutis religionis, vt dixi q. 11. & virtuti temperantiæ, quæ dictat moderatè vtendum esse bonis temporalibus, vt ibidem dixi. Ferè semper & vt plurimum habet etiam coniunctam furti malitiam, dum proprietas est vsurpatio rei alienæ inuito domino, ac proinde proprietarius dicitur peccare contra iustitiam, vt mox patebit in sequenti quæstione.

Quæres 15. An religiosus proprietarius sit etiam simul fur ex eodem actu?

29 Resp. Professus voti paupertatis transgressor ex eodem actu vtrumque committit peccatum proprietatis, scilicet, sacrilegij, & furti. Ratio est manifesta, &
30 quidem respectu furti, quia contrectat alienum inuito domino. Quo nomine *domini* venit tam sæcularis, à quo res aufertur, quam monasterium ipsum aquirens immediatè dominium, & proprietatem illarum rerum, quæ non solum directè dantur communitati, sed etiam particulari religioso, qui non sibi, sed monasterio capaci acquirit, ex dictis q. 10. Quare licet non dicatur fur respectu sæcularis dantis, quia rem accipit domino consentiente, fur tamen est respectu monasterij, quod illius rei factus est dominus ex ipsa datione, cum igitur monasterium, præscindendo à licentia superioris, sit inuitum, sic recipiens, sine animo consignandi receptum superiori, est fur, quia rem sibi vsurpauit inuito domino. De vitio sacrilegij non est dubitandum, quia rem contrectat contra voluntatem superioris, à quo dependere debet in obseruatione huius voti. *Sanch. lib. 7. cap. 20. num. 7. vbi citat Cordub. q. 109. P. Nauar. lib. 3. de Restit. cap. 4. p. 3. dub. 3. num. 182. Sayrum lib. 9. cap. 16. num. 11. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 80.*
31 *cum illis Palaus disp. 3. de obligat. relig. p. 20. num. 4.* Fur ergo proprietarius non solum recipiens inuito domino sæculari, aut monasterio, sed etiam inuito Fratre, cui res concessa fuit ad proprium commodum, quia furtum committitur surripiendo non solum res de communitate, sed etiam res assignatas singularibus religiosis, vt declarauit Clemens VIII. in eo casu: *Furtum de rebus monasterij*, ex Sorbo *Longus Capuc. super dictum casum num. 13. Graff. de casib. reseruat. lib. 3. cap. 7. num. 34. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 11. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 2. num. 51.* Asserentes esse furtum auferre non solum a communitate, sed etiam à particulari religioso. In prædictis omnes conueniunt, quod non solum sit proprietarius accipiens contra voluntatem superioris, sed etiam fur, auferendo inuito domino, in casu tamen, quod rem auferat alienam, & conuertat in proprium commodum, & vtilitatem, defectu tamen huius dubitant nonnulli, pro cuius resolutione.

Quæres 16. An surripiens alienum inuito domino, & superiore, illud tamen non conuertens in proprium commodum, sed pro monasterio, aut extraneo furetur, aut rem ablatam consumendo, aut segetes comburendo, an inquam sit simul fur, & proprietarius?

32 Resp. Affirmatiuè, licet re ipsa non vtatur, nec pro se retineat, nam quoad furtum res est clara, quia alienum accepit inuito domino; est quoque proprietarius, quia alienum contrectauit contra voluntatem superioris. Confirmatur, quia ipsemet actus acceptionis, & consumationis, seu dispersionis, & damnificationis arguunt proprietatem, dum fiunt nomine proprio, hoc ipso, quod non fiunt nomine superioris, dum sunt contra illius voluntatem. Ita supracitati

ti *cum Palao disp.3. de obligat. relig. p. 20. num. 4.*

Contra Sanchez *lib.7.cap.20.num.10.& Suarez tom.3. de Relig. lib.8. cap. 11. num.15.* Afferentes, esse peccatum solius furti, vt quando aliquid furatur non sibi retinendum, similiter si rem alienam non sibi vsurpet, sed perdat, erit furtum, non proprietas, cum nihil sibi vsurpet, aut habita licentia ad furandum, tunc quidem fur est, sed non proprietarius.

33 Resp. In hac obiectione duo casus implicantur. Ponderemus illum, quo superior dat licentiam subdito furandi, nam reuera iste fur est, non verò proprietarius, quia licentia superioris, quamuis illicita sit respectu furti, immo & inualida, quia ille superior nullam habet potestatem super aliena re, & ideo cum peccet contra iustitiam, non excusatur à peccato, nec ab obligatione restituendi, est tamen valida, & forsan licita, dum furans, excusatur à vitio proprietatis, sola enim licentia, quæcumq; illa sit excusat à vitio proprietatis, cum id sit in potestate superioris eximere subditum à peccato proprietatis, non solum per licentiam specialem, sed etiam generalem, vt de hac re latius dicam infra cap.

34 17.q.5.& seq. Si verò consideremus alterum casum, quo furatur alienum sine licentia, dico, illum esse proprietarium, nam ab illis adducta ratio, quod fur nihil sibi vsurpat, nec retinet, dum pro alijs furatur, aut disperdit sine aliqua sui vtilitate. Nam furari pro alijs, & distrahere adhuc sunt actus proprietatis, siquidem vsurpare non tantum refertur ad proprium, quam aliorum commodum, qui enim accipit prius dicitur sibi appropriare, & deinde alteri tradendo rem a se alienat, qui sunt duo proprietatis actus. Disperdere quoq; & consumare arguit actum dominij in dispergente.

Quæres 17. In quonam casu diuidatur vitium proprietatis à vitio furti, itaut professus dicatur proprietarius, & non fur, vel fur tantum, & non proprietarius? Ratio dubitandi sit, quia secundum Sanchez, vt dixi, dari potest religiosus fur, & non proprietarius, vt si furetur pro monasterio, seu extraneo, tunc est fur non proprietarius, quia sibi nihil appropriat, nec vsurpat; similiter si accedat licentia furandi, fur est, non proprietarius, quia alienum contrectat non suo nomine, sed nomine superioris, qui dedit licentiam; & tamen hanc opinionem reiecisti cum Palao, ergo proprietas semper coniuncta est cum furto; quod

35 tamen videtur falsum, cum ex enumeratione casuum reseruandorum per superiores regulares ad formam præscriptum à Clem. VIII. distinguantur casus Proprietatis, & Furti, ergo vnum dari potest vitium sine alio.

36 Resp. Duos casus assigno, in quibus religiosus potest esse proprietarius, & non fur. Primus sit in recipiente aliquid a sæculari donatore, eo pacto, vt nullo modo aquiratur monasterio, iste religiosus proprietarius quidem est, quia nomine proprio, & sine licentia accipit sui superioris non tamen fur, quia habet de licentia domini. Secundus est in recipiente annuum liuellum ab amico, nam is religiosus si sit Capucinus, vel de Obseruantia, fit non fur, quia habet a domino, sed tantum proprietarius, quia aquirit sibi, non monasterio incapaci, etiamsi interueniat licentia superioris, quam nulliter dat, ac proinde a peccato non excusatur, iuxta superius dicta. Ita *omnes citati in q.15. etiam Sanch. lib.7. cap.20.num.8* Et ex his patet ad rationes dubitandi.

Quæres 18. An recipiens contra voluntatem superioris, & acceptum retinens, vel distrahens sine illius licentia dupliciter peccet, & ratione acceptionis, & ratione retentionis, vel distinctionis?

37 Resp.

37 Resp. Affirmatiue, quia sunt plures actus inter se diuersi, singuli sufficientes ad constituendam propriam malitiam iuxta conditionem singulorum, nam professus non solum prohibetur recipere, sed etiam retinere, & possidere, immo & distrahere, quia res accepta iam erat aquisita monasterio, vnde sine licentia superioris non poterat possideri, nec distrahi sine vitio proprietatis, & furti. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 20. num. 9.*

Quæres 19. An detur paruitas materiæ in vitio proprietatis, vt non sit peccatum mortale. Negarunt non nulli *cum Gersone, Antonino, Pasarello, & Vialdo apud Sanch. lib. 7. cap. 20. num. 1. de Lugo disp. 3. de iust. num. 170.* qui. res, quæ accipitur, quantumuis parua, & modici detrimenti in ordine ad iustitiam, est tamen magni præiudicij in ordine ad regularem obseruantiam, quæ relaxatur irreparabiliter, vt experientia docet.

78 Resp. Datur paruitas materiæ in transgressione voti paupertatis, probatur quia ea datur in furto, & in sacrilegio voti, ergo & in proprietate religiosa. Consequentia adstruitur, quia vitium proprietatis, vt ex dictis patet, componitur ex furto, & sacrilegio, ergo sicut datur in illis diuisim ita & eisdem coniunctim inuenitur, mixtum enim sequitur naturam simplicium *Barb. hoc axiom. 152. n. 15.* De paruitate in furto, *Diana pant. 5. tract. 5. resol. 34.* De paruitate materiæ in voto, *Sanchez lib. 4. cap. 12. num. 4.* Ita docent reliqui omnes *cum Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 3. de Lugo num. 170. Diana resol. 36. de Paupert.* Nec obstat adducta ratio, quia sicut leuiter offenditur iustitia ex parte furti, pari ratione modica est offensio regularis obseruantiæ.

Quæres 20. Quanti valoris debeat esse res, quam professus sibi vsurpat, & appropriat auctoritate sua, absq. vlla superioris licentia, vt dicatur peccasse mortaliter contra votum paupertatis. Premitto pro huius questionis resolutione plura. Primo vana esse Doctorum placita circa hoc pro quibus *vide Dianam q. 36. de Paupert. & Donatum Ordinis Prædicatorum par. 2. tract. 15. q. 19.* referentem diuersas opiniones. *Secundo*, alia esse bona communitatis, alia esse destinata particolaribus religiosis pro eorum vsibus, alia esse extraneorum. *Tertio* votum paupertatis in aliquibus religionibus rigorose obseruari, in alijs non procedi cum tanto rigore. *Quarto* in statuenda grauitate sufficiente ad peccatum mortale, in materia furti, duo spectari possunt,

39 materia ipsa secundam se considerata non spectatis eius Circumstantijs, vel cum illis spectata. Si materia secundum se spectetur prescindendo à conditionibus personarum furantium, vel quibus infertur damnum potest aliò determinari; vnde aliqui dicunt, quod vnus argenteus est materia, de se grauis, & notabilis sufficiens ad peccatum mortale in quolibet fure respectu cuiuslibet furti (licent sic, loqui) alij requirunt duos, alij tres, nonnulli quatuor, alij plures, vt referunt præcitati. Si vero considerentur circunstantiæ, potest accidere, quod parua res de se ratione circunstantiarum augeatur, & fiat peccatum mortale, vt exemplificant in acu sartoris, qui alium non habens perdit mercedem vnius, vel alterius diei. Sic furtum prandij pauperis non valentis vnum paulum, potest esse mortale, quia ille multum damnificatur in re, & in persona. Est differentia inter vtrumq; quod determinari potest ante factum quantitas materiæ secundum se spectatæ requisita ad mortale inducendum; non vero secundum circunstantias, nisi post perpetratum delictum, quia grauitas peccati tunc ex illis deducitur,

B ergò

ergò iudicium fit posita earum existentia.
40 Demum omnes fere Doctores in resolutione huius quæstionis dicunt, quod
furta religiosorum comparantur cum furtis laicorum, & secularium, ita
quod ea quantitas, quæ inducit peccatum mortale in seculari, sufficiat
etiam in religioso furante. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 3. & 5. Diana*
41 *q. 36. de Paupert.* Alij vero furtum religiosi comparant cum furto filij fa-
milias, in ordine ad res monasterij, ita quod ea quantitas ablata a filio ex
bonis paternis inducens peccatum mortalē in eo, sufficiat etiam ad arguen-
dum professum de peccato mortali, & paritas comparatiua in eo attenditur,
quod sicut bona paterna reseruantur filijs, ita bona monasterij reseruantur
filij monasterij ad eorum sustentationem. Id tamen non placet Sanchez lo-
42 co citato num. 3. Quia filij sunt minime adstricti voto paupertatis, nec de-
decet eorum statui aliquid possidere;& sunt filij heredes necessarij paren-
tum, & ideo parentes non præsumuntur tam inuiti, quam sint superiores re-
gulares erga suos subditos, qui nihil horum participant, cum habeant vo-
tum paupertatis illos retrahentes à furando, à possessione rerum, & qui nul-
lo modo succedunt in bonis monasterij, quod nunquam moritur. Vnde Bo-
nac. disp. 2. de Restit. q. 10. p. 1. num. 5. mouet quæstionem, an eadem
quantitas sufficiat ad peccatum mortale respectu filij quæ sufficit ad pecca-
tum mortale respectu extraneorum! Et respondet,, maiorem quantitatem
requiri respectu filiorum, quam extraneorum, consideratis opibus patris,
43 conditione personarum, & amore patris, nam pater his circunstantijs con-
sideratis non est ita inuitus respectu filij, sicut est contra extraneos sibi fu-
rantes.
44 Placet mihi comparatio in materia furti inter filium, & religiosum, quia
sicut furtum habet pro obiecto rem alienam, ita hi duo inter se comparan-
di sunt per conditionem, & relationem bonorum in eo, quod bona sunt de-
stinata pro eòrum sustentatione, si ergo huiusmodi bona non petunt a do-
minis suis, vt deberent, furtum commitunt, quia alienum sine licentia
accipiunt, vnde tantum ponderat, & agrauat conscentiam religiosi furan-
tis, quantum premitur conscientia filij, quia ambo parem quantitatem rei
surripiunt, quare si filius peccat mortaliter furando e. g. tres argenteos, ita
similiter delinquet mortaliter religiosus totidem argenteos furans monaste-
rio; quia ab hac quantitate mensuratur grauitas peccati ex lęsione æquali
inuitis dominis.
45 Nec obstant adducta à Sanchez & similia à Card. de Lugo disp. 3. de iust.
num. 172. quia solum probant, malitiæ furti adiungi aliam malitiam nempe
sacrilegij specie diuersam, quam non contrahit filius, quia non vouit. Non
tollit autem paritatem in ratione furti, & læsionis, sed suppositum furtum
in genere peccati mortalis institutum ponit sub alia specie, non mutata gra-
uitate, neq; enim sacrilegus lædit animam ratione furti, sed ratione suæ in-
fidelitatis, promittit enim professus abstinentiam à proprio, quod sibi vsur-
pando facit reum furti, & sacrilegij violando votum paupertatis. Hinc est,
quod peccatum proprietatis malitiam mortalem,, vel venialem non acci-
pit à vitio sacrilegij, quia ipsum aliud non dicit, quam propriam sacrilegij
malitiam communicatam, & coniunctam cum furto, quod vice versa sa-
crilegio tribuit malitiam mortalem, vel venialem, attenta quantitate rei
ablata

ablatæ, vel secundum se, vel in suis circunstantijs. His præmissis.

46 Resp. Religiosum furantem extraneis eodem modo peccat furti peccato, quo delinquit fur secularis. Furans vero intra suum ordinem, siue reformatum, siue non quatuor argenteos e. g. monetæ romanæ siue sint communitatis, siue destinati ad vsum particularis religiosi, siue sint in pecunia, seu alia re, peccat mortaliter. Ex circunstantiâ vero potest esse peccatum mortale etiam in re parui momenti.

47 Prima pars de furante seculari patet, quia religiosus non minus ligatur huic præcepto decalogi non furandi, quam secularis, ergo cum par sit obligatio, par quoq; debet esse peccati quantitas. Nullus contradicit. Furtum autem vnius argentei puto esse peccatum mortale, quia certe non videtur leue damnum; nec alicui id videatur rigorosum, quod quis pro vnico argenteo damnetur in inferno, quia damnatur ex seipso, perditio tua ex te Israel.

48 Secunda pars de quatuor argenteis constat ex eo, quia certe est grauis læsiò. Ita docent *Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 3. & 5. Cruz. lib. 1. cap. 3. dub. 5. Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 20. num. 3.* Sed dices, cur vnus argenteus est notabilis quantitas ablatus à religioso seculari, & non sublatus ex bonis religionis? Differentia est, quia bonum extraneùm nullo modo

49 pertinet ad furem, sicut bonum monasterij ordinatum ad sustentationem religiosorum; & sicut minus peccat filius furans patri, quam extraneo, ita maior quantitas requiritur in furto paterno, vt sit peccatum mortale; sic pariter, sicut magis peccat religiosus furando extraneo, quam de bonis monasterij, ita & maior quantitas bonorum monasterij, quam extraneorum, vt incurratur peccatum mortale, vt superius dixi.

Dixi respectu cuiuscunque ordinis siue reformati, siue non, quia grauitas in furto attenditur ex læsione iustitiæ, non religionis voti paupertatis, vt dixi supra num. 44.

Tertia pars, quod in re parua possit furtum esse mortale, probatur exemplo superius allato sub num. 39. de acu sublato sartori. Confirmatur, quia si Capucinus surripiat ex communitate Diurnùm, vel Officium B. M. V.

50 non excusatur à mortali ex re hac minima propter circunstantias, nam propter paupertatem communitatis videtur illam grauiter offendere in pauperculo patrimonio paupertatis.

51 An autem vt furtum sit mortale maior quantitas requiratur in furto rei designatæ particulari religioso, quam in furto communitatis? Affirmat *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 15. num. 41. apud de Lugo disp. 3. de iust. num. 176.* dum cum Rodriq. apud Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 66. putant non pecccare mortaliter religiosum donantem librum valentem quinq; aureos alteri religioso eiusdem conuentus, quia parum quid extrahitur de communitate. Ego persisto in illo, numero quaternario, siue res auferatur communi tati, siue particulari religioso eiusdem, vel alterius conuentus, esto enim iustitia augeatur, dum furatur particulari religioso, quia læditur communitas, & ille particularis, non tamen mutat speciem peccati mortalis, sed semper idem est furtum in specie. Similiter, qui donat alteri religioso aliquid manenti in eodem Conuentu, vel transeunti ad alium conuentum, vt peccet mortaliter donator, non requiritur maior quantitas rei donatæ,

B 2 quia

quia soli communitati fit iniuria , & licet læsio augeatur, quia perditur res, dum religiosus eam transfert ad alium conuentum , non tamen auctio læsionis petit in hoc maiorem rei quantitatem ad constituendum donatorem reum peccati mortalis , quia læsio augetur ex consequente alienatione eiusdem rei non auctæ ex quantitate ,

52 Furtum esculentorum , & poculentorum siue auferantur à communitate, siue a particulari religioso est peccatum mortale ascendens ad valorem quatuor argenteorum , iuxta nostram conclusionem . Quandoq, quid minus ratione circunstantiæ est peccatum mortale , vt si prandium paratum hora comedendi , seu paulo ante proijciatur in cloacam,nam magnum damnum patiuntur singuli cum communitate, *Megalius conf.83*. Sanchez *lib.2. cap. 21. num. 33. Suarez cum de Lugo cit.n.* 176. dicunt surripientem esculenta,& poculenta de communitate prætiosiora , & in magna quantitate peccare mortaliter .

Recipiens dono rem magni valoris , vt vestem non valentem quatuordecim argenteos , non peccare mortaliter , quia superior parum inuitus censetur , cum illud donum vtile sit , & monasterio , & donatario , de Lugo num. 177.

Cardin. de Lugo num. 173. multò est indulgentior dicens , donantem extraneo rem communitatis valentem sex argenteos peccare mortaliter , non vero si minus valeat; Si vero donet de rebus sibi assignatis non peccare mortaliter, nisi excedant illum valorem . Idem num. 174. dicit accipientem ex pecunijs communitatis pro emendis libris , vel vestibus sibi remansuris in communitate , ad peccandum mortaliter , requiri maiorem quantitatem nempe nouem , vel decem argenteos , quia est pars communitatis , & non videtur inferre illi graue damnum . Et num. 175. dicit religiosum dantem alteri aliquid valoris viginti argenteorum non peccare mortaliter.Sed reuera relaxat nimis habenas , vt patet ex nimia quantitate peculij . Et qualis est religiosa vestis duodecim , aut quatuordecim argenteorum valoris ? Et licet religiosus sit pars communitatis non ideo tamen tantus excessus pretij potest excusare á mortali , cum nec excusare filium familias valeat , cum de se dicta quantitas respectu cuiuscunque sit de se notabilis , & valde læsiua ; dum excedit valorem quatuor argenteorum .

An vero religiosus furans multa modica paulatim tandem perueniat ad peccatum mortale .

53 Resp. de Lugo num. 181. raro peruenire ad peccatum mortale , ad hoc enim requiritur certa industria , & animus ab initio perueniendi ad notabile damnum , quod rarissime contingit , & furtum minutum non multum damnificat ex se , nec superiores sunt multum inuiti .

CAPVT

CAPVT II.

Quid importet *Abdicatio proprij* executiua voti Paupertatis?

1 *Paupertatis votum priuat habitis, & habendis.*
2 *Ius est facultas agendi.*
3 *Actio quid, & quotuplex!*
4 *Ius in re, & ad rem quid!*
5 *Dominium à dominando rem suam.*
6 *Diuinum, &*
7 *Humanum.*
8 *Dominium proprietatis quid?*
9 *Dominus quis posit esse sine dispositione rei.*
10 *Vel disponendo dependenter ab alio.*
11 *Dominium aliud plenum, aliud imperfectum.*
12 *Dominium perfectum aliud Commune, aliud singulare.*
13 *Dominium imperfectum quot modis contingat.*
14 *Dominium, & Proprietas pro eodem accipiuntur.*
15 *Vsus, & Vsusfructus quid, & eorum differentia.*
16 *Non sunt proprie dominium proprietatis.*
17 *Dominium rei aquiritur titulo, & apprehensione rei.*
18 *Possessio quid!*
19 *Fur possidet naturaliter non ciuiliter, nec moraliter.*
20 *Possidere quis potest alienum alieno nomine.*
21 *Habitatio quid sit?*
22 *Ius vtendi separari potest ab ipsa re consumptibili.*
23 *Dari potest aliquid alteri irreuocabiliter, & reuocabiliter.*
24 *Secunda sententia verior non distinguens ius ab vsu.*
25 *Probatur hæc multis.*
26 *Mutuum idest de meo fit tuum translatione dominij.*
27 *Vsusfructus relictus Communitati non durat vltra censum.*
28 *Precarium quid sit?*
29 *Abdicatio proprij non prohibet ab vsu iuris, sed tantum a proprietate rei.*
30 *Fratres Minores habent vsum iuris in rebus sibi necessarijs.*
31 *Non autem in pecunijs.*
32 *Ius habent vsus in habitatione*
33 *Vouent ipsi sicut cæteri aliorum ordinum.* sine proprio.
34 *Canonicus Lateranensis non abdicat ius ad beneficia.*
35 *Mendicans non abdicat ius ad Episcopatum.*
36 *Manducatio est actus dominij ipsius manducantis.*
37 *Faciens per alium per seipsum facere videtur.*
38 *Potestas dominatiua ad irritandum spectat ad dominium proprietatis.*
39 *Professione perditur.*

1 QVoniam uotum religiosæ paupertatis professum solemniter priuat dominio rerum habitarum, & eundem inhabilitat ad habendum, & aquirendum sibi, vt indicant ea verba *Abdicatio proprij*, ideo pro eius perfecta cognitione sequentia sunt explicanda, nimirum, quid sit Ius, Actio, Dominium, Proprietas, Vsus, Vsusfructus, Possessio, &c.

Quæres igitur primo quid sit ius, & actio.

2 Resp. ius est facultas agendi aliquid, vt actus dominij, vsus, vsusfructus, possessionis, & habitationis, qui enim facultatem habet ad horum aquisi-
3 tionem, agere debet, vt ea consequatur. Actio vero ius prosequendi in iudicio rem sibi debitam. *Instit. de Action. initio.* Est autem duplex, vna realis, altera personalis. Realis, qua res propria vindicatur, sic dicta, quia rei inhæret, & competit domino multis modis ratione dominij directi, vel indirecti, & vtilis, ratione pignoris, vel hypothecæ. Personaliter actio est illa, qua una persona alteri est obligata ex contractu, vel delicto e. g. ex contractu emptionis pretio dato habeo actionem personalem contra uenditorem, ut mihi tradat rem emptam, apud quemcumq; ea sit, non uero contra alium illius detentorem, cum huiusmodi actio uti personalis, non possit excedere personam uendentem. Nam actione furti agitur contra furem, actione mutui contra mutuatorem &c. Actio realis re-
4 fertur ad ius in re, quod dominus habet. Personalis uero refertur ad ius, quod quis habet non in re, sed ad rem. Ius in re dicitur habere possidens rem, vel usum, uel usumfructum, vel habitationem, illis enim dominus insistit, uti esset ipsa in re, ideo dicitur ius in re. Ita Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *Palaus part.* 1. *disp. Vn. p.* 5. *num.* 2.

Quæres 2. Quid, & quotuplex sit dominium?

5 Resp. Dominium dictum à dominando, est ius, quod quisque dominus habet in re sibi subiecta. Est autem duplex, vnum iurisditionis, alterum proprietatis. Illud est ius gubernandi personas, quæ illius sunt obiectum, & subiectum, & subditus populus, diuisum in Diuinum, & humanum.

Hoc

Hoc uero dicit ius disponendi de rebus alijs, iuxta mox dicenda in sequenti quæstione. Interim aliquid dicamus de vtroque dominio iurisdictionis.

6 Diuinum dominium est ius, quod Deus habet super omnes creaturas, tam uisibiles, quam inuisibiles, intellectuales, & carentes ratione, tum in cælo, tum in terra, ut est illarum conditor, & creator. Dominium autem hoc in Deo est ab æterno, & in tempore ortum habet in ipsis creaturis. Sed de hoc agendum non est, quia non spectat ad præsens institutum.

7 Humanum uero dominium est ius gubernandi populum per hominem à Deo deriuatum, iuxta illud Genes. 1. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus*. Sap. 9. 2. *Sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet*. Hoc autem dominium humanum diuiditur in dominium iurisdictionis, & proprietatis, iuxta quod dixi, ius autem in homines, quod est iurisdictionis, exercetur à publica persona, seu à Magistratu, qui gubernat homines, & res eorum, in ordine ad bonum publicum. Ius uero, quod est proprietatis ab uno quoq; priuato exercetur non solum in re sua, sed etiam in seruis, filijs, professis, & Vxoribus, eorum enim domini ius quoddam proprietatis habent in ipsos, ut dicam infra q. 11. Relicto dominio iurisditionis, aliquid dicendum est de dominio proprietatis quantum facit ad præsens institutum.

Quæres 3. Quid sit dominium Proprietatis.

8 Resp. est ius disponendi de re propria, sine alicuius iniuria, nisi lege prohibeatur.

Dixi 1. dominium esse ius, & quidem in re, cum sit facultas disponendi de re, quam dominus habet sub suo dominio, & potestate; unde qui nondum habet sibi traditum fundum emptum dicitur habere ius non in fundum, sed tantum ad fundum sibi uindicandum mediante actione empti, nam emptio est titulus ad aquirendum dominium rei emptæ, quæ traditione aquiritur.

Dixi 2. disponendi, hoc uerbum latissime accipitur pro quocunque actu agendi uel per uiam contractus, uel donationis, uel testamenti, uel consumptionis, & destructionis, &c.

Dixi 3. De re, quo nomine ueniunt non solum res corporales, sed etiam iura incorporalia pretio estimabilia, quæ in contractum uenire possunt, ut ius succedendi in hereditate, ius iudicandi, ius seruitutis &c. Homo igitur habet dominium non solum rerum corporearum, sed etiam iurium earum, nam Petrus e. g. est Dominus sui census, qui est ius percipiendi fructus ex re aliena; Quod negauit Bartolus, dum definiuit, dominium esse ius perfecte disponendi de rebus proprijs corporalibus, excludendo in corporalia, ne ius uiri adderet. Nomine quoque *Rerum* hic ueniunt captiui, & serui, immo filij respectu patrum, uxores respectu uirorum, & professi respectu superiorum, ut dicam infra q. 11.

Dixi 4. de re propria, quia de rebus alienis nemo tanquam dominus disponere potest, utique uero nomine alieno, scilicet domini, si alteri det commissionem, mandatum, & administrationem.

Dixi 5. sine alicuius iniuria, & in hoc apparet perfectum dominium, qui disponit

disponit sine alterius præiudicio, & independenter à lege, & superiore agere potest de rebus suis pro suo libito, cum de illis nulli rationem reddere debeat.

Dixi 6. Nisi lege prohibeatur, quod dicitur propter pupillos, & alios, qui prohibentur alienare res, quamuis proprias, propter bonum illorum, quorum sunt, vel ad vtilitatem aliorum, quibus competunt quo ad proprietatem, eo quod perfectum dominium non habent. Contingit autem prohibitio, vel lege, qua ratione non possunt pupilli, & alij alienare sua bona; vel testatore exprimente in suo testamento alienationis interdictum. Lege quoque ecclesiastici prohibentur alienari stabilia, & preciosiora ecclesiæ.
9 Stat ergo dominium etiam perfectum in aliquo sine exercitio dispositionis, ex quo enim prohibetur dispositio, non ideo aufertur dominium ab habente illud, cum dispositio non sit causa dominij aquisiti, sed effectus illius disponens ad illius amissionem. Insuper patet, aliquem posse esse do-
10 minum rei, & in ipsius dispositione ab alio dependere, nam Conuentus, & ecclesia habet dominium rerum ecclesiast carum, de illis tamen disponere non potest nisi cum licentia Sedis Apostolicæ. Immo plures domini eiusdem rei, vnus sine altero disponere non potest de illa re.

11 Colligitur ex dictis dominium aliud esse perfectum, & plenum, aliud imperfectum, & non plenum. Plenum autem est illud, quod quis habet in re, & in eius fructibus, valens de vtrisque disponere, si non prohibeatur, dominus ergo est rei, & eius fructuum, & emolumentorum.

12 Hoc autem perfectum dominium rei, & fructuum subdiuiditur in Commune dictum Politicum, & in Particulare dictum Commutatiuum inter personas singulares. Commune reperitur apud Principem Rempublicam, & Ecclesiam, quorum interest prouidere suis subditis, bona vnius dandoq; quandoque alteri, grauissima tantum vrgente necessitate, pro conseruatione reipublicæ, & non aliter; aut bona Communitatis distribuendo membris eiusdem Communitatis, vt accidit, quando Superior dispensat suis subditis bona eiusdem Communitatis, quorum est administrator, dispensator, & officialis ad id munus deputatus.

13 Imperfectum vero dominium contingit duobus modis. *Primo*, si vnus habeat alium consortem in re, vt si hereditas pro indiuiso fuerit relicta pluribus, singuli sunt domini quasi per modum vnius, & vnus sine alio disponere non potest, *ex l. si ita stipulatus* 126. §. *Titius ff. de verb. oblig.* Altero modo, cum vnus est dominus proprietatis, alter vero dominus fructuum, *l. Possessores C. de fundis patrim. lib.* 11. *&* *l.* 4. *ff. de vsufr*. Iste autem modus indicat diuisionem dominorum, nam vnus rem habet, altet fructus, melioris conditionis est is, quam ille, qui nihil percipit, melius ergo est vti, quam dominari. De his vide perfatum, *Layman lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *per totum*, *Palaum de iust. disp. Vn. p.* 5. *De Lugo disp.* 2. *sect.* 1. *Nauar. Com.* 1. *de Regul. à num.* 12. *Sayr. in Claui. lib.* 9. *cap.* 2. *Faber. de Restit. disp.* 43. *num.* 56. *& seq.* *Pitigian. in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2.

Quæres 4. An differant dominium, & proprietas;

14 Resp. Differre formaliter in eo, quod dominium latius patet, nam quis dicitur dominum rei, vsus eius, & fructuum illius, & hoc est plenum dominium; Proprietas vero restringitur ad rem habentem, vel non habentem

coniun-

coniunctos fructus in eodem domino, vnde habens tantum ius ad fructus, ad emolumentum, & vtilitatem rei, non dicitur rei proprietarius, sed tantum dominus fructuum, & comodi, quod ex re percipit. Ita *Azor. par. 3. lib. 1. cap. 12. ex illo Faber cit. disp. 43. num. 59.* Nihilominus Nauar. *com. 1. num. 12.* ait, non differe dominium, & proprietas, intellige, quod vsufrutuarius non solum dicitur dominus, sed etiam proprietarius fructuum, dum illos tamquam proprios, & non alienos possidet.

Quæres 5. Quid sit vsus, & vsusfructus?

15 Resp. vsus est ius vtendi re aliena, salua eius substantia. Vsusfructus vero est ius non solum vtendi, sed etiam fruendi re aliena, salua eius substantia. *Ex l. 1. ff. de vsufr. & quemad. & l. 1. & 2. de Vsu, & habit. & instit. de Vsufr' initio.* Differunt autem in eo, quod vsuarius re vti potest pro se, non autem alijs concedere, vnde habens Equum alienum pro suo vsu non potest accomodare alijs. Vsufrutuarius re vti potest pro se, & alijs dare, vendere, &c. Ita omnes *cum Lessio lib. 1. cap. 3. dub. 4. 5. & 6. Pitigian. in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. Vers. quo ad quantum, Faber. in 4. de Restitut. disp. 43. num. 61. de Lugo disp. 2. de iustitia sect. 3. Palaus de iustitia disp. Vn. p. 5. num. 4. & 5. Sayr. lib. 9. Clauis cap. 3.*

Quæres 6. An hoc ius, de quo fit mentio in definitione vtriusq; vsus sit vere, & proprie idem, quod dominium?

16 Resp. ius respectu vsus simplices est secundum quid dominium, quod vocatur vtile, quod ex eo constat, quia sine iniuria vsuarius remoueri non potest a suo vsu v. g. ab habitatione domus vsuatæ, nec vtens Equo prohiberi ab Equitatione ex contractu conductionis, vel comodationis, quod euidens est signum Vsuarium habere vtile dominium super rem, qua vtitur. Vocatur ergo dominium vtile ad differentiam dominij proprietatis, quod habet Patronus rei simul cum vtilitate ipsius rei, quod ideo appellatur dominium plenum reale non ex proprietate rei, & eius emolumento, & vtilitate.

Pari ratione ius respectu vsusfructus est simili modo dominium vtile, quod appellant indirectum respectu substantiæ rei alijs vinculatæ, & obligatæ, salua rei substantia, ne scilicet fiat iniuria domino, & patrono illius e. g. à quo dominium directum, & proprietas alienari, nec remoueri potest. Ius ergo vtendi, & fruendi re aliena est dominium vtile, quo vtens recipit vtilitatem, comodum, & emolumentum. Præterea in vsufructuario aliquid aliud dicit, nam respectu fructuum perceptorum, seu percipiendorum dicitur habere dominium, & proprietatem directe non solum, sed etiam indirectum, & vtile, quia in fructibus ipse solum ius habet, & non alius, de quibus ideo disponere potest pro suo libito.

Ex his tollitur litigium inter Legistas, quorum aliqui negant, possidentes bona alijs obligata, & vinculata, vt maioratum, fideicommissum &c. habere illorum dominium, apud Molinam lib. 1. de primog. Cap. 19. Alij vero affirmant, eos habere dominium, quos refert, & sequitur Molina *Societatis Iesu Disput. 3. de iustitia apud de Lugo disp. 2. de iust. num. 6.* Intellige cum affirmantibus, præfatos possessores habere dominium vtile, non autem directum, & proprietatis cum negantibus. Ratio est, quia ex bona non potest alienare, nec alijs obligare in præiudicium vocatorum, quod signum est, illum non haberre plenum ius, & dominium in illis; ergo solum habet

C domi-

dominium vtile. Vterque ergo dominus tam proprietarius, quàm vsufructuarius super eadem re dominium habet, ille proprietatis, & directum, iste vtilitatis tantum, & hoc posterius deriuat à priori tamquam principali, quod est radix vtilis dominij, quod non est dabile nisi dependenter à priori supposito, cum quo indirectum aliquando consolidatur sub vno, & eodem domino, quando deficit vsufructuarius. Instit. de vsufr. §. Finitur, l. si patri C. de Vsufr.

Quæres 7. Quomodo aquiratur dominium rerum tam directum, quam vtile?

17 Resp. Acquiritur à non habente, duobus concurentibus, iusto scilicet titulo, & rei apprhensione per traditionem. Titulus autem radix dominij consistit in contractibus, in donatione, in testamento &c. Apprhensio vera rei per traditionem factam constituit dominum possessorem rei. Vnde, ex hoc videndum est quid sit possessio.

Quæres 8. Quid sit possessio.

18 Resp. Est detentio rei corpore, & animo iuris adminiculo non prohibitæ possideri. Possessor autem dicitur rem tenere per apprehensionem rei in manibus respectu mobilium, pedibus tanguntur immobilia, & id fit respectu rerum corporalium; incorporalia vero incipiuntur possideri alijs artibus, vt sessione in choro, in collegio, in refectorio quis incipit possidere stalum in choro, collegio, & pariter dignitatem, & officium. Superior faciendo legere liceras patentes sui officij, vel præcipiendo aliquid subditis, vel aliquem puniendo etiam per modum correctionis; professione nouitius incipit possidere statum religiosum. Prædicator per primam concionem incipit possidere pulpitum.

19 Non dixi: *Possessio est ius insistendi rei*, quia etiam fur dicitur possidere rem, quam surripuit, sed sine aliquo iure, sed tantum de facta possidet, & iniqua vsurpatione. Vnde duplex est possessio Naturalis, & ciuilis, illa, quæ & phisica appellatur respicit factum siue iure, siue iniuria sit possessio. Ciuilis vero respicit ius, quo quis dicitur iuste, & legitime possidere ex titulo, & apprehensione legitimis. Possessio ex his mixta est perfecta, & fortior. Ciuilis autem deficiente possessione naturali e.g. respectu furis, sufficit pro vero domino qui si non corpore saltem animo possidet, quia non intendit, furem fieri dominum rei ablatæ, qui propria auctoritate, cum nullum ius habeat, non potest in seipso transferre dominium illius rei, quam surripuit.

20 Quis autem possidere potest nomine alieno, quod suum non est, nam seruus possidet nomine domini, & monachus nomine monasterij de licentia Abbatis Possessio autem competit domino directo, quando habet plenum dominium, scilicet rei, & eius fructus. Si vero vsus sit apud alium, tunc vtens dicitur possidere, vnde conductor, liuellarius feudatarius &c. dicuntur possidere, non dominus proprietatis. Vide *Castren. Palau. disp. Vn. de iust. p. 5. num. 13. de Lugo disp. 2. à num. 59. Fabrum disp. 44. cap. 2. à num. 18. Pitigianum. in 4. dist. 15. q. 2. art. primo, Vers. quo ad vltimum, Sayr. lib. 9. cap. 3. num. 15.* Religiosi autem sunt capaces possessionis de licentia etiam præsumpta superioris *Bnrat. decis. 584. num. 12. Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 7. Rubeus par. 8. decis. 253. num. 8.*

Quæres 9. Quid sit habitatio.

21 Quæ-

21 Resp. Est concessio domus ad habitandum, qua vti potest pro se in ea habitando, & eam quoq; alijs locare. *Imtit. de Vsu, & habitat. l. Cum antiquitus C. de habitat.* Locatio autem finitur morte conductoris *ex l. si habitatio ff. de Vsu, & habitat. cit. leg. C.* Vnde videtur esse quid medium inter vsum, & vsumfructum, ait *Palaus ea disp. Vn. p. 5. num. 7.*

Quæres 10. an ius vtendi re, cuius vsus est consumptio sit separabile ab vsu eiusdem rei consumptibilis, cuiusmodi sunt pecuniæ, comestibilia, & potabilia? Difficultas hæc excitata fuit occasione Fratrum Minorum, qui ex Regula vtuntur rebus sibi necessarijs absq; eorum dominio, cum ipsi Fratres, & religio ipsa tam in particulari, quam in Communi prohibeantur habere dominium rerum. Est autem vsus duplex. vnus dic tur vsusiuris, quod est ipsum dominium, vt facultas comedendi, bibendi, expendendi pecunias, & vsus facti, scilicet ipsa comestio, potatio, expenditio pecuniæ &c. Quæstio ergo in eo consistit, an vsus iuris possit remanere in vno e. g. in dante, & vsum facti in recipiente? Et sic hæc duo ab inuicem posse separari, & inueniri in diuersis suppositis, & personis?

22 Prima sententia affirmatiua, quo d vsus iuris remaneat in dante, & purus vsus facti transeat in accipiente, est Nicolai 18. electi anno 1277. qui id docet in cap. *Exijt §. Ceterorum de verbo insignit. in 6.* quia Frater Minor tali vsu facti potest prouidere suis indigentiis, remanente vsu iuris apud concedentem potentem reuocare rem concessam quousque in vsum conuertatur deputatum. Hæc sententia hæc commu nissima, pro qua Sanchez lib. 7. cap. 18. num. 6. refert decem octo Doctores sequuntur, *Faber de Restit. disp. 45. cap. 2. à num. 22. de Lugo disp. 2. de iust. sect. 3. num. 43. Palaus par. 7. tract. 31. disp. Vn. p. 5. num. 6. Layman, lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 6. num. 7. Miranda tom. 1. q. 28. art. 10. concl. 2. Donatus part. 3. tract. 8. q. 5.* Probant id, quia aliquis rem suam

23 alteri tradere potest duobus modis. *Primo*, simpliciter, & irreuocabiliter transferendo rem in alterum cum iure, & dominio disponendi de ea pro suo libito, ita quod sic recipiens euadit dominus absolutus rei ad se translatæ, qua vti potest independen er à concedente, qui eam ad se reuocare non potest, cum super ea amplius nullum habeat ius, & si attentat rem retrahere ad se facit illi iniuriam. *Secundo*, res concedi potest reuocabiliter à patrono sibi retinendo ius, & dominium, sola re cum vsu facti translata in alterum, ita quod alter recipiens à concedente continuo dependet cum obligatione eam restituendi, quoties a domino repetietur pro suo arbitrio, dum sibi retinuit illud ius, quo possit repetere, nec facit iniuriam habenti rem illam, quia illi concessa fuit cum ea dependentia, & quasi precario restituenda ad eius nutum. *Confirmatur* id in seruo, religioso, & alio inuitato e.g. ad prandium, qui in exculentis, & poculentis habent merum vsum facti, manducandi scilicet, & bibendi, non autem disponendi de illis, quia apud dominum, & inuitantem semper remanet dominium cibi, & potus vsq; ad consumationem.

24 Secunda sententia præcedenti contraria docet in rebus primo vsu comsumptibilibus vsum iuris non posse distingui ab vsu facti, sed sequi rem ex natura sua tamquam quid ab ea inseparabile. Ita sensit Ioannes XXII. in sua extrauag. Ad conditorem 3. de verb. sign. in qua dominium rerum, quæ perueniebant ad Fratres Minores retentum ab ecclesia Romanâ, simplici vsu facti

Fratribus reſeruato per Nicolaum III. exprædicto cap. Exijt, refutat, probando dictos Fratres non poſſe habere ſimplicem vſum facti in rebus illis oblatis, eo quod talis vſus ſimplex ſcilicet facti non poteſt conſtitui in rebus vſu conſumptibilibus, adeo quod ille non tranſeunt niſi cum ſuo iure ad quemcumq; perueniant, & expreſſe dicit, nec dictum Nicolaum ſentiſſe contrarium. Hanc ſententiam ſequuntur Bartolus *cum alijs apud eumdem Sanchez loco citato, Cenedus de Paupert. dub. 17. num. 9. & dub. 32. num. 8. & 11. quem cum alijs citat Caramuel. huius opinionis, in Regul. S. Benedicti num.* 871. qui in Theolog. fundam. ſub num. 1417. hunc vſum vocat ſeruilem contra dominium competentem domino, qui de comeſtione religioſi ſine licentia ſuperioris multa dicit à num. 1428. contra Dianam, & Cardinalem de Lugo, vt dicam infra.

25 Hęc ſententia probatur primo, recipiens rem primo vſu conſumptibilem ſine translatione iuris in ipſum non habet facultatem vtendi illa re, dum ſimplicem tantum habet vſum, ideſt, comeſtionem ſine comeſſione, dum caret iure, ac proinde facultate comedendi, ergo ex natura rei tradens transfert non ſolum rem materialiter acceptam, ſed etiam ius illam comedendi, aliter ſi non iure comedit, iniuria rem conſumit, qui enim agit ſine iure iniuſte agit, vnde Æboſ. V. Ad contraria in Clem. Exiui, reſpondens dictionibus, inquid: *Cum dicitur, quod habeat tantum vſum facti: dic, quod habet vſum tamen licitum, qui aliquo modo eſt iuris.* Igitur cum conceſſionario, & recipiente debet cum re tranſire aliquod ius, quod illi tribuat licitum vſum in re. Quæ maior ratio eſt, vt vſuarius, & vſufructuarius dicatur habere ius vtendi, & vſufructuandi re aliena, ſalua eius ſubſtantia, in ordine ad licitum vſum, & non requiratur in ijs, quæ primo vſu conſumuntur? Ius ergo ex natura rei, & vt vſus ſit licitus, cuiuſcunque rei ſit, ſiue conſumptibilis, ſiue non, debet rem tuam ſequi, tamquam inſeparabile ab eius vſu. Idem ſentit D. Thomas 2.2. q. 78. art. 1, vbi ait: *Cuicumq; conceditur vſus ex hoc ipſo conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium.* Ius ergo ſequitur rem.

Secundo, ideo ius diſtinguitur ab vſu, & reperitur in diuerſis ſuppoſitis, quia res non obſtante vſu, remanet, & non perit, ergo à contrario ſenſu ſi perit, non poteſt diſtingui vnum ab alio, cum ius tamquam accidens debeat inhærere ſubiecto. Ex quo ſequitur abſurdum, quod ſi dominium rei primo vſu conſumptibilis remanere apud dantem poſſit, re ipſa penitus deſtructa per recipientem, adhuc eius dominium remanere, dum exiſtit ſubiectum. ideſt ipſum concedens. Quod ſi dicat, re deſtructa, deſtrui quoque dominium in domino, ex quo eſt relatio vnius ad aliud, quæ ad ſui exiſtentiam petit extremorum coexiſtentiam. Reſpondeo ex hoc ſequi dominium tranſiſſe in re dominata, contra aduerſarios, nam relatio dominij eſt mutua.

Tertio, ratio, cur ius ſequatur rem in vſuario, & vſufructuario eſt, quia vtens re ſine iure facit iniuſtitiam ei, cuius eſt, ergo ad euitandam iniuſtitiam neceſſe eſt, quod ius ſequatur vſum rei etiam conſumptibilis. Dices, tollitur iniuſtitia, quotieſcumque dominus tradens contentus eſt, vt alter vtatur re ſua. Contra eſt, quia hoc non ſufficit, niſi ius ſequatur vſum rei,

26 nam ideo mutuum ſic dicitur, quia de meo fit tuum, & ſi non fiat, non obligaris, *l. Mutuum 2. §. Appellata ff. de reb. cred.* non ſufficit ergo quod

tradens

tradens annuat, & contentus sit, sed præterea dominium transire debet cum re mutuata, vt de vno fiat alterius, id enim non potest esse meum, & de tuo fieri meum, nisi dominium sequatur rem, cum id illi sit connaturale. Non sufficit ergo voluntas, & complacentia dantis, sed debet dominium sequi rem, nec impediri potest, cum natura non audeat, quod lex negat, l. 2. §. Nec enim ff. de vsufr. earum rerum, quæ vsu consumuntur.

Quarto, Nicolaus III. vult dominium earum rerum, quæ non consumuntur aquiri Ecclesiæ Romanæ, earum vero, quæ consumuntur remanere apud concedentes. Ioannes XXII. probat id omne reddi in vtile, quia vsusfructus, & vsus non sunt perpetuo separabilia à proprietate, cum qua aliquando debent consolidari, ne dicatur vana, & inutilis proprio domino, vnde vsus, seu vsufructus legatus communitati non durat vltra centum annos, ne
27 nudæ proprietati videatur inutilis *l. Si vsusfructus 8. ff. de vsu & vsufr. legatis*, ergo non est rationabilis huiusmodi diuisio iuris ab vsu cum nihil conferat, nec actu, nec spe suo proprietario, ideo tamquam quid inutile reijcitur, ex quo Ioannes reiecit a Romana ecclesia illam proprietatem inutilem, ac proprie non extantem.

Quinto, recipiens esculentum à patrono, potest illud comedere cum licentia sui superioris, ergo illius non solum vsum facti, sed etiam iuris recepit per eam traditionem, non obstante dominij retentione, quæ fuit chimerica; nam posse comedere, & quidem licite, cum adsit licentia superioris duo importat in ipso comedente, ius scilicet comedendi, & exercitium comestionis, ius autem explicatur per illud posse præcedens ipsum actum comestionis, & sicut illud posse refertur ad actum personalissimum ipsius Comedentis, cum alter non possit comedere, ergo tale ius est illi personalissimum, & sic non est separatum ab ipso, aliter ipse non diceretur posse, sed alter habens ius comedendi, quod dicere aburdum est, nam si possum licite, & iuste exercere actum comestionis, ergo solus habeo hoc ius, & non alter, quia alter posset comedere, & non posset comedere iuste, dum iuste ego comedo, ridiculum enim est dicere: Petrus potest comedere, & ego comedo, cum nullam ad inuicem connexionem habere possint.

Sexto, allata distinctio de duplici traditione rei reuocabili, & irreuocabili, maxime in exculentis, proculentis &c. subsistere non potest, cum ex ea sequantur absurda in primis talis traditio reuocabiliter quo ad se nullam inducit obligationem ex parte tradentis, dum res tradita est reuocabilis, consequenter spectatur ac si non esset facta traditio, dum tradens nullam induxit in se obligationem; nec recipiens aliquod aquisiuit ius circa talem rem, nihil ergo est, cum nullum produxerit effectum nec in ipso tradente, nec in recipiente. *Deinde* huiusmodi traditio videtur comparari precatio, solent enim Mendicantes rogare elemosinas, in eo quod talis traditio est reuocabilis toties quoties placuerit tradenti, etiam antequam recipiens vtatur rei, nam
28 precarium est contractus, in quo quis concedit alteri cum potestate illud repetendi quoties voluerit, etiam ante vsum, in quo concessionarius aquirit ius ad illius vsum, siue res sit stabilis, siue mobilis, vt expresse dicitur *1. & 3. ff. de precario Bonac. disp. 3. de Contract. q. 14.* Huiusmodi igitur traditio assimilatur præcario, ergo sicut in precario datur ius ad vsum, ita & in hac traditione, vt precarium sortiri posit aliquem effectum, ne sit inutile sicut
potest

potest esse huiusmodi traditio. Præterea, quæ offeruntur religiosis se habent per modum elemosinæ, ergo debent irreuocabiliter sortiti suum effectum subleuandi eorum indigentiam, quam producere non possunt, si admittatur reuocatio in tradente pro suo libito, quod si aliquando, immo & fere semper illum obtineat, nullius momenti erit talis conditio reuocationis, ac proinde habenda erit pro irreuocatione. *Adde*, quod ea habet nescio inurbanitatis, & derisionis ergo non admittenda, nam certe ego sum inurbanus, immo simulator, quinimmo mendax si pro meo libito reuocare volo inuitationem, qua te vocaui ad prandium, immo in ipso actu prandendi possum dicere, nolo vt amplius manduces de meis cibis, ex quo inuitatio, & ciborum traditio est reuocabilis pro meo libito, neque enim tu in ius aliquod acquisiti super cibos ex doctrina istorum, ergo non facio tibi iniuriam reuocando te à comestione meorum ciborum; sed hæc sunt absurda, & actus inciuilitatis generantes rixas, & odia, ergo & id, ex quo deducuntur.

Septimo, potissima ratio per quam Nicolaus voluit, Fratres Minores esse contentos solo vsu facti, separando ab eo vsum iuris, quod voluit remanere apud Sedem Apostolicam quo ad immobilia, quo ad alia minoris conditionis apud concedentes, ea fuit, quia nisi daretur huiusmodi diuisio iuris ab vsu, Fratres fierent domini, & proprietarij rerum, quod repugnat non solum voto paupertatis, sed etiam ipsorum Regulæ, quæ Fratres redit incapaces proprij in particulari, & in communi, ideo ne tales euaderet, reiecit ius in capaces proprietatis.

29 Sed hæc non obstat, quia votum paupertatis non importat abdicationem vsus iuris, seu dominij vtilis, sed tantum abdicationem proprij, quo non venit vsus iuris, quod secundum omnes legistas, & Canonistas aliud est à dominio, & proprietate, vt superius dictum fuit, vnde in l. Recte 25. ff. de verb. signif. dicitur, quod vsusfructus non est pars dominij; hinc est, quod institutores ordinum loquentes de voto paupertatis, quorum dicta retuli cap. 1. q. 3. num. 9. nunquam dixerunt, illud esse abdicationem dominij, sed proprij, quia dominium habet nescio quid æquiuocationis quo caret vocabulum proprij, & proprietatis condistincti à quouis vsu, & vsufructu, quod nullam dicit proprietatem. Itaque votum hoc respectu cuiuslibet ordinis importat abdicationem proprij, non vsus iuris, aliter hoc posterius non posset concedi per superiores, quibus negatur concessio proprij, sicut & sedi Apostolicæ, vt dicitur in fine capitis: *Cum ad monasterium de statu monach.*

30 Et quoniam sermo est pro Fratribus Minoribus probo ex eorum voto, & Regula prohiberi non vsum iuris, sed solum proprij maxime in rebus primo usum consumptibilibus. Et quantum ad uotum id certum est, quia S. Pater vtitur eodem uerbo *sine proprio*, quo cæteri Authores aliorum Ordinum. Quo ad Regulam demonstro, nam cap. 2. dicitur: *Habeant vnam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio, qui voluerint habere*. Ergo tale ius habent in vestibus, quod nec superior id illis negare potest, & quoniam primis usibus vestes non consumuntur, ideo separari potest, ut dominium directum sit pænas monasterium, usus iuris apud uestitum, dum enim S. Pater concecit, quod possint habere duas tunicas, nullum ex dictis viribus negat nec communitati, cuius est prouidere indigentijs Fratrum per officialem,

nec

31 nec uestito, dum ei concedit, ut possit habere duas tunicas. De pecunijs uero negat usum non solum iuris, sed etiam facti, dum ex cap. 4. mandat, ut occurratur Fratrum indigentijs non per Fratres, sed per amicos spirituales, qui dicuntur syndici. Quod de pecunijs repetit cap. 5. In 6. vero *Fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, intellige támquam propriam, non uero negat illis usum iuris, quod est aliud à proprietate, & sermo est de Frattibus ut singulis, de eisdem ut communitate, seu monasterio ne uerbum quidem, ideo illi non negatur proprietati rerum mobi-
32 lium, neque immobilium ut est domus, habitationis, quæ illis omnino necessaria est, & sicut quilibet professus ius habet ex ui suæ professionis utmaneat in conuentu etiam nolente superiore, cum esset tunc eius uoluntas irrationabilis, à fortiori ipsum monasterium dominium habet, & proprietatem ipsius domus habitationis, neq; enim potest dari communitas Fratrum sine domo habitationis, cum id sit naturaliter necassarium cuilibet ordini, cum ergo id sit illi essentiale, substantiale quoq; illi erit, ut habeat proprietatem talis domus, vt in ea conseruare possit Fratres, qui ius habent ad illam.

33 Octauo, omnes nouitij cuiuscunque sunt ordinis etiam monachi, & Canonici Regulares eodem modo uouent paupertatem sub his uerbis *Sine propiro*, sicut ergo professi aliorum ordinum recipientes ab extraneis aliquid etiam primo usu consumptibile, aquirendo monasterio, & sibi usum iuris, cur idem non est dicendum de Fratribus Minoribus, qui & ipsa profitentur ex Regula uiuere in ordine sine proprio? hoc enim modo certe aliquid sibi non appropiant, cum non utantur nomine proprio, sed nomine monasterij, cuius res est.

34 Nono, Canonici Regulares Lateranenses vòuent abdicationem proprij, & tamen in eodem contextu professionis non abdicant à se capacitatem consequendi beneficia de licentia sui Generalis, ergo usus iuris. seù dominium utile cum licentia Superioris non obstat uoto paupertatis, consequeuter non est abdicatio cuiuscunq; iuris, sed tantum dominij, & proprietatis, si ergo dominium utile non obstat huic uoto, minus obstabit usus iuris, qui solet esse transitorium cum re consumptibili.

35 Decimo Bonifacius VIII. electus anno 1294. & sic post editam Bullam *Exijt* Nicolai III. antequam Ioannes suam ederet decreuit, ut legitur in cap. *Quorumdam* 24. *de elect. in 6.* quod religiosus ex Mendicantibus etiam Minorum vocatus ad Episcopatum de communi consensu electorum, nullo discrepante aquireret ius ad prelaturam cum administratione in illa, accedente consensu sui superioris, ergo Frater Minor capax est iuris utendi, & fruendi fructibus beneficij episcopalis, licet non sit proprietarius, & hoc ius uocatur administratio, quæ non aduersatur uoto paupertatis, quæ est abdicatio proprij, non administrationis, quæ in religionibus necessaria est, sicut, & officiales sunt necessarij, non enim membra stare possunt sine capite. De administratione Episcopi regularis sine violatione uoti paupertatis latè. *Cardin. de Lugo lib. 5. Respons. Moral. dub. 12.*

Vndecimo, traditio illa reuocabilis inuoluit conditionem ut non sit accipientis si re data non utatur sibi, sed alijs det, nihil enim aliud uidetur importare talis reuocabilitas alias esset chimerica, maxime in consumtibilibus; sed pactum, & conditio non impedit translationem iuris utendi, sed solum

eius

eius non obseruatio operatur, ne res tradita fiat accipientis. *l. 1. ff. de Condict. causa data*. Et re uera dans panem, uel uinum F. Capucino cum ea intentione reuocatoria rei datæ pro suo arbitrio, uel habet firmam uoluntatem ut re utatur pro se, uel conuentu, & in hoc casu destruitur uoluntas reuocatoria ac si non esset res tradita cum tali reuocabilitate; uel eius uoluntas infirma est, dando, ut retrahat, & sic deridet proximum, & decipit cum magno eius dedecore, & detrimento ut patet hoc exemplo. Diuès missit prandium splendidum Capucinis admonendo illos prius de tali prandio, retinendo tamen sibi dominium, ac proinde tradendo prandium reuocabiliter, & cum omnia iam parata essent, & apposita mensæ Fratrum, comparuit dominus cum seruis suis, & omne prandium reduxit domum suam, excusando se cum Fratribus, quod illud non donauit irreuocabiliter, sed tantum reuocabiliter tradidit, cum Fratres non possint aquirere dominium rerum nec proprio nomine, nec nomine monasterij, ideo putauit se non facere illis iniuriam: Quilibet sane mentis cogitet an iure, an iniuria id acciderit, est hoc graue unlnus gulæ indigentis. Quod si Capucini inuitassent ad prandium extraneos, posset illorum portionem auferre, quia dedit pro monasterio, non pro extraneis, unde ea reuocabilitas proprie est conditio, qua neglecta datum non àquirtur.

Duodecimo, ex distinctione usus iuris, seu dominij ab ipsa re consumptibili secundum priorem sententiam, Cardin. de Lugo disp. 2. de iust. num. 50. dubitando ait, religiosum inuitatum ab amico ad prandium, qui reseruauit sibi dominium ciborum, non peccare contra uotum paupertatis manducando absq; licentia superioris in domo inuitantis; peccare uero si eosdem cibos receptos manducet in sua cella. Refert disparitatem, quia in primo casu manducans uidetur se habere solum quasi passiue, ut dominus utatur suis cibis in eius persona religiosi, ita quod ipse dominus moraliter loquendo utitur illis cibis dum presens est, ac si illos consumeret suis manibus. In secundo casu religiosus censetur uti illo cibo ex facultate domini. Cum quo scripsit Diana par. 7. tract. 11. resol. 18.

26 Caramuel in sua Theologia fundamentali sub num. 1428. contra vtrumq; inuehitur, & probat comedere esse actum dominij, quia nemo potest cibos destruere, nisi qui illorum est dominus, quia comedere nomine alieno non uidetur esse possibile, aut si subtilitate aliqua interposità possibile fit, hoc in mundo non practicatur. Respondendo directæ ad illos duos casus dicit supposito, quod quis posit comedere nomine alieno, apud quem remaneat dominium, & usum iuris, posse dominum mittere cibos ad religiosum, ac si esset secum in prandio. Non inuenit ergo discrimen Caramuel in utroq; casu, siue religiosus comedat extra conuentum, siue in conuentu, inscio, uel inuito Superiore. Et probat non dari hoc discrimen, quia presentia domini, in qua ponunt discrimen, non requiritur, nec abest, quia posset uenire ad monasterium, & cum Fratre comedere ne uiolaret uotum paupertatis, sicut ab ea excusatur comedens in domo domini præsentis, & cum religioso comedentis. Siue ergo adsit, siue absit præsentia domini nihil prodest, non enim præsentia excusat à furto, sed consensus, & qui te præsente nomine tuo loquitur, recipit pecuniam, cibos &c. eadem facere poterit te absente eodem tuo nomine, ergo tuo nomine comedere poterit, siue sis

presens

præsens, siue absens. Concludit ergo Coram, sub num. 1429. religiosum comedentem esse verum dominum ciborum, quos comedit inscio superiore, vel contra eius prohibitionem, & non peccare contra votum, sed contra obedientiam, quia nulla est religio, quæ lege pænali omnes clandestinas comessationes non interdicat.

37 Dictum de Lugo videtur fundari in ea iuris regula 68. vulgarizata his verbis. *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur*. Dominus ciborum videtur manducare per seipsum, dum manducat per religiosum, dum ipse religiosus videtur habere non tam vsum actiuum, quam passiuum, hoc est, solum se habere quasi passiue, vt in eius persona vtatur cibis, qui eum inuitauit, religiosus conterit cibos nomine domini, ergo dominus ipse per seipsum videtur manducare, dum cibis vtitur suis in persona religiosi. Sed illa regula applicata hic casui subsistere non potest, ergo nec ipse casus. Probatur consequentia, quia ille dicitur facere nomine alieno, & per alium seu pro alio, qui non solum sibi prodest, sed etiam alteri, pro quo facit, certum autem est, religiosum manducantem gratis ex cibis domini sibi solum prodesse, & non domino, cui potius nocet licet volenti, dum destruit eius cibos. Confirmatur, quia quærens alterius auxilium, seu operam, id petit in propriam vtilitatem, religiosus ergo manducando cum sibi tali prosit, vt patet in gusto, & alimento, non potest se habere nec quasi passiue, quia reuera dominus non vtitur cibis in persona religiosi, cum ipse non manducet, sed religiosus sibi illis vtatur cibis.

Decimo tertio, de Lugo ea disp. 2. de Iust. num. 45. respondet supradictis argumentis, ea procedere de vsu irreuocabili, non reuocabili, ad quem non extenditur definitio vsus iuris salua rei substantia, illud enim est inseparabile transiens cum ipsa irreuocabiliter concessa, hoc vero est separabile, immo separatum ex illa reuocabilitate, non habet ergo ius vtendi, prout ponitur in illa definitione. Sed ex dictis hæc responsio sublata fuit, dum probauimus non dari huiusmodi distinctionem traditionis rei reuocabiliter, & irreuocabiliter.

Dices, prædicta sunt contra declarationem Nicolai III. qui decreuit, Fratrem Minorem habere solum purum vsum facti, & vsum iuris remanere apud dantem rem mobilem, dominium vero immobili vsu aquiri sedi Apostolicæ, quia Fratres minores in communi, & in particulari sunt incapaces dominij.

Resp. Cum Ioannes XXII. posterior illo declarauerit, vsum iuris non esse separabilem a re consumptibili, quod diximus non esse contra declarata ab eodem Nicolao, cui non contradixit Ioannes, vt ipsemet testatur in sua extrauaganti, quare Frater Minor recipiendo rem primo vsu consumptibilem aquirit monasterio vsum iuris, & sibi vsum seruilem de licentia sui superioris.

Nota hic, quod Nicolaus III. in condenda Bulla sua vsus fuit studio & affectione Fratrum eiusdem Ordinis, qui erant Hieronymus Asculanus Prænestinus, & Bentiuenga Hostiensis Episcopi Cardinales, & Bonagratia nouus Generalis, vnde mirum non est, si curarunt, vt in hac re Pontifex rigorose, procederet, Vading. tom. 2. Annal. ad annum 1279. editionis huius Bullæ. Est autem is Nicolaus III. non IV. vt multis probat idem ibidem num. 12. Cum autem Ioannes XXII. qui erat vir doctissimus vtriusq; iuris, e[illegible]ectus

fuisset de controuersijs antiquis, & de nouo excitatis decreuit, visum iuris esse inseparabilem ab ipsa re consumptibili, nec id obstare declarationi Nicolai IV. huic constitutioni standum est, & de facto statur Fratribus, qui esculenta, & poculenta recipiunt, quorum ius aquiritur monasterio, & ius seruile ipsis Fratribus in singularibus vtentibus, neq; enim inter mille seculares, qui elemosinas conferunt, sciunt, aut volunt sibi reseruare aliquod ius in re tradita, sed omnino rem traditam in elemosinam à se irreuocabiliter alienant.

Quæres II. An potestas, quam habet superior regularis in suos subditos imtandi eorum vota &c. pertineat ad dominium proprietatis, an iurisdictionis? Idem queritur de potestate dominatiua patris erga filiòs, domini erga seruos mariti erga vxorem.

38 Resp. spectat ad dominium proprietatis, non iuris dictionis, quia potissimum respicit interesse dominantis, qui vult, vt subiectus nihil disponat dè rebus independenter ab eius voluntate, adeo quod subditus voto, vel iuramento se obligans habet aduinctam hanc conditionem: *Si placuerit domino*. Confirmatur id quia pater, dominus, & maritus erga suos nullam habent iurisdictionem, & tamen eis dominantur, ergo hoc dominium est proprietatis, & non iurisdictionis. Ita Sayr *lib. 6. cap. 10. num. 7. §. Hinc est, Sanch. lib. 4. cap. 24. num. 5. Tlaus, de Voti relaxat. p. 1. nam. 3.*

Quæres 12. An Pater. Maritus, & Dominus profitentes in religione perdant hoc ius dominatiuum erga suos.

39 Resp. affirmatiue, quia professione abdicant a se omne ius proprietatis ex hactenus dictis, ergo & hoc, quod spectat ad dominium proprietatis. Confirmatur, quia isti in tantum habent eam potestatem in quantum possunt irritare vota, & iuramenta, quæ illis præiudicare possunt facta à suis subditis; sed post pro professionem illis in nullo preiudicare possunt, quia amplius non sunt domini suorum bonorum, quæ reliquerunt, ergo nec amplius habent potestatem dominatiuam, quæ fundatur in dominio proprietatis. Præ-

40 ræterea filius professione patris liberatur à patria potestate, quo ad odiosa, non quo ad fauores, *Sanchez lib. 5. Cap. 5. num. 29. & 30.* Qui enim possidetur possidere non potest *l. Homo liber 54. ff. de acquir. rer. dom. l. sic euenict 21. ff. ad leg. Pul. de adulter. glos. in cap. Non dicatis 12. q. 1.* Ita Megal. *l. 2. lib. 2. cap. 6 num. 6. Faber disp. 45. de Restit. num- 21.*

Quæres 13. Quid sit administratio? Et an religiosi sin capaces illius, non obstante voto paupertatis?

42 Resp. administratio est ius gubernandi, & distribuendi bona ecclesiastica indigentibus nomine ipsius ecclesiæ, iuxta commissionem ipsi administratori a lege, vel superiore traditam, cuius viris capax est religiosus nòn solum respectu bonorum ipsius religionis, verum etiam extraneorum de licentia sui superioris.

Dixi 1. quod est ius, & non dominium, quia habens administrationem non proprio, sed alieno nomine gubernat bona aliorum, & non propria ex, eo capite, quod est administrator. Apellatur etiam Procurator, Syndicus & alijs nominibus, vnde in Cap. Saluator 8. 1. 9. 3. dicitur *Nomine vero Procuratoris intelligit præfacta Synodus quemlibet ecclesiasticarum rerum Administratorem*. Et in cap. Cum ad monasterium.

Dixi 2.

Dixi 2. iuxta comissionem sibi factum, quia cum non sint domini rerum, sed earum dispensatores, & conseruatores, suo arbitrio non possunt de bonis eorum fidei commissis disponere, sed ad formam mandati, cuius fines excedere non possunt. *Peyrin. de subd. q. 2. Cap. 2. Notab. 2.* & alij omnes.

43 Dixi 3. quod religiosi huius iuris sunt capaces respectu bonorum sui monasterij, quia id ius non est dominium, nec proprietas in ipso administratore, nam isti officiales necessarij sunt, & de illis fit mentitio *in cap. 2. & 6. & fin. de statu monach.* Et potest esse ipse superior vel alter, cui ipse dederit in mandatis comissionem, *Nauar. tom. 2. com. 1. de Regul. num. 14. Peyrin. de subd. q. 2. cap. 2. Notab. 2. Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26.* Superiores, qui possunt esse administratores non remouentur nisi ex causa legi-

44 tima, alij vero non electi, sed à solo superiore deputi ad illius nutum remoueri possunt, quia sunt arbitrarij quo ad tempus positi sine limitatione temporis, ex extrauag. Cum non nullæ, depræhend.

Dixi 4. posse etiam habere administrationem bonorum extraneos, de licētia tamen superioris, vnde possunt esse executores testamentorum, & distibutionum elemosinarum, quia cum id non sit dominium, nec proprietas, sed opus caritatis, quod illos decet, possunt vi administrare; de qua re infra, cum sermo erit de testamentis.

Quæres 14. Quid sit peculium? Et an religiosi sint illius capaces?

45 Resp. Peculium dicitur á pecude, seu á pecunia, quo nomine venit quælibet res, seu bonum tam mobile, quam immobile; & eius quinque sunt species, nempe Protectitium, Aduentitium, Castrense, & quasi Castrense, & Monachale, seu Religiosum, quod respicit religiosos, qui eius capaces sunt. Adest in iure Ciuili. *tit. de Peculio, tam. in ff. quam in C. Azor. lib. 12. cap. 9. q. 1. Peyrin. de Subd. q. 2. cap. 2.*

46 Profectitium est omne id, quod filius aquirit á patre viuente, vel eius causa, occasione, vel nomine ad eum proficiscitur. Eius autem dominium, tam directum, quam vtile est apud patrem, qui filio dare potest eius simplicem administrationem, quam pro suo arbitrio reuocare potest expresse, vel tacite, *ex allegatis à Gratiano Cap. 505. num. 5. cap. 663. num. 7. Less. lib. 2. cap. 4. num. 7. & 9. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 24. Faber disp. 45. de Restit. n. 9.* Qui cum Nauara, num. 13. ait, quandoq; misceri cum aduentitio, quando scilicet vnus ex filijs cum patre laborauit in aquirendis bonis, & non alijs iustum enim est, vt in diuisione plus habeat, qui liberauit alijs, qui non sudarunt in aquirendo.

47 Aduentitium peculium est quodcunq; bonum à filio aquisitum extra bona paterna, quouis alio modo, quam a patre aquisita, siue á matre, siue ab aljis consanguineis, aut extraneis, aut proprio labore, & industria. Huius peculij proprietas est æpud ipsum filium familias; Vsusfructus vero stat apud patrem, uel Auum. Instit. *Per qu is personas nobis aquir. l. Cum oportet C. de bonis, quæ liber, lib. 12. Mezal. l. 2. lib. 2. cap. 3. num. 3. & supracitati.*

48 Castrense est peculium in bello, seu occasione belli, aquisitum. Est totum filij quo ad proprietatem, & vsumfructum, ac proinde cum in eo habeat plenum, & perfectum dominium de eo disponere potest pro suo arbitrio independenter á patre. Ita Faber *cit. disp. 45. num. 16. Lessius lib. 2. cap. 4. num. 8. Azor. part. 2. lib. 2. cap. 23. q. 1. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 37.*

49 Peculium quasi Castrense est illud, quod filio prouenit ex aliquo officio publico, e.g. magistri, iudicis, notarij, aduocati, medici, chirurgi. & similium, quorum ministerium respicit commune bonum reipublicæ. Pa-
50 riter quæcunq; ab eo aquisita post Clericatum, sunt sub genere quasi Castrensium. Horum dominium tam directum, & proprietas, quam vtile, & vsusfructus spectat ad ipsum Clericum. Ite Faber *disp. 45. num. 16. de Castrensibus, & quasi Lessius lib. 2. cap. 4. num. 7.* de bonis Clericorum, quæ vocantur quasi Castrensia, sunt enim milites Christi, *Barb. ad l. fin C. de ininoffic. testam. num. 4. & 5.* in specie de Clerico citat. Doctores. Et de Clerico rem ipse tractat. *Sanch. lib. 7. cap. 13. q. 2. à num. 23. Barb. Authen. Præsbiteros post l. 32. C. de Episc. & Cler.*
51 Dixi aquisita post clericatum, quia aduentitia antea aquisita non transeunt in quasi Castrensia, & ideo vsusfructus eorum manet adhuc apud patrem, neq; enim æquum est, vt clericatus noceat patri. Sanchez. lib. 7. cap. 13. num. 26. Aduentitia vero aquisita post clericatum fiunt quasi Castrensia, & pleno iure pertinent ad clericum, quia dicuntur aquisita intuitu clericatus; Est communissima sententia *apud eundem Sanchez num. 31. Barb. in di-*
52 *cta Auth num. 6.* Clerici à prima tonsura vsque ad Sacerdotium inclusiue dicuntur esse sub patria potestate. Ita *Boerius decis. 121. num. 12. Rebellus de obligat. iust. par. 2. lib. 1. q. 8. sect. 6. num. 60. Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 37. Barb. ad dictam Authent. num. 9. Faber disp. 45. num. 21.* vbi, quod solus
53 Episcopatus liberat à patria potestate, *cap. Per uenerabilem, Qui filij sint legit.*
54 Bona vero profectitia etiam aquisita post clericatum, talia remanent, & nullatenus transeunt in quasi Castrensia, quia Authent. clarè loquitur de solis bonis, quorum Clericus dominium aquirit, ibi: *Res ad eorum dominium venientes.* Profectitia autem non veniunt in dominium filij, sed patris, ergo apud eundem remanent quo ad proprietatem, & vsumfructum Ita *plerinq; citati à Sanchez lib. 7. cap. 13. num. 28.* contra paucos.
55 Prædicta autem locum habent respectu omnium clericorum etiam primæ tonsuræ, ipse enim tonsuratus de laico fit clericus & ponitur in statu clericali, ergo cum sit clericus in hoc æquiparandus est cum alijs. Ita de communi Sanch. num. 33.
56 Peculium monasticum est omne illud, quod à superiore conceditur professo ad subleuandas proprias indigentias, non absolute, sed ad nutum suum reuocabile, non quo ad dominium proprietatis sed tantum vtilitatis ipsius, cui conceditur. De hoc peculio fit mentio cap. 2. de statu monach. his verbis *Monachi peculium non permittantur habere.* Et infra *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit illi proiniuncta administratione permissum à communione remoueatur altaris.* Declaratur præmissa definitio.

Dixi 1. Peculium monasticum omne id quod conceditur à superiore, quo venit non solum res quælibet, vt vestis, liber, pecunia, sed etiam liuellus census, &c. his enim omnibus religiosorum indigentia subleuatur.

Dixi 2. quod conceditur à superiore, quia sine eius licentia nihil recipere potest, neque de bonis monasterij, neque de bonis extraneorum, ut exprimitur id in singulis Regulis, vt dicam suo loco.

Dixi 3. Ad eius nutum reuocabile, quia peculio professus vtitur depen

dennter

ter à ſuperi ore concedente, & non aliter cum non ſit proprietarius peculij ſed tantum habeat vſum iuris ſeruilem, & non rei proprietatem.

Dixi 4. per eam licentiam non conce di proprietatem, ſed tantum vſum iuris, vt eo, licite vti poſsit, neq; enim Papa poteſt diſpenſare, vt religioſus vtatur re tamquam propria, quia id eſſet illa vti independenter à voluntate ſuperioris, & nomine proprio, quod pertinet tantum ad dominum propietarium. Et ſic religioſo prohibetur peculium in citato cap. 2. de ſtatu mon.

CAPVT

CAPVT III.

Quid disponant quatuor Regulæ principales circa Votum Paupertatis.

1 *S. Basilius dedit suam Regulam 369. obijt 380.*
2 *Voti solemnis mentionem facit.*
3 *Alimenti, & victus nomine quid veniat?*
4 *Rerum non habent dominium.*
5 *Sed vsum reuocabilem ad nutum superioris.*
6 *S. Augustinus suam confecit Regulam 397. obijt 433.*
7 *Proprium suis interdicit, nec literas recipiunt.*
8 *Renuntiarunt non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus.*
9 *Nisi de licentia recipere, dare, aut habere possunt.*
10 *Religiosi Sanctorum Basilij, & Augustini vocantur Fratres.*
11 *Tres sunt actus proprietatis dare, recipere, & retinere.*
12 *S. Benedictus suam confecit 495. obijt Cassini 543.*
13 *Non habeat proprium, nec graphium.*
14 *Prohibet dare, recipere, & habere.*
15 *Corpora, & voluntates non habent in sua potastate.*
16 *Non est proprietarius contrectans de licentia Abbatis.*
17 *Licentia expressa, vel tacita ex S. Benedicto.*
18 *Graphium est calamus ferreus stilus ad scribendum.*
19 *Litteras, & munuscula nec dare, nec recipere.*
20 *Datum à parentibus Abbas alijs distribuire potest.*
21 De præcepto .i. *de licentia.*
22 *Vnicam tunicam dat suis Basilius. duas Benedictus.*
23 *Eulogia sunt munera, quæ dantur superioribus.*
24 *S. Franciscus suam confecit 1208. confirmatam 1223. obijt 1226.*
25 *Pecuniam nec de licentia recipiunt, minus expendunt.*
26 *Stabilia in communi habere prohibentur, non mobilia.*
27 *Præfatę quatuor Regulę concedunt superioribus, vt licentient suos ac vsum rerum.*
28 *Solum Sanctus Franciscus negat id in ordine ad pecunias.*
29 *Regula Tertij Ordinis à S. Patre Francisco composita.*
30 *Proprietas arcetur ab hoc ordine.*
31 *Datum pro aliquo religioso non potest superior tradere alijs.*
32 *De licentia possunt honeste contrahere, & negotiari.*
33 *Viuunt in communi, quia communitati aquirunt.*
34 *Datum ob causam, ea non adimpleta restituendum est.*
35 *Regula Leonis X. nec ad veniale obligat præpter vota.*

1 San-

1 SAnctus Basilius ex Basilio, & Æmilia nobilibus parentibus Capadox, di-
gnitate Archiepiscopus Cæsareæ, ob preclaras virtutes Magnus appel-
latus, animaduertens Monachos in solitudinibus errantes sine certa Regula,
præter Iesu Christi Euangelium, propter persecutionem inimicorum fidei
Christi, relicta communi vita ab Apostolis cum Christo peracta, ad ean-
dem primum reduxit, componendo eis Regulam annò *369.* secundum quam
in communi viuere deberent, quam ad verbum refert Tambur. tom. 5. de
iure Abbatum disp. 24. q. 3. obijt autem vir Dei anno 380. Aliquid referam
spectans ad votum Paupertatis.
2 De professione facienda à monachis sui ordinis mentionem facit interrog.
14. & vocat votum solemne ibidem. Interog. 22. statuit quod sint contenti
uictu, & vestitu secundum Apostolum 1. ad Timoth. *6. 8. Habentes alimen-*
3 *ta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Nomine alimenti veniunt ea omnia,
quibus religiosus indiget respectu sui status, hoc est, cella, lecto, scabello,
libris, & eius generis, quæ decent statum religiosum. Interrog. 23. indi-
cit eis habere vnicam tunicam. Interrog. *39.* præscribit modum vendendi in
nundinis laboribus, & artificio aquisita ad mutuam ædificationem, & ad
perfectam conseruationem victus quotidiani de licentia superioris, vt ibi di-
4 citur, & interog. 41. his verbis *Veruntamen, neq. qui artes tractant, ij pertinen-*
tium ad illas ipsas instrumentorum vindicare sibi dominium debent, ita videlicet,
vt aut Antistiti Fratrum in arbitratu suo vtendi potestatem non faciant, ad quam
ipsecumq; rem velit, aut eorum ipsi, vel vendendorum vel permutandorum, aut
alioqui alienandorum ad arbitrium reuocent suum &c. Palam ex his est, mona-
chum non habere dominium earum rerum, quibus vtitur, sed in vsu depen-
5 denter ab arbitrio superioris ad cuius nutum rem resignare debet. Hæc col-
legi ex dicta Regula, quæ omnium dicitur prima.
6 Secunda Regula dicitur D. Augustini, quam confecit pro clericis Canoni-
cis Regularibus nuncupatis Lateranensibus, qui ab Apostolis proficiscentes
antea S. Dei Euangelium pro Regula habuerunt. S. Augustinus suam confe-
cit anno 397. ex Penotto eiusdem ordinis alumno *lib. 2. Histor. cap. 4. apud di-*
ctum Tamb. tom. 2. disp. 24. quæst. 4. num. 2. Migrauit ad Christum anno 433.
sequentia autem habet pro custodia voti paupertatis, relatus cap. *Non dicatis*
7 12. q. 1. *aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Quicumq; autem in*
tantum progressus fuerit malum, vt occulte ab aliquo acceperit literas, vel quod-
libet munus acipiat, si hoc vltro confitetur parcatur illi, & oretur pro illo.
Cum huius nostræ Congregationis Fratres, non solum facultatibus, sed volunta-
8 *tibus proprijs in ipsa ordinationis susceptione renunciauerint, & se per promissam*
obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo
9 *subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere si-*
ne superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet Fratrum
cuiquam aliquid offerre voluerit primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipia-
tur, si ipse mandauerit. De quo tamen nihil fiat, nisi quod Priori placuerit.
10 Nota *primo*, quod Clerici huius professionis vocantur Fratres, sicut & S.
Basilius in sua Regula appellantur Monachi Fratres quod vocabulum nostris
temporibus dedignantur, quo nihilominus Christus suos discipulos Fratres
vocitabat, & seipsum illo non semel nuncupauit. *Secundo* prohibet illis habe-
re proprium, quia illi renunciarunt in sua ordinatione idest, professione ex
titulo

titulo voti paupertatis, siue illud sit magnum, seu paruum, cum nec literas propria auctoritate recipere possint. *Tertio*, quoniam ex voto obedientiæ renunciarunt proprijs voluntatibus, si illis aliquid offertur, vel ipsi alij offere volunt, vt valeant recipere, vel dare, necesse est, quod habeant licentiam à superiore secundumq; illius placitum de re disponant. *Quarto* de
11 tribus actibus prohibitis ex vi voti paupertatis hic fit mentio, qui sunt, possidere idem quod habere, dare & accipere, quibus adieci quartum, quod est consumare, & perdere Cap. 1. num. 26.

12 Tertia Regula est Sancti Benedicti, qui natus anno 480. mundum reliquit 494. à loco Sublaci, vbi initium vitæ monasticæ dedit, secessit Casinum, vbi Regulam composuit, & ibi miraculis, & sanctitate clarus ad Christum migrauit anno 542. vel 543. die 21. Martij, Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 5. nu. 3. ex cap. 33. Si debeant Monachi proprium aliquid habere, sic statuitur.

13 *Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis, neque aliud habere proprium; nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in pro-*
14 *pria potestate. Omnia vero necessaria à Patre Monasterij sperare. Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit Act.* 4. omniaque omnibus sint communia. *Vt scriptum est. Nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum. Si non emendauerit, correptioni subiaceat.*

15 Notantur hic in primis tria vitia proprietatis hic prohibita, Dare, Recipere, & Habere, scilicet, propria auctoritate, & vsurpatione, quod arguit proprium, si fiat sine licentia Abbatis, vt insinuat illud verbum *iussionis*, quod explicatur per sequentia: *Non dederit, aut permiserit*, hoc est, non dederit ipse immediate rem, vel licentiam dandi, recipiendi, vel habendi, licentia ergo legitima religiosum de propietario; qui alias esset, si contristaret sine licentia, facit non proprietarium tollendo crimen proprij, vn-
16 de omnes Theologi asserunt religiosum dantem, vel habentem, uel recipientem de licentia Abbatis iusta, & legitima non esse proprietarium, nec facere contra votum paupertatis, cum Canon. *in cap. 2. & 6. de statu monach. Rota par. 2. Diuers. decis. 216. num. 12. Honded. vol. 2. cons. 78. num. 44. Sperell: decis. 2. num.* 73. & alij omnes, vt patet manifeste ex Regulis prædictis.
17 *Secundo* ex illis verbis; *Dederit, aut permiserit*, colligi duplicem licentiam, quæ impedit, ne contrectans fiat proprietarius, nempe expresam, & implicitam, seu presumptam, de quibus in proprio capite agam. *Tertio* nomi-
18 ne *Graphij* uenit stilus ferreus, quo antiquitus solebant scribere, & sic calamus, Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 11. *Quid digito opus est graphium laxare tenendo*. Accipi etiam potest hic pro gladiolo ad scindendum panem.

In cap. 54 Vt non debeat Monachus literas. vel eulogia accipere.

19 *Nulla tenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, aut eulogia, vel qualibet munuscula accipere aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à Parentibus suis ei quicquam directum*
20 *fuerit non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud dare iubeat, & non contri-*

stetur

stetur Frater, cui forte directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.

21 Statuit, ne quis etiam à parentibus recipiat quicquam etiam minimum vt sunt literæ, & munuscula, nisi *de præcepto* idest de licentia Superioris. Nota quod Abbas recipiens aliquid à parentibus monachi destinatum ad vtilitatem illius, debet illud tradere eidem ad vsum, ne contristetur Fratres, & detur occasio diabolo obloquendi, cum datum ab causam, ea non secuta, non dicatur aquisitum monasterio, sed sit reddendum tradentibus, vtatur ergo monachus dato, sed cum dependentia à superiore.

22 In sequenti capite 55. designantur vestimenta pro eorum necessitatibus, duæ scilicet tunicæ, & cucullæ, superfluis amputatis. Indulgentior fuit S. Benedictus S. Basilio, qui vnicam tunicam suis dabat, supra num.

23 Eulogia sunt dona, & munera, quæ vel gratis dantur, vel in recognitionem superioritatis data à subditis suis superioribus, Glos. V. de eulogijs cap. De eulogijs 8. dist. 18. Prohibentur ergo religiosis inter se, & cum extraneis.

24 Quarta Regula est S. Patriarchæ nostri Francisci ab eo confecta anno 1208. confirmata viuæ vocis oraculo ab Innocentio III. anno 1210. ab Honorio pariter III. per Bullam incip. *Solet annuere* V. in B. N. 3. Calend. Decembris 1223. quantum spectat ad votum papertatis dixi plura cap. 2. n. 30. Vbi dixi, quod suis alumnis rigorosè prohibuit etiam simplicem vsum pecu-

25 niæ, ita quod si Fratres illis indigent ad emendum ea quæ necessaria sunt pro infirmis, & indumentis Fratrum, id facere debent per suos amicos spirituales, qui vocantur Syndici, aut Procuratores, nullatenus ergo pecunias tangere possunt expresse cap. 4. in cap. 6. dicitur *Fratres nihil sibi appropient*,

26 *nec domum, nec locum, nec aliquam rem* Nota bene *Fratres sibi nihil approprient*, hoc est ad propriam vtilitatem, & commodum, quia vouerunt viuere sine proprio, sicut religiosi aliorum Ordinum. *Nec domum, nec locum*, hoc est, rem stabilem, non solum sibi, sed nec ordini, propter locum habitationis, qui est monasterium, quia viuere debent ex elemosinis, non ex redditibus domorum, & possessionum, atq; aliorum immobilium, vt importat etiam illud *nec aliquam rem*, scilicet immobilem, & fructiferam, quia ex elemosinis viuere debent. Non negat ergo aquisitionem elemosinarum quæ fiunt ipsi monasterio, quod illarum habet dominium, & proprietatem ex allatis preced. cap. in sententia Ioannis XXII.

27 Sufficiant in exemplum allatæ Regulæ pro voto Paupertatis, vsi principaliores, ad quarum normam cæteræ aliorum ordinum quo ad hoc votum parum differunt compositæ, quibus apparet vitium proprietatis impediri per legitimam licentiam, quam dare possunt superiores contrectandi peculium sine læsione voti paupertatis, præsertim ex Regulis SS. Basilij, Benedicti, & Augustini, a quibus nec dissentit S. Franciscus, qui licet non faciat mentionem de huiusmodi licentia, non tamen eam negat superioribus, nisi

28 in casu contrectationis pecuniæ, cum in alijs uideatur necessaria, & talis sit in ordine ad uictum, & vestitum.

29 Aliquid supponam de voto eodem ex Regula mei Ordinis composita à S. Patre Francisco anno 1221. viue vocis oraculo confirmata ab Honorio III. eodem tempore, & à Nicolao IV. per Bullam incipit *Super montem* 2. in B. N. approbata anno 1289. 16. Cal. Septembris, Et quia erat pro personis

laribus nihil disponetur in ea de voto Paupertatis, sed nostri Fratres dicti Tertij Ordinis circa 1300. se erexerunt per solemne votum professionis in religionem, ideo Regulam eandem accommodarunt ad statum religiosum, iuxta quam nunc profitentur. De voto autem Paupertatis sub cap. 10. **Sint Fratribus communia omnia**, sic disponitur.

30 *Legitimus ineunte Ecclesia, omnes, qui credebant, fuisse pariter, & habuisse omnia omnino communia. Eorum igitur vitam affectantes mandamus, vt omnes nostræ Congregationis Fratres, iuxta Apostolica priuilegia, in communi viuant. Neque etiam sine Ministrorum licentia sub pretextu emendi Breuiaria, vel alios libros, seu qualibet alia, propriam, priuatamq; pecuniam habere, ac retinere possint. Etenim eam ipsam suis Ministris tradere debent, vndecunq; eam lucrati sint, aut acceperint. Tradita sibi pecunia Ministri tradentium in-*
31 *digentiæ subueniant, ne male audiant, alijs tradita maledicendi occasione. Itaque nullus ad professionem recipiatur, nisi omne peculium, aut patrimonium reliquerit, se quæ in communi victurum esse promiserit. Neque possit quispiam agere, negotiari, emere, vendere, vel commodare quicquam, Ministri venia non impetrata.*

32 Nota primo, quod in hoc capite indicitur vita communis, quia id proprium est religiosorum, qui sicut non sibi, sed communitati aquirunt, ita & de communitate viuere debent. *Secundo*, de licentia sui Ministri, qui nunc ex vsu apellatur Prior, possunt habere, & retinere pecuniam pro suis licitis, & honestis vsibus. *Tertio*, data pecunia conuentui pro vtilitate alicuius particularis Fratris, superiores, illi tantum, & non alijs de dicta pecunia subuenire debent, quia à benefactore, vel amico, seu consanguineo destinata est in eius commodum, & non alterius, aliter eam impedens re-
33 stituere tenetur tradenti, datum enim ob causam, ea non secuta restituendum est ff. de condict. causa data, causa non secuta per totum. *Quarto*, in professione debet renuuciare, & relinquere peculium, etiam patrimonium, quia illud deinceps retinere non potest, vt suum proprium, quia professione transit sub dominium, & proprietatem conuentus ex Auth. Ingressi, vt latius dicam suo loco, vnde illius vsumfructum expectare debet à superiore, qui illum pro alijs expendere non debet, si sibi vsum reseruauit iuxta morem religionis, id est conforme precedenti tertiæ notationi. *Quinto* demum professus nullum potest inire contractum mobilium sine venia, idest licentia Ministri.

34 Leo X. in sua incip. *Inter cætera* 42. in B. N. Regulam præfati Nicolai IV. quæ erat pro Tertiarijs secularibus accomodauit Regularibus eiusdem ordinis, quam modo profitentur Galli, & Hispani, non vero Itali profitentes eam Nicolai prout intersum in nostris statutis, de voto Paupertatis cap. 10. postquam dixit, contenta in Regula esse consilia, & non obligare neq; ad veniale, subiungendo: *Obligantur ad tria vota essentialia, Paupertatem, nihil habendo in speciali*. Igitur hoc commune habeat cum cæteris religiosis, quod nihil sibi appropriare possunt.

CAPVT

CAPVT IV.

Quid disponat ius Canonicum, & Ciuile de Proprietate Conueutuum, & eorum Religiosorum?

1 *Leges de voto paupertatis sacris Canonibus firmantur.*
2 *Vrbanus 5. de vitio proprietatis.*
3 *Concilium Lateranense de eodem extirpando.*
4 *Administrationis capax religiosus.*
5 *Innocentius III. de vitio proprietatis tollendo.*
6 *Proprium superior concedere non potest.*
7 *Concedit aliquid sed reuocabiliter.*
8 Obedientiæ *nomine venit administratio.*
9 Sub obtestatione diuini iudicij, & stricte *quid importent.*
10 *Administratio alicui committi potest ad nutum.*
11 *Peculium reuocabile concedere possunt.*
12 *Prædicta iura sunt conformia Regulis SS. Institutorum.*
13 *Tridentini decreta contra vitium proprietatis.*
14 *Diuiduntur in quatuor partes.*
15 *Difficultates super dicta decreta proponuntur.*
16 *Concilium ius nouum non condit, sed antiquum firmat.*
17 *Nec Papa contra Regulas statuit.*
18 *Crescere nemo cogitur.*
19 Deinceps *non importat nouum ius.*
20 *Peculium non conceditur ad vsumfructum*, & *commendam, vt sit secularibus.*
21 *Responsa S. C. quando nam obligent vt leges.*
22 *Declaratio legis promulganda vt obliget.*
23 *Possidere aliquid vt proprium, & nomine conuentus.*
24 *Dominium etiam vtile irreuocabile prohibetur.*
25 *Peculium in commendam, & vsumfructum more secularium vetatur.*
26 *Transfere potest ius vtendi in professum, sed reuocabiliter.*
27 *Incorporatio quomodo stat?*
28 *Ius hereditatis, & donationis &c. non est incorporatio.*
29 *Administratio est ius gubernandi aliena.*
30 *Superiores ad nutum, sed iustum remouent officiales.*
31 *Remouentes vero ex culpa debent eos citare.*
32 *Electos vero à communitate ad nutum reuocare non possunt.*
33 *Episcopi, & alij prælati non priuantur inauditi.*
34 *In concessione peculij datur ius vtendi.*
35 *Sicut à Papa conceditur dominium vtile sine violatione voti.*
36 *Peculium irreuocabiliter concedi non potest.*
37 *Necessarium quid dicatur religiosis.*

38 *Superfluum quid dicatur eisdem?*
39 *Leges quid disponant de abdicatione proprietatis?*
40 *Authent.* Ingressi *extenditur cum alijs.*
41 *Professus recedens non recuperat dedicata Deo.*
42 *Ante ingressum, idest professionem potest de suis bonis disponere.*
43 *Professione secuta, bonorum fit dominus monasterium, licet nouitius nihil dixerit.*
44 *Monachus nihil habeat proprij, sed in communi viuat.*
45 *Ante ingressum nouitij sunt domini rerum suarum.*
46 *Non vero post professionem.*
47 *Professione anima, & corpus dedicatur Deo.*
48 *Leges præfatæ canonizantur per ius canonicum.*
49 *Monasterium sucedit in omnia professi, qui non disposuit.*
50 Ingressus *nomine venit professio.*
51 *Vt bona transeant debet valere professio.*
52 *Consuetudo derogat legi, & Auth.* Ingressi.
53 *Statutum eidem non potest derogare.*
54 *Nouitius est persona ecclesiastica.*
55 *Statuta contra Authent. damnantur.*
56 *Cur consuetudo derogat, & non statutum.*

1 IN primis referemus ad verbum textus iuris Canonici, quippe quod est præstantius iure Ciuili, ex eo, quod illud ordinatur ad bonum animæ, hoc ad bonum Corporis politici; & quia leges quæ tractant de Proprietate, & opposita Paupertate religiosorum iures recipiunt à lege canonica, sine qua obligationem aliquam non imponunt super humeros, & conscientias eorum.

2 In primis se offert Vrbanus I. filius Pontiani Romani electus 21. Octobris 223. relatus cap. Scimus 9. 12. q. 1. vbi ait: *Quicunq; vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat, sed quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi aquirat.* Votum ergo paupertatis excludit proprietatem, quæ facit irritam, hoc est, illicitam, & infidelem promissionem datam, ex quo violatur votum.

3 Concilium Lateranense relatum cap. 2. de statu monach. in quit: *Nec peculium permittantur habere* Et infra. *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum à communione remoueatur altaris* &c. *Quod etiam de vniuersis religiosis præcipimus obseruari.* Non possunt ergo religiosi, cuiuscunq; sint Ordinis, peculium habere, intellige, propria auctoritate, & contra voluntatem superioris, quia sic essent propriprietarij, & irritam facerent suam pollicitationem. Possunt ergo illud
4 habere de licentia superioris iniungentis illis administrationem, quæ non tantum est pro beneficio aliorum, sed etiam pro ipso administratore, qui non debet esse deterioris conditionis aliorum religiosorum, quibus in officio deseruit. Ita *Nauar. tom. 2. Comment. 2. de Regul. num. 14. Rodriq. tom. 3. q. 29. art. 8. Miranda tom. 1. q. 28. art. 8. Sanch. lib. 7. cap. 22. num. 5. Barb. ad hoc cap. num. 2.*

5 Innocentius III. in cap. Cum ad monasterium 6. Statuit his verbis: *Prohibemus quoq; districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis*

quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet Et infra.*Vnde si quidquam alicui fuerit specialiter designatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur* Similiter infra. *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda tamquam in sua sibi vota locetur, sed cum oportuerit amoueri sine contradictione qualibet reuocetur.*

Pro intelligentia huius constitutionis non nulla sunt obseruanda. *Primo*, in hoc capite reformari monachos S. Benedicti Scribendo Abbati Sublacensi, vt remoueat proprium à suis Fratribus, increpando super hoc Aabbates,
6 qui passim suis monachis indulgebant proprium, his verbis: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum alliquo monacho dispensare.* Præcipit autem rigorose eisdem monachis, vt proprium resignent, & quod
7 deinceps nulli concedatur proprium in sua vita possidendum, sed cum oportuerit remoueatur illud à monacho, cui fuerat concessum, peculium ergo concedi potest, sed ad nutum concedentis reuocabile.*Secundo* nomine obe-
8 dientie venit administratio, officium, seu quælibet concessio facta subdito, qui iuxta concessionem sibi factam obedire debet, & non præterire eius mandata, aliter incurrit vitium proprietatis. *Tertio* ea verba: *Districte, in*
9 *virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij.* insinuant, præceptum hoc de proprio resignando obligare sub mortali, cum sit de re graui, & cum verbo præceptiuo, secundum communem *cum Nauar. cap. 23. num. 53. Azor.par.1.lib.5.cap.6.q.4. Sanchez lib.6. cap.4.nu.43. cumalijs Pasqualig. ad Fraucum q.29. num.4. Suar. de legib. lib.4. cap. 18. nu. 3.* Obseruan-
10 dum. *Quarto*, per hanc constitutionem non prohiberi Abbatibus, quin possint alicui monacho committere aliquam obedientiam, hoc est concedere peculium non tamen perpetuo possidendum, sed reuocabile ad precedentem nutum superioris vt insinuant illa verba *cum oportuerit*, rem enim con-
11 cessam reuocare possunt, cum opus erit, & ipse superior prudenter iudicauerit, rem esse à religioso auferendam, cum scilicet ea abusus fuerit. Ita communior, & probabilior opinio, *Nauar. com. 2. de Regular. num. 14. Com.3.n.27.consf. 20.de Regul.n.5.Corduba in summa q.54.opin.2. Rodriq. tom.3. q. 29. art.8. cum suo Compend. resol. 110. n.5.Miranda tom.1.q.28.art.8. Sanch. lib.7.cap.22.n.5.cum multis alijs Barbosa ad dictum cap.2. de statu monach.n. 2.* Contra Mobanum, Felinum, & Tapiam negantes huiusmodi concessionem ex dicto cap. Vbi prohibetur permisso peculij, non absol ute, vti proprium, & nullatenus reuocabile, nam ex sequentibus verbis, & ex hoc cap.6. manifeste colligitur, superiores posse concedere illud ad licitos vsus, & ad eorum nutum reuocabile, cum oportuerit.*Quinto*, licentia, & concessio peculij appellatur in eo textu *obedientia* quia subditus obedit superiori, dum re vtitur concessa ad licitos vsus iuxta tenorem concessionis.

12 Colligitur ex præfatis tribus constitutionibus circa votum paupertatis, Vrbani scilicet I. Concilij Lateranensis, & Innocentij III.explicari mentem Sanctorum Patrum RegularumAuctorum,vt scilicet ad vnguem obseruentur ea, quæ tradiderunt circa votum paupertatis, ne quis scilicet religiosus audeat sibi vsurpare proprium, sed si quid volunt habere, iilud recipiant de licentia Abbatis, in cuius sit potestate concessum peculium reuocare, quando oportuerit, hoc enim modo professus vtens re sibi concesa dependenter

à vo-

à voluntate superioris, non dicitur violare votum paupertatis, nec fieri proprietarius, qualis est ille, qui aliquid contrectat contra voluntatem superioris, & independenter ab eius voluntate, id enim est vere proprium habere.

13 Demum Tridentinum contra uitium proprietatis ad custodiam voti paupertatis decreuit sequentia Sess. 25. cap. 2. his verbis.

Nemini igitur regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis aquisita tamquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, sed statim, ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur.

Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam.

Administratio autem bonorum monasteriorum, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles pertineat.

Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium eis denegetur.

14 Hoc caput secatur in quatuor partes, prout impressione hac singulæ indicantur. Pro cuius intelligentia proponi possunt emergentes difficultates cum earum resolutione.

15 Prima sit, an Concilium inducat ius nouum, an vero sit tantum antiqui confirmatiuum? *Secunda*, an sit aliqua differentia possidere tamquam proprium, & possidere peculium nomine conuentus. *Tertia*, an superiori omnino prohibeatur concedere vsumfructum, &c. quo ad vsum iuris tantum, & non vsum facti? *Quarta*, quid sit tradere, & incorporare conuentui tam stabilia, quam non stabilia, & mobilia? *Quinta*, an administratio in officialibus dicat aliquod ius? *Sexta*, an superiores pro suo arbitratu possint officiales remouere! *Septima*, an superiores possint mobilium vsum iuris concedere subditis? *Octaua*, an possint vsum concedere irreuocabiliter. *Nona*, quænam dicantur necessaria, quæ superiores tenentur concedere subditis? *Decima*, quænam dicantur superflua, quæ non debent concedere subditis?

16 Primæ difficultati respondetur, Concilium Tridentinum non facere ius nouum, sed vetus confirmare supra adductum, & Regulas Sanctorum Patrum quo ad votum paupertatis. Ita communior, & probabilior opinio sexdecim Doctorum, quos refert Barbosa ad hoc caput num. 3. cum Franciscanis, *Rodriq. tom. 2. q. 125. art. 4. fine, cum suo Cnmped. resol. 110. num. 5. Miranda tom. 1. q. 28. art. 8. Faber. disput. 45. de restitut. num. 125. Tamb. tom. 2. disp. 22. q. 5. num. 7. Dianæ resol. 32. de Paupert. Thomas Hurtadus Cler. Minor. in suis Resol. Moral. par. 2. tract. 8. cap. 7. sect. 1. num. 798.* vbi plures alios refert Concilium ergo nihil innouat, sed quod Sancti Patres in suis Regulis decreuerunt mandat obseruari, nec quicquam aliud statuit de nouo. Ratio est, quia si aliquid de nouo statueret, id non esset conforme ei, quod exigit votum paupertatis institutum à Sanctis institutoribus, iuxta quorum mentem noui ij profitentur seruare illud, quod in eo consistit, ut nihil accipiant, dent, aut possideant sine licentia superioris, sed semper hæc faciant dependenter ab eius voluntate; hoc idem præcipit Sanctum Conci-
17 lium, ergo nihil innouat, immo nec innouare potest contra naturam uoti, quod à nouitijs emittitur iuxta uoluntatem institutoris, & sic non contre-

ctandi

ctandi peculium contra uoluntatem superioris, & independenter ab eo; neque enim Pontifex per nouam legem, & diuersam ab ea, quam institutoribus confirmauit, potest augere obligationem uoti arg. cap. 2. dist. 74. ubi dicitur, quod nemo compellitur crescere, unde ad hoc S. Bernardus de
18 præcepto, & dispens. inquit. *Vota mea nec augeat, sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate*. Ergo nec Papa id facere debet, dum professus vouit ad præscriptum suæ Regulæ, & non aliter, & si enim votum fit emissum à nouitio ad normam Regulæ, quam profitetur, tamen cum pendeat à voluntate profitentis ea non potest coggi ad obseruationem eius ad quod se non obligauit. Et ex his facile patet responsio ad sequentia.

Contraria opinio, quod Concilium condat ius nouum, est nouem, aut decem Doctorum apud Dianam ea resol. 32. de Paupertat. qui probant primo, quia dictio *deinceps* arguit nouum ius posthac seruandum. *Secundo*, quia verba Concilij clare loquuntur, vt deinceps non permitatur peculium, vt fiebat ante. *Tertio*, quia ita declarauit Sacra Congregatio.

19 Resp. Ad primum, illud verbum *deinceps* non importare nouam legem, sed indicare modum, quem adhibere debent superiores in concedendo peculium suis subditis, hoc est, non irreuocabiliter, & quasi pro eorum vsufru-
20 ctus, & in commendam in perpetuum, vt fit secularibus ad eorum vitam, quod deinceps, hoc est, nunc, & in futurum, Glos. V. Possessione, Clem. 5. de summa Trinit. Barbosa hac dict. permitendum non est. Concilium ergo intendit remouere ab vsum introductum concedendi peculium irreuocabiliter, & ad uitam professi, sicut conceditur vsusfructus, & quod datur in commendam vsque ad uitam Commendatarij, quia religiosi hoc modo non possunt esse vsufructuarij, nec commendatarij.

Et ex hac responsione potest etiam ad secundam rationem, Tridentinum prohibere huiusmodi concessiones ad modum vsusfructus, & in commendam, quia arguunt proprietatem, ideo volens tollere huiusmodi abusus, qui irrepserant, se declarat non licere superioribus ita concedere peculium, vt antea concedebant circa stabilia, cum id sit etiam contra Regulas, & ius antiquum.

Ad tertium de Responsis Sacræ Congregationis respondeo cum Diana, & alijs de illis non constare; alias quoq; non plus eas obligare, quam ipsum Tridentinum, quod obligat superiores, ne deinceps audeant concedere peculium ad uitam, & irreuocabiliter vt conceditur usus, & vsusfructus, &
21 commenda alijs durante eorum vita. Deinde declarationes Cardinalium non habent vim legis, nisi expresse à Pontifice vt tales approbentur, sed sunt tantum doctrinales, ut docent citati à Diana ibidem resol. 32. & par. 11. tract. 8. resol. 53. Bene Vncellus tract. 2. q. 6. vbi utramq; refert sententiam, sequendo hanc, oppositum tenet P. Cotonius lib. 3. contr. 3. cap. 3. num. 50. nempe habere vim legis prodeuntis consulto Romano Pontifice, quamuis nō publicentur vt solent promulgari leges, quia nonæ leges non sunt, sed illius declarationes. Persisto in prima opinione, quod non obligant, nisi in eis fiat mentio, quod prodeant de mandato, aut approbatione sanctitatis, suę, ut colligitur ex praxi, nam aliquæ responsiones emanant approbatæ, iussæ, seu laudatæ à sanctitate eius, aliæ sine illorum expresione, quod signum est, illas obligare, non uero istas. Adde, quod legis declaratio adhuc pro-
22 mulganda, est ut obliget, *Suar. de legib. lib. 6. cap. 1. num. 3. Salas disp. 2.*

de

de legib. sect. 9. Bonac. disp. 1. de legibus p. 8. num. 4. Lorca l. 2. disp. 18. in Appendice circa finem, quos citat Vericell. tract. 2. q. 6. num. 17. Quare non obligant etiam iussæ ex mandato Papæ, nisi publicentur, cum promulgatio sit de substantia obligationis legis, & sicut lex ipsa sine promulgatione non obligat multo minus eius interpretatio, vti accessoria.

23 Secundæ respondetur, differre inter se possidere immobilia, vel mobilia tamquam propria, & possidere eadem nomine conuentus in ordine ad eam aquisitionem, quæ infert proprietatem in possidente, qui scilicet possidet titulo propriæ aquisitionis, quod directe, & immediate repugnat voto paupertatis, quo professus se reddit inhabilem ad aquirendum, vnde non sibi, sed soli monasterio aquirit; consequenter ea retinere sibi non potest, esto essent sibi soli relicta, non solum vt propria ea sibi retinere potest eo titulo proprietatis, sed nec nomine conuentus, quasi velit ea retinere solo nomine conuentus, excluso superiore, à quo nollet recognoscere rei possessionem, nullo ergo ex his modis peculium sibi retinere potest, quia arguunt directe vitium proprietatis, dum retinet inconsulto superiore, & ab eo independenter, contra Regulas Patrum, & ius antiquum, quod prohibet retentionem peculij, quod ad nutum superioris est resignandum, cum oportuerit, quia secundum proprietatem semper est monasterij.

24 Tertiæ respondetur, in Tridentino prohiberi solum, quod alias fuit prohibitum ab Institutoribus, confirmatum à iure antiquo, nimirum dominium proprietatis & etiam vtile in quantum hoc dicit independentiam à voluntate superioris, qui solum concedere potest licentiam à se reuocabilem cum opus fuerit, vt bene colligitur ex secunda parte, in qua, vt supra dixi, prohibetur concessio vsus, vsusfructus, & comendæ, intellige durante vita concessionarij, vsuarij scilicet, vsufrutuarij, & commendatarij, apud quos transit irreuocabiliter, & durante eorum vita dominium vtile rei concessæ, vt docent omnes Doctores in materia vtilis dominij. Hoc igi-
25 tur modo Tridentinum prohibet posse concedi peculium cum iure dominij vtilis, quia hoc modo religiosus possideret more secularium, quod facere non potest id interdicente voto Paupertatis, restat igitur quod possit possidere ex concessione continuo dependente à voluntate superioris, qui cum oportuerit poterit reuocare peculium concessum, & sic non dicetur concessum ad vsum, nec commendam, quæ arguunt irreuocationem. Et id magis patebit infra, dum tractabitur de licentia concedendi peculium in proprio capite.

26 Igitur superior concedendo, peculium transfert in subditum ius vtendi, quod vocant dominium vtile, & non tantum ipsum factum, non solum rerũ primo vsu consumptibilium, sed etiam, que vsu non consumuntur, cum votum directe sit abdicatio proprij, ex modo loquendi institutorum, & sacrorum canonum in hoc, & præcedenti capite, & probatis cap. 2. num. 29. ad 35.

27 Quartæ respondetur, incorporatio eorum stabilium, & mobilium, quæ professus sibi appropriauerat, fit descriptione eorum in libro monasterij, vt colligitur *ex Bart. in l. si vacantia C. de bonis vacant. lib. 10. n. 8 Rimin. Iun. vol. 1. cons. 32. Perettus in Comment. Extrauag. Ambitiosæ fol. 206. num. 69.* in terminis Riccius par. 1. resol. 75. num. 9. incorporata res dicitur, cum est descripta in libro ecclesiæ, vel ex ea fuerunt fructus collecti pro conuentu, aut de

incor-

incorporatione constat per instrumentum. Vide quæ dixi resol. 53. num. 17. & resol. 62. num. 32. Itaq. immobilium incorporatio non fit per ius hereditatis, donationis, professionis &c. sed per aliquod factum demonstrativum talis incorporationis, vt per receptionem annuæ pensionis factæ per officialem monasterij nomine eiusdem, per locationem domus, prædij &c. id enim arguit rem locatam esse iam in bonis conuentus incorporatam; sic per aditionem hereditas dicitur incorporari monasterio. Mobilia vero facilius incorporantur, sola nimirum retractione à manibus eius qui ea sibi appropriauit.
28

29 Quintæ respondetur, administratio in officialibus non est merum facti exercitium, sed ius quoddam officiali concessum quo possit iuste suum exercere officium, vt patet ex eius definitione allata cap. 2. num. 42. vbi dixi, quod est ius gubernandi aliena, & ea distribuendi indigentibus iuxta præscriptum Prælati. Nec hoc ius repugnat paupertati, cum non sit dominium, nec proprietas in officiali, sed ius cuiusdam seruitutis, in quo dependet á superiore, qui eum remouere potest ab illius exercitio, cum oportuerit.

30 Sextæ respondetur, superiorem posse pro suo arbitratu sed iusto, & prudenti remouere officiales, quos ipse posuit, cum dependeant continuo ab eius voluntate ad nutum amouibiles, vt dicit non solum Tridentinum hic, sed etiam cap. *6.* de statu monach. conformiter ad Regulas Patrum iuxta dicta præced. cap. Dixi *pro suo arbitratu, sed iusto, & prudenti*, vt insinuant ea verba *cum oportuerit* cap. *6.*eod. vt ibidem notauit sub num. 11. Amouere ergo non debent à suis officijs, nisi ex causa, facultate enim huiusmodi sibi concessa vti debent in ædificationem, & non in destructionem, aut in odium. Quod si eos velit amouere non ex arbitratu tantum, sed

31 propter malam administrationem, debet formare processum, quia nemo inauditus puniri debet, citari ergo debet officialis ad se defendendum, quare non debeat priuari officio, in quo deliquit. Ita *allegati à Sanch. lib.* 7. *cap. 29. num.* 118. *Barbosa ad cap. 2. de statu monach. num. 6.* Si vero amoueantur ex libera potestate, quam habet superior, non est opus citatione, quia non priuantur in pœnam, sed admonentur de abdicatione officij, quod renunciant de iure. Ex eisdem *Sanch. num.* 104. *& Barb. ad cap. Cum ad mo-*

32 *nasterium 6. de statu monach. num.* 7. Electi vero ad superioritatem, dignitatem, per communitatem priuari non possunt, nisi ex causa, & contra eos debent præcedere processus, & citandi sunt, vt se possint defendere, vt decreuit Leo X. in sua incio. *Supernę dispositionis 7. sub* §. 7. præci-

33 piens, vt in causis Episcoporum, & Abbatum priuandorum procedatur parte audita, quod & de cæteris dignificatis intelligendum est, nam priuatio est pœna, quæ supponit culpam, ac proinde de ea constare debet, consequenter formandus est processus, & reus citandus, vt se defendat.

34 Septimæ respondetur, superiores in concedendo peculium suis subditis tribuunt etiam ius vtendi non solum in consumptibilibus primo vsu, vt dixi cap. præced. 2. à num. 29. præsertim 36. de esculentis verum etiam de ijs, quorum substantia manet salua, vt probaui ibidem, quia sancti Patres & Concilia cum illis prohibuerunt præcise proprium, non dominium vtile consistens in vsu rerum. Confirmatur id, quia Papa in eo cap. 6. de statu

F Monach.

monach. aperte dicit: *est contra eam*. Scilicet abdicationem proprietatis; *nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*. & tamen videmus, quod Papa passim aliquibus regularibus concedit pensiones, beneficia, & Episcopatus, qui habent adiunctam administrationem, dispensat ergo, quod habeant ius administrationis, & vsus earum rerum, licet dicat se non posse dispensare in voto paupertatis cum illis, quia dicit præcise, & formaliter abdicationem proprietatis, concedendo ergo ius vtendi, vsufruendi, & administrandi non tribuit ius proprietatis, & dominij proprie accepti, nec facit contra eorum paupertatis vsum.

36 Octauæ respondetur, superiorem non posse subditis concedere peculium irreuocabiliter, quia id esset facere eos proprietarios, & dominos rerum, quod ei vt administratori, & dispensatori non licet, nec potest de iure. Concessio ergo inuoluit reuocationem ex Sanctis Institutoribus,& iuribus supra allegatis,subditus enim in vsu continuo dependet á superiore,sicut splendor semper á solis influxu dependet. Et id infra magis patebit, cum de licentia sermo habebitur.

37 Nonæ respondetur, ea dici necessaria religioso, quibus indiget ad conuenientiam sui status, vt ei nihil eorum desit. Hæc autem necessitas ad duo refertur ad vitam sustentandam, & sunt victus, & vestitus,secundum Apostolum, vt supra dixi, & tradit S. Hieronymus relatus cap. Dat. 7. 12.q.1. suis verbis. *Illi enim idest religiosi, victu, & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia cummunia*. Et ad conuenientiam sui status, & ad mentem erudiendam, vnde eis libri sunt subministrandi iuxta eorum capacitatem, cum annexis, & accessorijs ad scribendum, & componendum: Et vbi non sunt bibliothecæ, aut introducendæ, aut religiosis permittere librorum emptionem.

38 Decimæ respondetur, ea dici superflua, quæ non sunt necessaria victui, & uestitui religiosi, nec eius statui conferunt commodum, & vtilitatem respectiue ad vitam superflua ergo sunt pretiosa, & inutilia, ut tapezariæ, imagines profanæ, immo, & Sanctorum magnæ æstimationis, & numero plures, sufficit enim religioso duas, aut quatuor habere Sanctorum Imagines non auratas, non multum pretiosas. Ornatus etiam in vestibus, & diuersi colorum sunt inter superflua, immo & vana connumeranda, quæ religiosis omnino indecentia sunt, cum debeant vti vestimentis humilibus iuxta eorum statum præsertim Mendicantes, vide Clem. de Statu monach.quę prohibet monachis, & detestatur similia ornamenta omnino superflua religiosis. Sedilia coriacea admitti possuut in cellis aliquorum religiosorum,ad quos interdum recurrunt seculares spectabiles pro consilijs, & confessionibus Fulcimenta ad lecta non dicuntur superflua dicta trabacchæ, quia in hieme tuentur ab iniuria frigoris. Itaque crederem, eam rem non dici superfluam, quæ religioso prodesse potest, quo ad commodum sui corporis, & decorem personæ.

39 Quamuis leges imperiales expresis terminis non agant de paupertatis voto, nihilominus de eius effectu tractant, in quantum decernunt,ingredientem expropriari, & abdicare á se bona, dum se ipsum, & sua Deo dedicat in religione, vt videri potest in C. Iustiniano,qui vir religiosissimus fuit primus, qui leges eddidit fauore religionum, anno igitur Domini 535. decreuit his verbis

40 verbis. *Ingressi monasteria, ipso ingressu, se, suaque dedicant Deo. Ne ergo de his testentur, vt pote nec domini rerum.* Habetur hæc Authent. sub l. 12. C. de sacros. eccles. vbi subiungitur alia his verbis: *Si qua mulier, aut ius, liberis non extantibus, monasticam vitam elegerit, monasterio, quod intrauerit, res eius competere iubemus.* Edita ab eodem fuit anno 541. Item in C. de

41 Monachis Autentic, Collat. 10. §. *Si quis autem forte semel dedicatus, schemateq; potitus, deinde à monasterio discedere voluerit, & priuatam fortasse elegere vitam, ipse quidem sciat, quam pro hac dabit Deo satisfactionem, res autem quascunque habuerit, dum in monasterium intrabat, eas dominij esse monasterij, & nihil penitus eijciat. Illud quoq; decernimus, qui in monasterium*

42 *intrare voluerit, antequam monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quo voluerit modo. Ingredientem namque simul sequuntur omnino res, licet*

43 *non expressim, qui introduxerat eas dixerit, & non erit dominus earum vlterius vllo modo.*

44 In constit. eiusdem 133. Authent. de Monachis, & Ascessoris Collat. 10. inquit Iustinianus: *Nullus omnino quicquam habeat proprij, sed diu, noctuque in communi viuat, & noctes eandem inter ipsos cum diebus habeant obseruationem.*

45 In Nouelles eiusdem lib. 2. tit. 7. De substantijs monach. vel Asceteriorum habetur hæc constitutio registrata Collet. 6. Authent. tit. 4. Nouella 75. incip. *Causa talis.* Vbi decidetur quæstio orta de quadam muliere quæ professa multa bona contulit monasterio, relicto filio, an &c. Resp. Quod ingressus post publicationem constitutionis de ingressis, qui se, & sua dedicant Deo, & non sunt amplius domini, iuxta superius dicta, de illis amplius disponere non potest. vtiquè si fuit ingressus ante illius editionem; ponamus aliquid iuxta nostrum institutum, & ad propositum.

46 *Et quoniam nostræ pietatis lex vult, eos, qui se monasterijs dederint, siue viros, siue mulieres, antequam ingrediantur monasterium, eo, quo voluerint modo, quæ sua sunt disponere, nec posse postquam ingrediuntur monasterium vlterius agere quicquam de proprijs, vt pote domini rerum non existentet. Vlterius, eo quod sanciuerimus nos huiusmodi viros, & mulieres, cum corpore, &*

47 *anima ipso ingressu ad monasterium dedicare se, suasq; substantias; & si quidem discesserint manere etiam sic eorum substantias in monasterium, eo quod domini erant vlterius non existunt.* Pro intelligentia harum legum, quæ maximæ sunt vtilitatis Regularium ecclesijs, aliqua notanda sunt.

48 Primo, eas cum sint in fauorem ecclesiæ, fuisse confirmatas à Gregorio Papa relato *cap. Quia ingredientibus 7. 19. q. 3. & Cap. 2. de stam. & ex cap. In præsentia, de probat.* quod ex Dei prouidentia factum fuit, aliter procedente tempore destructę, annichilatę fuissent ex auaritia, vel æmulatione inuidorum.

49 Secundo, monasterium succedere in bonis sui professi, super quibus non disposuit ante professionem, quia post, illorum non est amplius dominus ex citatis legibus, & hoc ex vtroq; iure non solum ciuili, sed etiam Canonico ex allata confirmatione. Ita *Azor. par. 1. lib. 12. cap. 9. nu. 1. Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 4. Palaus. par. 3. tract. 16. disp. 3. par. 3. num. 3. Lessius lib. 2. cap. 41. à mun. 81.*

50 Tertio, nomine *Ingressus*, *seu Intrantis* venit professio, quia vt dicit textus, ingrediuntur se Deo dedicantes, hæc autem dedicatio fit professione non ingressu ad nouitiatum, & vt ait Glos. V. Ingressi, non ingreditur quis,

vt videat amicum, sed vt ibi fiat religiosus, ergo ingredi, & intrare important profiteri. Ita *Gutier. lib. 2. Canon. cap. 1. num. 20. Peregrin. lib. 6. Var. num. 69. Cenedus lib. 1. q. 6. num. 17. apud Barb. ad Authen. Ingressi C. de sacros. eccl. num. 3. Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 12. quos citaui cap. 18. de profess. num. 1. Rubeus ad decis. 131. num. 341. par. 8. Recent.*

51 Quarto, ut bona nouitij transeant in dominium monastarij, necesse est, quod professio valeat, aliter cum non sit vera dedicatio personæ, nec potest esse valida oblatio bonorum. Sed quoniam bona, quæ potest habere nouitius tempore professionis, diuersa sunt ideo, ut debito ordine procedamus, de his agendum est in proprio capite, ubi declarabitur ad unguem Authent *Ingressi*, cum cæteris legibus eam comprobantibus, quas supra retulimus.

Super dictas leges remanent nonnulla dubia explicanda. *Primo*, An contraria consuetudine tolli possint? *Secundo*, an statuto aliquo derogari possint?

52 Resp. Affirmatiue, quia consuetudo derogare potest cuilibet legi humanæ, siue sit canonica, siue ciuilis, cap. fin. de consuetud. huiusmodi autem sunt prædictæ leges. ergo illis consuetudo derogare potest. Necesse autem est ut sit præscripta spatio quadraginta annorum, *Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 14.* referens 14. Doctores, *de Lugo disp. 3. de Iust. n. 193. Castropal. par. 3. tract. 16. disp. 3. par. 3. fine, Barbosa ad dictum Authent. Ingressi num. 2.* Quæ consuetudo uiget in Gallia.

53 Secundo dubio respondetur negatiue, Tum quia inferior non potest derogare legi sui superioris, *Cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de maior.* Tum quia est contra non subditum tale statutum, cum solos subditos officiat; nouitius autem est persona ecclesiastica, & eius bona gaudent

54 immunitate, *ex allegatis à Diana par. 1. tract. 2. de immun. resol. 37. Pasqual. q. 48. ad Franchum.* Tum quia tale statutum est contra immunitatem ecclesiasticam, ergo nullius momenti. Quæ rationes probant contra statutum quibuscunq; verbis conceptum, de verbis enim curandum non est, quando sunt in præiudicium libertatis ecclesiasticæ. Ita 36. Doctores, quos pro se citat *Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 18. Palaus cit. disp. 3. p. 3. fine, Barb. lib. 2. de iure eccles. cap. 3. num. 198.* Tale statutum reperitur apud Medilan. vol.

55 1. cap. 484. §. illas personas, Mutinenses lib. 2. Rubr. 152. communiter impugnatum apud Gatticum in sua Collect. Scriptorum pro immun. eccles. tom. 2. fol. 547. Megalium. l. 2. lib. 2. cap. 27. num. 36. referentem Bullam Clementis VIII. damnantis simile statutum Ferrariæ factum sub Ducibus Estensibus.

56 Sed consuetudo, & non statutum potest derogare illis legibus? Responsio est, quia consuetudo cum sit lex non scripta tantam vim habet, quantam lex scripta; sed per legem scriptam derogatur contrariæ legi cap. 1. de const. in 6. erga & per consuetudinem. Statutum autem lex non est, sed peculiaris ordinatio facta ab inferiori, qui nihil potest contra superioris legem. Adde, quod consuetudo vim habet derogandi legem de consensu saltem legali ipsius legislatoris, vel eius successoris, quod competere non potest statuenti, cum non sit ipse legislator.

CAPVT

CAPVT V.

An, & quo iure Religiones sint capaces Bonorum.

1 *Religio qualibet de se capax stabilium.*
2 *Nisi prohibeatur.*
3 *Christus cum suis discipulis verus religiosus habuit bona in communi.*
4 *Religio ipsa in communi non vouet Paupertatem.*
5 *Ideo alienans non fit proprietarius.*
6 *Professio est species contractus mixti ex spirituali, & temporali.*
7 *Concilium concedit ius aquirendi bona stabilia prohibitis.*
8 *Argumentum ab inductione valet, & 12.*
9 *Communitas non facit votum Paupertatis.*
10 *Singuli de communitate aliud ab ipsa communitate.*
11 Singula quæ non prosunt, simul iuncta iuuant.
12 *Argumentum ab inductione quando valeat?*
13 *Species aliquid aliud dicit ab indiuiduis.*
14 *Dominium bonorum est penes communitatem.*
15 *Obligare non potest bona, qui eorum non est dominus.*
16 *Dominium, quod habet communitas plenum est. & proprium.*
17 *Dominium regularium est panes eorum ecclesiam formalem, Clericorum vero non, sed apud ecclesiam materialem.*
18 *Superiores locales non bonorum administratores, non maiores.*

1 Religio quantum est de se est capax dominij, & proprietatis, non enim suos alumnos, ex quibus conponitur, inhac mortali vita sustentare potest, nisi habeat, vnde illos allere valeat, ideo ius ipsum naturale dictam religioni non repugnare dominium, proprietatem, & usum bonorum, quibus suos filios sustentare valeat, sicut quilibet pater familias de bonis suis alit suos filios.

2 Quælibet ergo religio est capax bonorum tum mobilium, tum immobilium, nisi prohibeatur, quod probatur tum exemplo Christi, quia qui ad informandam ecclesiam, vt dicit Venerabilis Beda relatus Lect. 9. Homil. Confess. non Pontif. 2. loco legitur loculos habuisse, immo Ioannes XXII. in sua Extrauag. *Cum inter* de Verb. sign. decernit, illos esse hæreticos, qui asse-
3 runt Christum, & eius discipulos nihil habuisse, & quod habuerunt nullum ius in eo habuisse. Fuit autem Christus cum suis discipulis verus obseruator Paupertatis, quam Deo promisit cum suis discipulis, non obstante, quod aliquid habuerit in communi cum illis, quia ipsa communitas, cum im-
4 mediate aquiritur dominium, non facit votum de abdicatione proprij, sed solum singuli de communitate, unde si hæc donat, alienat, & proijcit ali-
5 quid non violat votum paupertatis, vt docet Megal. conf. 33. num. 14. & 15. sed transgreditur Bullas Pontficias.

Tum

Tum quia dum Iustinianus Imperator, vt vidimus cap. præced. à num. 39. decreuit, omnia bona nouitiorum, de quibus ante professionem non disposuerunt, transire cum professo sub dominium monasterij, manifeste supposuit, religionem esse capacem dominij ex natura rei, homo enim constitutus fuit dominus rerum omnium, quæ sunt in mundo, ex dictis cap. 2. n. 7. quod ius, cum suum sit; transfert in religionem, ne sit illi onerosum. Tum
6 quia hoc idem demonstrat ipsa professionis conditio, cum enim sit contractus inter professum, & religionem, quo se mutuo obligant, ille quidem ad seruiendum perpetuo monasterio, iste uero ad illum retinendum in seruitio Dei, alendum, ne pereat, nec habeat occasionem violandi Deo promissum paupertatis votum ob indigentiam, sequitur non solum esse capacem dominij, sed bona debere habere, vt suis alimenta præbere possit iuxta contractum, & innitam obligationem.

7 Demum ad tollendam quamuis difficultatem immo concessit omnib. monasteriis, quibus erat prohibitum, ius aquiendi Tridentinum sess. 25. cap. 3. hanc capacitatem declarauit his uerbis: *Concedit Sancta Synodus omnibus monasterijs, & domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Itaque Tridentinum, eas religiones, quibus erat prohibitum possidere immobilia in communi, facit capaces immobilium, & cum soli Mendicantes huiusmodi prohibitionibus subiacerent, cum eisdem dispensauit, nam monachi, & Canonici semper habuerunt in communi stabilia, intuitu quorum ille leges emanarunt, tunc enim nondum aliqua erat religio Mendicantium, quæ fuerunt introductæ à Sanctis Dominico, & Francisco, & quia is altissimam professus fuit paupertatem secundum primam Regulam, ideo Capucinos, & Minores de Obseruantia, qui militant sub prima Regula reliquit eos incapaces stabilium sicut erant ex ui Regulæ, tam in communi, quam in particulari.

Dices religio quælibet nihil est præter ipsos religiosos simul congregatos in uinculo professionis degentes uitam in communi, dum ergo singuli sunt incapaces stabilium, immo & mobilium propter uotum paupertatis à singulis
8 emissum, ergo & religio ipsa, si nihil præter ipsos. Facit argumentum ab inductione. hic homo non est capax naturæ leoninæ, nec ille &c. ergo nullus homo nec in indiuiduo nec in specie est capax naturæ Leoninæ, ergo à simili nullus religiosus, nec in indiuiduo, nec in specie, & in communi est in capax bonorum.

9 Resp. Votum paupertatis emissum à religiosis non reddit incapacem religionem ad aquirendum, & possidendum bona tum immobilia, tum mobilia, quia non ipsa communitas facit uotum paupertatis reddens incapacem ipsam aquisitionis, sed singuli tantum de communitate nouent, ideo super singulos cadit abdicatio proprietatis, non super corpus totius communitatis, quæ licet componatur ex eisdem professis, tamen cum spectari possint, ut singuli per seipsos, in quantum scilicet uouent, uel ut sunt commune quoddam corpus morale politicum, cui non competit uouere, bene sequitur, quod hoc corpus morale sit capax bonorum, non autem singuli, qui sunt

sunt partes huius corporis. Sub hac ergo consideratione idem moraliter non sunt sed diuersa diuersos quoq; producentia effectus. Diuisibiliter ergo spe-
10 ctati, & vt singuli seorsim vouent, & volunt per hoc esse incapaces proprij, spectati vero indiuisibiliter, ac communiter, & coniunctim, volunt, & intendunt bona pro sua communitate. Hanc considerationem in alio casu docet Rota apud Tambur. tom. 3. decis. 34. num. 7. vbi capituli consensus in his, quæ respiciunt capitulum in vniuersum, non autem Canonicos vti singulos, debet capitulariter adhiberi, & decis. 110. 111. & 112. monachis singulariter viuentibus non debetur præcedentia, quæ illis competit col-
11 legialiter viuentibus. Et facit illud axiorra *Singula, quæ non prosunt, simul iuncta iuuant* Glos. V. Colecta cap. Tres sunt 81. dist. 1. de Pænit. Et ex his patet ad argumentum inductionis, illud valere, quando prædicatum in
12 singulis spectatum desumitur à ratione superioi, singulares enim V. g. homines ideo sunt incapaces naturæ leoninæ, quia illi apponitur natura humana, quæ est superior ad singula indiuidua hominis, in casu autem nostro res è contra se habet, nam incapacitas ad bona non desumitur ab aliqua ratione superiori communi singulis, sed singulorum vt talium est propria, cum quisq; personaliter voueat pro se ipso. Etiam in ipsa specie aliquid reperi-
13 tur quod in inferioribus non inuenitur, nam ipsa est communicabilis, vnitatem habet specificam &c. quæ prædicata repugnant ipsis inferioribus, ergo aliquid reperitur in communitate, quod non inuenitur in singularibus communitatem constituentibus.

Sed dubitari potest apud quem sit dominium tum mobilium, tum immobilium, quæ aquiruntur religionibus, siue professione nouitiorum, siue aquisita per viam contractus, seu donationis &c. Nam in qualibet religione professi spectantur *primo* vt singuli, *secundo* coniunctim & in communitate, *tertio* prout eorum aliquis est superior monasterij; *quarto* prout aliqui eorum sunt officiales. Apud quemnam istorum est dominium rerum aquisitarum? Pariter apud quom est administratio eorundem?

14 Resp. Dominium rerum aquisitarum est apud totum corpus monasterij, seu ipsum monasterium, seu ipsos religiosos indiuisibiliter spectatos, idem enim omnino important dicta verba sub nomine Monasterij, Conuentus, aut Ecclesiæ, seu domus religiosæ, non enim dabile est monasterium sine ecclesia, sine domo. Ad ministratio vero bonorum est immediate apud Superiorem immediatum, & principalem loci, exercenda vel per seipsum, vel per suos officiales, iuxta vsum singulorum monasteriorum.

Prima pars, quod monasterium sit dominus verus, & realis suorum bonorum probatur Tum ex legibus citatis præced. cap. num. 41. *Res autem quiscunq. habuerit, dum monasterium intrabat, eas dominij esse monasterij*. Tum quia monasteria sunt professores bonorum acquisitorum, & nullus alius ergo sunt veri domini. Tum quia licet singuli aquirere possint suis monasterijs, singuli tamen bona monasterij obligare non possunt, nec alienare, totum vero corpus capituli pot est se obligare, & contrahere, vbi non est pro-
15 hibitio, ergo dominium eorum bonorum est pænes ipsum monasterium, nemo enim potest obligare aliqua bona, nisi super illis habeat dominium.

Monasteria ergo sunt domini, & proprietarij bonorum, quæ illis aquiruntur, quia de illis disponere possunt propria auctoritate ad eum finem, in

quem

quem illa possident. Nec obstat, quod habeat prohibitionem alienandi immobilia,& mobilia pretiosa,quia etiam pupillus,& alij interdicuntur alienare
16 lege,aut testamento,& tamen adhuc sunt veri,& perfecti domini suorum bonorum, quia prohibitio non refertur ad diminuendum dominium, sed ad illud magis conseruandum, cum obligatione illud cum bonis transferendi in succ essores. Ita fere omnes *Cum Lessio lib. 2. cap. 4. dub. 5. Sanchez lib. 7. cap. 18. num. 10. Palaus de Iust. in genere disp. Vn. p. 7. §. 3. Molina tract. 2. disp. 142. de Lugo disp. 3. de iust. num.* 74.subiungens,dominium hoc non esse omnino liberum, & absolutum, cum non possit conuentus alienare; quod tamen non placet, quia etiam pupilli, & alij non habent ius liberum, & absolutum distrahendi,tamen sunt simpliciter veri domini plenum habentes dominium proprietatis,& vtilitatis.

Sed remanet difficultas potius speculatiua, quam prattica, an nomine Monasterij,quod dicitur, dominus bonorum, veniat materiale illud ædificium,& domus religiosa? An vero ipsa communitas,& corpus illud politicum ex religiosis conflatum, quod est monasterium viuens, formale ad distinctionem illius materialis? Et videtur nomine monasterij venire illud materiale,quia bonorum ecclesiasticorum respectu ecclesiarum secularium, quæ non habent communitatem ipsæ ecclesiæ materiales sunt dominæ, & non Episcopus, nec Rector, qui sunt tantum administratores, & dispensatores, ergo idem dicendum est de monasterijs. Probatur consequentia à paritate, quia bona immobilia tam ecclesiarum regularium, quam secularium reseruantur pro sustentatione non solum presentium, sed etiam successorum, ergo bona remanere debent apud ipsam ecclesiam, & monasterium, qui perpetuo durant.

17 Resp. Nihilominus,bona regularium remanere sub dominio communitatis non monasterij materialis, cum ea sit capax tamquam corpus politicum, & morale perpetuo durans propagatum ex presentibus,& futuris succedentibus; sicut penes Rempublicam sunt ipsa eius bona pro subleuandis eius indigẽtijs: Respectu vero secularium eccl esiarum bona dicuntur esse sub dominio ipsarũ materialium ecclesiarum,& non sub Rectore,qui cum solus sit fungi nonpotest officiodomini,& administratoris, sicut communitas, quæ est domina tra[illegible]s alteriadministrationem. Vnde Palaus cit. disp. Vn. p. 7. §. 3. nu. 2. ait, clericos vtsingulos non habere dominium, sed solum administrationem bonorum suarum,ecclesiarum quia bona eis non sunt donata,sed ecclesijs,vel communita-ti,vbi reperitur.

18 Secunda pars per se patet,nam superior communitatis,& per se,& per suos officiales administrationem exercet habens curam bonorum cum facultate retribuendi illa ad victum,& vestitum ipsorum religiosorum. Itaq.hæc administratio proprie spectat ad immediatum superiorem conuentus, cap. Nullam q. 13. q. 2. cum ipse precise penæ alijs resideat,& continuo presens est in conuentu, quod proprium administratoris presentis in exercitio sui officij; vnde officium administrationis bonorum proprie nõn videtur competere generalibus,& Prouincialibus cum non habeant proprie residentiam totalem,neq.sint immediate superiores bonorum,nisi mediate, in quantum scilicet in suis visitationibus, vel vocati corrigunt officiales bonorum dilapidatores.

CAPVT

CAPVT VI.

An, & quo iure Religiosi sint incapaces dominij, & proprietatis?

1 *Inhabilitas prouenit non à voto, sed ab extrinseco.*
2 *Inducta per solemnitatem annexam professioni.*
3 *Consensus est de substantia contractus.*
4 *Solemnitas duo includit mutuam obligationem, & inhabilitatem.*
5 *Solemnitas ex parte inhabilitatis inducta tempore Gregori Papæ.*
6 *Poncij opinione de abdicatione proprij, idest, vsus repellitur.*
7 *Nomine enim proprietatis ipse sumebat solum vsum,*
8 *Sed non bene, quia abdicatio proprij est dominij, & vsus quoque.*
9 *Solemne votum vocat S. Basilius.*
10 *Fur est celàns aliquid.*
11 *Solemnis missa quæ dicatur?*
12 *Fur non est dominus rei furatę.*
13 *Anania furtum commisit de suis bonis.*
14 *Inhabilitas voti paupertatis impedit, ne professus sibi aquirat.*
15 *Non vero, ne aquirat monasterio.*
16 *Esculenta, & poculenta sunt dominij vtentis illis actu.*
17 *Actus intelligendi, & volendi sunt sub dominio agentis.*
18 *Caramuelis opinio refertur, & reicitur 20.*
19 *Actus etiam interni subijciuntur imperio superioris.*
20 *Caramuelis rationes expenduntur, & soluuntur.*
21 *Actus interiores subiecti superiori quo ad directionem, non punitionem.*
22 *Velle, & nolle caret professus.*
23 *In non nullis hic recensitis.*
24 *Habet vtrumque in multis.*
25 *Mortuus mundo dicitur.*
26 *Carere velle, & nolle idem quod esse mortuus.*
27 *Mortuus in multis viuit.*
28 *Obligare se naturaliter non potest, nec ciuiliter.*
29 *Votum rescindi potest, non promissio.*
30 *Seruus ligatam non habet voluntatem sicut professus.*
31 *Fideiussor tenetur, licet principalis sit liber, quia in solidum se obligauit.*
32 *Contractus facere non potest.*
33 *Stare in iudicio quid sit.*
34 *Non potest stare in iudicio.*
35 *Obedientiæ virtute aliquid irritari non potest.*
36 *Superior an per se applicet sacrificium missæ subditi.*

1 COnueniunt fere omnes, incapacitatem, qua professus dicitur inhabilis ad aquirendum, & habendum dominium rerum prouenire non à voto paupertatis ex ratione ipsius voti, alias etiam votum simplex induceret eam inhabilitatem, quod omnes negant, sed à solemnitate inducta postmodum ab ecclesia, & coniuncta ipsi voto. Pro cuius intelligentia proponendæ sunt, & resoluendæ Quæstiones.

Quæres igitur primo quid sit ista solemnitas voto paupertatis coniuncta in emissione professionis.

2 Resp. Votum solemne paupertatis consistit in abdicatione proprij cum inhabilitate deinceps aquirendi sibi aliquid pretio æstimabile; vnde quatenus votum est, importat abdicationem, & renuntiationem proprij, ita quod si contraueniat aquirendo, hoc est, sibi appropriando, vel vsurpando aliqnid, aut contrectando, accipiendo scilicet, dando, retinendo, vel distrahendo aliquid, illicite agat propter transgressionem voti; quatenus vero adiunctam habet solemnitatem dicit, & infert inhabilitatem in professo ad contrectandum, vt supra, cum sit ex ea incapax dominij, & proprietatis sibi aquirendæ. Itaquæ ex parte voti huius non potest licite rem aliquam prætio æstimabilem propria auctoritate contrectare, nec ex parte solemnitatis valide agere, defectu capacitatis, qua per solemnitatem fuit priuatus. Confirmatur id totum, quia nouitius dum profitetur non potest se reddere inhabilem ex sua promissione formali, & personali ad contractandnm, & aquirendum, quia nemo potest seipsum efficaciter priuare consensu, qui tamquam aliquid essentiale de iure naturæ dat esse contractui, vel quasi contractui. consensus ergo est de substantia contractus, *l. 1. ff. de pactis l. consensus ff. de act.*

3 *& obligat.* Dum enim quis vouit abstinentiam ab aliquo actu, promittit solum abstinentiam licitam, non vero physicam, vt si de facto contra promissum veniat, possit efficaciter, & valide operari, licet illicite, vnde per contrarium consensum potest contrauenire physice, & de facto suæ promissioni, & valide agere, quia ad valorem actus ex natura rei, & intrinsece nihil aliud desideratur, præter consensum. Ecclesia pia mater edocta professos fidem Deo datam de obseruandis votis paupertatis, & castitatis passim violari non solum cum detrimento salutis animæ, sed etiam irreparabili scandalo proximorum volens remedium apponere his malis, ne deinceps sua transgrederentur vota, statuit & hac solemnitate inhabilitauit professos ad contrahendum non solum in rebus pretio æstimabilibus, verum etiam matrimonium. Et in hoc nulla est difficultas inter doctores, vide Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 25. & lib. 5. cap. 1. de solemnitate voti, vbi num. 6. ait, votum simplex à solemni non differre intrinsece, & essentialiter, sed vtriusque eandem esse naturam, & solum extrinsece ab Ecclesia introductam fuisse eam solemnitatem.

4 Sed ego dico, quod votum solemne præter incapacitatem, & inhabilitatem ab ecclesia inductam, aliquid aliud dicere sibi intrinsecum prescindendo ab ea solemnitate, nam professionis votum dicat perpetuitatem, mutuam obligationem inter ipsnm, & religionem, quod non dicit votum simplex, quod ad tempus fieri potest, & sine mutua obligatione, sequitur distingui inter se etiam in ratione voti, id enim ecclesia non induxit, cum perpetuitas inicio ipsius religionis tamquam aliquid essentiale, sicut, & mutua obligatio

ipsi

ipsi coqua sint. Vide P. Cotonium lib. 4. controu. 4. & 5. vbi de perpetuitate, & indissolubilitate professionis late agit. Nec prædicta sunt contraria ijs, quæ dixi cap. 1. q. 15. de hac solemnitate, dum ibi respondi, eam consistere in traditione, & mutua acceptatione perpetuitatis votorum, nam id intelligitur radicaliter in ipso voto, quod est mutua acceptatio dicta, cui fuit postea adiuncta inhabilitas ex ordinatione ecclesiæ, votum ergo solemne utrumque complectitur.

Quæres 2. Quo tempore ab ecclesia inducta fuerit solemnitas quo ad inhabilitatem, & incapacitatem matrimonij, & dominij, seu aquirendi? De inhabilitate ad matrimonium placuit mihi sententia Pontij ab anno 1119. contra Sacchez, ab anno 403. prout eos retuli cap. 1. q. 17. de profess. regul. in editione Veneta. Quoad inhabilitatem aquirendi sibi, & contrahendi, ac testandi.

5 Resp. Tempore Valentiniani III. electi 424. cum quo cæpit regnare Martianus anno 450. defunctus post illum anno 457. Personæ ecclesiasticæ etiam religiosæ, uiri, ac mulieres poterant testari, & relinquere bona sua ecclesijs, & monachis, & pauperibus, ut expresse dicitur in l. Generali 13. C. de sacros. eccles. ergo tunc nondum erat inducta solemnitas inhabilitans professos ad contrectandum, & testandum. Et Theodosius defunctus anno 450. cum Valentiniano supradicto ante illud annum legem tullit, quod non extantibus parentibus, liberis, agnatis, & cognatis, qui succederent clericis, & monachis ab intestato, succederet ecclesia clericis, & monachis. Ita expresse habetur *l. Si quis 20. C. de Episc. & Cleric. vt etiam referunt Becan. de lege hum. cap. 6. q. 10. Pontius lib. 7. cap. 13.* Ergo tempore horum Imperatorum nondum inducta erat solemnitas inhabilitans professos ad habendum, & contrahendum. Temporibus uero Iustiniani religiosis sublatum fuit ius testandi, quia per professionem omnia sua bona transferebantur de iure Auth. *Ingressi*, iuxta quod dixi præced. cap. 4. num. 4. in dominium, & possessionem monasterij, ita quod non amplius poterant testari, quia non amplius erant domini rerum, quæ alias suæ erant. Et id ab illo decretum fuit de anno 535. & subsequenter Gregorius Magnus electus de anno 590. cum approbauerit Authent. prædictam, & alia eius decreta, quæ retulimus loco citato, ut refertur, Cap. Quia impedientibus 2. 19. q. 3. & cap. 2. de testam. uidetur fuisse inuentor huius solemnitatis inhabilitandi ad testandum professos, & alia iura aquirendi.

6 Poncius citatus lib. 7. de Matrim. cap. 13. duo sibi obijcit argumenta Primum ex cap. 21. Concilij Aurelianensis tempore Simmachi Papæ celebrati circa annum 507. his verbis: Quod quis, monachus per contumaciam extiterit indeuotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare habere præsumpserit, omnia, quæ aquisierit ab Abbatibus auferantur secundum Regulam monasterio profutura. Et S. Aug. præcipit, vt monachi idest clerici viuant sine proprio, ergo illis temporibus erant incapaces proprij, ergo solemnitas reddens eos incapaces cepit ante Iustinianum, & Gregorium Magnum.

Resp. Ipse, nomine *peculiaris* illud Concilum, & D. Augustinum non tam dominium bonorum intelligere, quam vsum ad sui ipsorum arbitrium, sine consensu superiorum, constabat enim illos apud se retinere dominium

rerum, sed illis vti non posse independenter à dispositione superioris.

Ego autem dico, illam oblationem proprij referti in pœnam, quia illud extra monasterium aquisierat independenter à voluntate superioris quia talis modus erat illi prohibitus, sicut & vagari; non vero colligitur ex illo Concilio, & S. Augustino aliquid disponi de incapacitate, vel capacitate, sed solum quod priuatur dominio aquisitorum in pænam vagationis, & illius modi aquirendi in consulto superiore.

Secundum argumentum deducit ex cap. 6. de statu monach. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare, quia abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam, nec summus Pontifex possit dispensare.* Non potest ergo stare vera religio cum dominio rerum in professo, consequenter antiqui monachi tempore illorum Imperatorum non erant vere, & proprie religiosi, quia tunc habebant proprium, & dominium rerum cum quo stare non potest status religiosus.

7 Resp. Sibi Poncius num. 10. nomine proprietatis, quam religiosus à se abdicat non intelligi dominium bonorum, sed eorum vsum ex propria auctoritate sine consensu, & licentia superioris. Et id suadet, quia potest inueniri illum esse dominium, si à se abdicauit rerum vsum. Nec apud defunctum inueniri potest dominij retentio, & sepeliri cum eo in sterquilinio. Addit 3. nec Pontificem existimare posse dominium hoc reperiri posse apud religiosum, cum ex legibus à Gregorio Magno essent intestabiles facti, ac priuarentur dominio, amplius non erat in potestate religiosi dominium iterum resumere liberæ vel resignare. Quarto tandem concludit, abdicationem proprietatis, scilicet administrationis, & vsus rei esse propriam, & solum materiam voti paupertatis, vt votum est. Nam nemo per suum votum potest se reddere incapacem dominij, sed id necessario oritur ex aliena voluntate præcipiente. Quare nullus vouere potest inhabilitatem dominij nec in particulari, nec in communi, inhabilitas ergo non sequitur ex natura voti, sed ab extrinseco illi aduenit.

8 Responsio prefata, quam Pontius dat ad dictum caput, mihi non placet quia reuera Innocentius III. auctor illius capitis, nomine abdicationis proprietatis, non vsum tantum, sed proprie, & immediate intellexit id quod verbum *proprietatis* importat, dominium scilicet rerum, & ita omnes itelligunt præter ipsum, qui sine vllo fundamento nomen proprietatis restrinxit ad vsum, quod certum est à proprietate distingui, vt etiam à nobis dictum fuit cap. 2. num. 14. & 16.

Ad primam suasionem, quod posita sola abdicatione vsus possit inueniri religiosus cum solo dominio, respondeo id nihil probare ad propositum, quia esto quis inueniri possit cum solo dominio, sine vsu, vt accidit dominis directis, qui vsum non habent rerum suarum, dum existit apud vsufructuarium, feudatarium, liuellarium &c. vsus tamen non datur in religioso, qui semper per paupertatis votum in primis à se abdicat proprium, & subsequenter vsum rerum, quibus tamen vti potest de consensu superioris, non tamen ut proprijs quia id facere non potest non solum superior, sed nec Papa, qui in solo usu dispensat, in dominio uero proprietatis rarissime. Semper ergo fuit uerum dicere, quod hoc uotum dicit abdicationem proprij non

non quod hæc abdicatio semper fuerit efficax, itaut non potuerit ualide resumere, & disponere de abdicato, quod est falsum, quia ante constitutionem ecclesiæ inhabilitantem, abdicatio erat inefficax respiciens solum illicitam dispositionem bonorum, non uero inualidam, quia tunc non extabat lex redens professum incapacem. Nec opus erat obijcere sibi dictum Innocentij respectiue ad tempora antiqua, quia respectu illorum abdicatio erat simplex, & inefficax, temporibus uero eiusdem erat efficax, & impediens dispositionem testamenti, & contractuum propter adiunctam solemnitatem, quæ diuersitas non tollit, quin hoc uotum semper importauerit abdicationem dominij proprietatis ante inefficaciter, subsequenter uero efficaciter.

Ad secundum, quod apud defunctum non possit inueniri retentio dominij, & cum eo sepeliri in sterquilinio, respondeo non inueniri efficax retentio dominij post constitutionem solemnitatis inhabilitatis ad ualidam possessionem, negari tamen non potest eiusdem illicita retentio contra voluntatem superioris, à quo dependenter debebat professus testari tunc temporis, quod nunc facere non potest nec cum illius licentia propter inhabilitatem, quæ non releuatur nec tollitur per licentiam. Nec huiusmodi ratio ab eo adducta de defuncto facit ad rem, cum ex textu ibi! *Si apud aliquem inuenta fuerit proprietas in morte*. nihil colligatur quo ad dominium proprietatis, sed solum quod inuentus habere *proprietatem*, idest, peculium, ex cap. 2. vel rem aliquam ab eo possessam modo proprietario idest sine licentia superioris &c. Sciebat enim Pontifex, quod per illam retentionem monachus non erat dominus, nec poterat esse non solum licite, quia vsurpator erat independenter à superiore, sed etiam inualide, quia vigebat constitutio solemnitatis.

Ad tertium, quod ait, nec Pontificem existimare potuisse dominium reperiri apud professum, dum Magnus Gregorius inhabilitauit religiosos ad habendum proprium, potest habere duplicem sensum. *Primo*, quod Papa non potuit putare, professum posse resumere dominium rerum de iure, & legitime, & id verum est, quia Pontifex iam sciebat eius incapacitatem. *Secundo*, non potuit existimare, professum de facto, & contra votum paupertatis resumpsisse, & sibi vsurpasse illicite, & inualide rem, & eam sibi appropriasse; & hoc est falsum, quia manifeste id illi constabat. Fuit ergo proprietarius ille monachus, non dominus, propter inhabilitatem. Sumitur autem ibidem nomen *proprietatis* pro vitio opposito voto paupertatis, in quo sensu accipitur in decretali, dum statuit proprietarios esse sepeliendos in sterquilinio.

Ad quartum, quo concludit, abdicationem proprietatis, liberæ scilicet administrationis, & vsus rerum solum esse materiam voti paupertatis, quia nemo potest se reddere incapacem dominij &c. Respondeo, ex supradictis constare hanc incapacitatem non prouenire ex natura voti, ideo non esse necessarium excludere dominium ab ea abdicatione incluso tantum vsu, & administratione rerum, sed ex constitutione ecclesiæ, quæ vt pia mater ita inhabilitauit ne deinceps auderent violare votum paupertatis quo ad vsurpationem dominij independenter, & contra voluntatem superioris.

9 Addo ergo tertium argumentum, quo probo etiam tempore S. Basilij, qui primus

primus aliorum suam condidit Regulam anno 369.iuxta dicta cap. 3.num.1. mentionem fecit de solemnitate voti interrogat 14.*Cæterum horum vnusquisq. si postea quam intra reliquorum Fratrum Societatem adscriptus fuerit, factam iam à se professionem resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuiq. solemni se voto obligarit &c.* ergo hæc solemnitas inhabilitans multo tempore ante Grogorium Magnum electum de anno 590.extabat. Et id confirmatur etiam ex Regula D. Augustini relate in fine primi tomi eius operum, nuncupata tertia, vbi sub cap. 30. Ftatres proprietarij dicuntur fures, his verbi: *Quod si aliquis rem sibi collatam celerauit furti in iudicio condemnetur*. Qui autem

10 rei dominus est, non est fur eam contrectans, cum fur ille dicatur, qui alienum, non proprium contrectat, ergo tempore D. Augustini, qui Regulam confecit anno 397.ex dictis cap. 3.nu. 6. multo tempore ante Iustinianum Imperatorem, & Magnum Gregorium extabat ea solemnitas inhabilitans professos ad dominium. His tamen non obstantibus persistendum est in determinatis supra, nimirum solemnitatem hanc temporibus Valentiniani, & Marciani, qui viuebant anno 450.non extitisse, sed postea adiunctam fuisse votis. Quare.

Respondeo ad auctoritatem adductam a S. Basilio, eum nomine solemnitatis intelligere eas ceremonias,& ritus, qui publice adhibentur in recipiendis nouiitijs ad professionem, in qua solent interesse omnes Fratres. Et id

11 firmatur ex solemnni missa, qualis ea dicitur, quæ cantatur cum interuentu omnium de choro, ex allegatis à Paulo Rubeo decis. 59.num. 9.tom. 7. Nouissim. ab anno 1635.ad 37. Vel dic, nomine solemnitatis radicaliter venire ipsam mutuam obligationem contractam ex professione, iuxta dicta hic sub num. 4. non vero hanc extrinsecam solemnitatem in habilitatem.

12 Ad obiectionem ex D.Augustino dico,ex eo quod fur est,non infertur,non esse dominum,sed solum quod rem accepit,& non consignauit superiori, sine consensu non potest rem datam contrectare, nec minus celare, & hoc clarum est, quia filius familias in rebus paternis, cuius & ipse est dominus furtum committit vnde Farinac.consil.160. num. 15. 16.19. & 20. ait illum teneri actione furti, qui rem communem conuertit in propriam vtilitatem sine consensu consortiorum, quorum res est in proprietate communi omnium, sicut ergo socius committit furtum iure communi de cuius proprietate, & dominio est particeps, ita religiosus contrectans suas quarum dominium habet cum reliquis, ex quo eas celare non potest superiori. Et id comprobari potest cum facto Ananiæ & Saphiræ vxoris eius, qui Apostolo Petro celauerunt partem pretij agri venditi, quod in commune deferre debebant,

13 cuius nihilominus adhuc erant domini, Act. 5. 4. ibi: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in sua potestate*, scilicet pretium, vnde & propter mendicantium, & propter furtum partis celatæ correptus ab Apostolo Petro cecidit ad eius pedes & expirauit.

Quæres 3. Quid importet inhabilitas huius solemnitatis affixæ voto paupertatis.

14 Resp. Operatur, quod professus efficaciter abdicat à se dominium rerum præsentium cum incapacitate vlterius sibi aquirendi bona siue stabilia, siue mobilia, siue eorum iura, & actiones pretio æstimabiles. Et hæc omnia

patent

patent ex dictis in cap. 2. de dominio, & propietate. Ita quod licet ante introductionem huius solemnitatis, & inhabilitatis professi essent domini rerum suarum, de quibus poterant physice, & efficaciter disponere, & etiam denuo sibi aquirere secundum iura antiqua non tamen licite, nisi de consensu suorum superiorum, vt patet, ex Regulis Sanctorum Patrum, tamen post introductionem huiusmodi inhabilitatis amplius non possunt sibi aquirere ob eam incapacitatem, quæ fuit necessaria statui religioso, ne professi continuo essent in statu peccati mortalis aquirēdo, & disponendo pro suo libito contra voluntatem superiorum. Et si enim votum paupertatis dicat abdicationem proprietatis, & dominij, ac proinde promissionem sibi non aquirendi, ista tamen abdicatio initio non erat tam efficax sicut modo per inhabilitationem personæ, sed valide, quamuis non licite, reuertebatur ad renunciata ab illis, cum propria voluntas renuntiantis non possit seipsam reddere incapacem, vt dixi initio capitis, & ob rationes, tum quia debet esse distinctio personalis inter inhabilitantem, & inhabilitatum, cum nemo in seipsum efficaciter agat. Tum quia factum, ipsum releuat protestantem, per actum contrariæ voluntatis, modo enim e. g. nolo scribere, & nihilhominus prosequendo scriptionem, reuoco priorem voluntatem. Tum quia superior ipse, si non extaret huiusmodi capacitas posset ex parte sua efficere, vt professus rediret ad aquirendum, & disponendum. Quare ad tollendum huiusmodi inconstantiam, & præuaricationem voti paupertatis, fuit necessarium inuenire huiusmodi efficax remedium incapacitatis, vt professi contineri possent in custodia suorum votorum.

15 Remanent ergo capaces ad acquirendum suo monasterio, dum solemnitas huiusmodi restringit inhabilitatem aquirendi pro seipsis, qui vouerunt abdicationem proprij aquisiti, & aquirendi, non autem respectu monasterij, cui aquirunt, sicut seruus domino, & filius familias patri, quod est naturale, dum enim sunt alendi à monasterio, eidem etiam benefacere tenentur; & cum professi tantum, & nō ipsum monasterium votum paupertatis emiserit, ratio postulat, vt inhabilitas cadat tantum contra ipsum professum, cum custodia huius voti pertineat solum ad ipsum, & non ad monasterium quod non vouit. Religiosus ergo aquirit monasterio suo, vt colligitur *ex Auth. Ingressi C. de sacros. eccles. Cap. quia ingredientibus 7. cap. Perlatum 8. cap. Si qua mulier 9. 19. q. 3.* in quibus dicitur, quod bona nouitij professione aquiruntur monasterio, à fortiori ea, quæ aquirit post professionem, cum non amplius sit capax sibi aquirendi, & in hoc conueniunt omnes Doctores, quos citaui cap. 1. num. 19.

Quæres 4. An hæc inhabilitas sibi acquirendi, vel non retinendi sibi ius, & dominium circa aliqua etiam pretio æstimabilia excludatur.

16 Resp. Sunt aliquæ res pretio æstimabiles, quarum dominium vocatur ius vtendi, ad quas non se extendit ea inhabilitas, vt esculenta, & poculenta ad quæ religiosus habet dominium dependenter à uoluntate superioris, dum ex sententia grauium doctorū, ius vtendi nondistinguitur ab ipsa dum est in actuali vsu comedentis, vel bibentis, sunt enim talis naturæ, vt dicatur esse iuris ipsius habentis illas, vt docui multis cap. 2. a num. 24. de comestione num. 36. Caramuel disp. 59. in Regulam; resol. 9. num. 871.

Quæres 5. An hæc incapacitas se extendat ad operationes voluntatis, & intel-

intellectus, itaut professus non sit dominus suarum operationum?

17 Resp. Actiones intelligendi, & volendi sunt sub dominio ipsius professi, ac proinde non substant illi incapacitati. Ratio est, Tum quia sunt actus naturales, & vitales ipsius operantis omnino intransibiles sub dominio alterius, qui ea non fecit, ergo sunt sub dominio ipsius operantis. Tum quia huiusmodi actus nec pauperem, nec diuitem faciunt operantem, ergo non sunt reponendi sub incapacitate inuenta ad custodiam paupertatis, dum illi non aduersantur. Tum quia naturaliter non pretio aquiruntur, ergo non est cur dicantur esse sub alterius dominio. Ita Caramuel dif. 59. resol. 5. & 6. Reddit ipse rationem, nam precedentes sunt meæ, quia istarum omnium monachus est causa naturalis, ac proinde habet in eas dominium naturale, itaut eas eli-
18 ciendo non operetur contra paupertatem. In sequenti resol. 6. dicit, easdem internas actiones non esse alicui subiectas, nisi agenti illas, ac proinde prælatum de illis disponere non posse in ordine ad aliquod ex tribus votis. Et probat quo ad castitatem, quod suas actiones internas non tenetur subijcere Abbati, quatenus castus, quia plures actiones interiores non respiciunt luxuriam, vt sunt discursus, ratiocinatio theologizatio. Secundo nec illas, quorum obiecta sunt peccata contra castitatem, quia omnes, quæ militant contra castitatem sunt semper peccaminosæ; atqui cognitio, & speculatio peccatorum contra castitatem sæpius est vtilis, ac necessaria; quomodo enim possemus nulla fugere, si ea non nosceremus? quomodo confiteri præterita peccata, si in memoria spiritualia eorum idola non conseruaremus.

Præterea actiones interiores non tenetur subijcere Prælato quà pauper, quia tunc peccat quis contra paupertatem, quando vsurpat sibi dominium, cuius est incapax; atqui actuum interiorum dominium tale est, vt solum respiciat operantem, & id non possit commutare, quia actus intrinseci non alienantur, non venduntur &c. ergo hoc titulo non tenetur illas subijcere Prælato.

Tandem, nec easdem illi subijcere quà obediens quia illa potest politice præcipere, propter quæ contempta potest corripere politice inobedientem. Sed propter omissionem actus mere interioris non potest inobedientem politice corripere, ergo non potest circa actus mere internos politice quicquam disponere. Demonstratur minor. Correctio politica fit per denuntiatorem, & testes, ijsq. deficientibus non potest fieri; atqui contra actus mere internos nullus iudex poterit taliter procedere; ergo nullus iudex propter omissionem &c.

19 Ego puto, actiones internas, in quantum possunt esse principium, & via transgrediendi vota esse subiectas directioni superioris quo ad dominium iurisdictionis, non quo ad dominium proprietatis, cum sit manifestum eas non esse pretio æstimabiles. Illud ergo probatur de mente sanctorum Patrum, nam S. Basilius Interrog. 41. id Clare docet, his verbis: *Qui enim seipsum abnegauit, seseq. voluntatibus suis* idest actionibus internis volendi, desiderandi &c. *Spoliauit, non id, quod vult, facit, sed quod docetur*. Debet ergo velle id solum, quod docetur à superiore, ergo quo ad actus etiam internos est subiectus superiori. S. August. relatus supra sub cap. 3. num. 8. inquit: *Cum huius nostræ Congregationis Fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus proprijs ipsa ordinationis susceptione renunciauerint, & se per promissam*

sam obedientiam pœnitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint. Patet ex his, professum non solum renunciasse actibus externis, ibi: *facultatibus*, sed etiam internis, ibi: *voluntatibus proprijs* non quo ad substantiam, sed quo ad desiderium habendi, & cum talis renuntiatio fiat in manibus superioris recipientis, certum est argumentum, ipsum esse Dominum, & habere sub sua potestate, & imperio voluntatem cuiusq; professi. pariter Benedictus cap.33. relato supra in cap.3. num.13. ait: *Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate*. Si professi non habent corpus, nec voluntates suas in propria potestate, ergo eas subiecerunt imperio superioris. Quod etiam Christus insinuauit Matthæi 16. cum dixit: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Prædicat ad eos, qui volunt ingredi religionem, debent enim per votum professionis ex parte obedientiæ abnegare seipsos, hoc est, proprias voluntates subijcere imperio superioris; & quod ea abnegatio sit non solum de actibus externis, sed etiam internis audi S. Gregorium Homil.32. relatum lec. 8. secundo loco in Communi vnius Martiris: *Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum, minus quippe est, abnegare, quod habet valde autem multum est, abnegare, quod est*. Id quod etiam agnouit Iustinianus Imperator in Auth. Ingressi, dum dixit, nouitium emissione professionis dedicare Deo non solum sua, sed etiam seipsum. Igitur professus suas actiones etiam internas subijcit imperio, & potestati sui superioris, qui de illis disponere potest, contra præfatum D. Caramuelem, ad cuius rationes oportet respondere.

20 Ad primam de castitate, esto plures internæ actiones non respiciant luxuriam, non idcirco sequitur, professum in alijs non esse subiectum, quæ respiciunt præfatum vitium; vnde cum vouerit non solum abstinentiam ab actu luxurioso externo, sed etiam ab actu interno desiderandi actum externum, est euidens, professum quo ad hoc turpe desiderium subijci potestati superioris, qui remedium illi dare potest. Sicut ergo non solum vtile est, sed immo necessarium abstinere se à desiderijs, quæ militant contra castitatem Deo promissam, ita & de peccatis cogitare ad illa detestanda; & sicut is actus non cadit sub imperio superioris, quia est virtutis, lex enim iusto posita non est; ita è contra actus desiderij cadit sub potestate superioris, vt impediatur, ne fiat cum lex contra illum sit.

Ad secundum qua pauper, respondetur, professum peccare contra votum paupertatis non solum effectu, & actu externo vsurpando sibi dominium, cuius est incapax, sed etiam affectu desiderando habere dominium, quod non potest habere, ergo sicut superior habet dominium super actum externum habendi, ita & super actum internum desiderandi habere, eadem enim iure prohibetur desiderium habendi, quo interdicitur possessio rei habitæ, sed ex voto paupertatis prohibetur possessio rei, ergo & desiderium habendi, consequenter vtrunq; subijcitur dominio, & potestati superioris, non solum titulo dominij iurisdictionis, sed etiam proprietatis. Et confirmatur illa communi regula: Prohibito vno, intelliguntur prohibita omnia illa, per quæ peruenitur ad illud prohibitum, *l. oratio 16. ff. de nupt. cap. 4. de constit. iuxta gloss. v. Vnde omnia mala, cum alijs Pasqual. q.87. num.6.* Esto autem, quod actus intrinseci non possunt permutari, vendi, alienari &c. tamen per eos ad hæc perueniri

poteſt,ergo ſubijciuntur dominio ſuperioris,ſicut actus externi.

21 Ad tertium de eiſdem actibus qua inobediens, dico argumentum quidem probare excluſionem punitionis, non negationem ſubiectionis, quia cum prius ſit eſſe ſubiectum,quàm punitum, non bene infertur ex defectu effectus negatio cauſæ. Itaque eſto ſuperior non poſſit punire tranſgreſſionem actus interioris, quandiu exterius non patet, tamen per hoc non tollitur dominium,& poteſtas eidem dirigendi eoſdem actus interiores, per quos non pateat aditus ad exteriores valde præiudiciales voto profeſſionis. Per acciden s ergo eſt, quod non puniantur actus interiores,per ſe vero, quod ſint ſubiecti imperio ſuperioris,vt poſsit eos dirigere in bonum, ne violetur exterius, & interius votum paupertatis.

Quæres 6. An profeſſus habeat velle,& nolle in ſua poteſtate, an vero ſubijciatur ſuo ſuperiori quo ad vtrunq; imperium iuriſdictionis obedientiæ, & dominij proprietatis?

22 Reſp. Profeſſus non habet in ſua poteſtate iuriſdictionis actum externum volendi, ſeu nolendi,nam de interno dictum fiat in præcedenti, nec in illis dominium proprietatis reſpectu eorum,qui ſunt prætio æſtimabilia, ſed eſt pænes monaſterium,& ſuperiorem,qui cum illo poteſt diſpenſare.

Probatur, quia communiter in iure dicitur, quod religioſus non habet velle,neq; nolle,expreſſe cap.ſi religioſus 27.de elect.in 6.cap.2. de teſtam. & fin. de ſepult.in 6. Ratio eſt,quia voluntatem ſuam ſubiecit imperio ſui ſuperioris ex probatis mox, ergo illis caret, dum profeſsione renuntiauit eiſdem.

23 Caret ergo velle, & nolle,non in omnibus,ſed in ijs tantum, quæ aduerſantur directe, vel indirectè Regulæ, & conſtitutionibus ſui ordinis, vt docent omnes *cum D.Thoma 2.2.quæſt.104.art.5.ad 3.Nauar.tom.2.Comment.2.num. 59.Rodriq.tom.1.q.25.art.5.Megal.2.2.lib.2.cap.1.num.150.Sanchez lib.6. cap. 2.num.18. & 25.* & alij communiter. Caret igitur *primo* in ordine ad dominium,& aquiſitionem,& ad contrahendum,proprie enim in ijs dicitur carere velle,& nolle,in ſententia omnium. *Secundo*,in caſu electionis extra ordinem ſuum, quia non poteſt conſentire niſi cum licentia ſui ſuperioris, cap Si religioſus 27.de elect.in 6.*Tertio* caret velle in executione teſtamenti.cap. fin.de ſepult.in 6.*Quarto*,in contrahendo matrimonium, ex cap. Vn. de voto in 6. Itaque in ijs,& ſimilibus,quæ aduerſantur Regulæ,& ordinationibus ſui ordinis carent profeſsi velle,& nolle, quorum velle, & nolle ſuperior ſuo conſenſu poteſt confortare,& iuſtificare,quando oportuerit.

24 Non caret ijſdem actibus, ſed ſibi illos retinet in multis, quæ non aduerſantur ſuæ profeſsioni.*Primo* in actibus naturalibus ad ſuum honorem, & famam ſpectantibus,in quibus eſt ſui iuris, iuxta illud: *Honorem meum nemini dabo*.In his non ſubijcitur ſuperiori. *Secundo* in materia electionis,quia id ius profeſsione aquirunt in religione tantum,*Gloſ. fin.cap.Non dicatis 11.12.q.2. Sigiſm.dub.10.num.7.& 8.& dub.41 num.13.Tertio* habet ius accuſandi ſuum ſuperiorem,ex adductis per Gloſ.fin.cit. cap. Non dicatis. *Quarto*,in veſtibus neceſſarijs,& alimentis ex vi ſuæ profeſsionis,vt colligitur ex Extrauag. Quorundam,de verb.ſignif.ex Regula S. Franciſci cap.2. *Et aliam tunicam ſine caputio,ſi voluerit habere*.

Quæres 7.Quomodo religioſus dicatur mortuus mundo? Vt habetur cap.

Pla-

Placuit 8.16.q.1.l.Deo nobis,fin.C.de episc.& cleric. Authent. De nuptijs, §. Distrahuntur.

25 Resp. Religiosus dicitur mundo mortuus respectu earum actionum, quæ sibi mortem inferunt animæ, si sit transgressor eorum, quæ Deo promisit ex tribus votis,in quibus reputatur ac si esset mortuus,itaque mors hæc, quæ ciuilis dicitur æquiparatur morti naturali in eo, quòd sicut defunctus nihil operari potest,ita neq; religiosus ciuiliter mortuus.

26 Dicitur ergo mortuus respectu eorum,quæ aduersantur Regulæ, & constitutionibus,iuxta quod dictum fuit de eodem,in quantum caret velle, & nolle, pari enim passu currunt, & pro eodem accipiuntur, quia qui caret velle,& nolle nihil operatur,sicut mortuus.Ita *Sanch.lib.7.cap.3.num.68.cap.15.n.31. & cap.12.num.13. Vecchius disput. 13. de Nouit. vbi hoc axioma latè explicat dub.9.per totum.* Religiosus autem habetur pro mortuo secuta professione, non in omnibus,sed in illis tantum casibus, qui exprimuntur in iure. *Glos.v. Mortuus dicti cap. Placuit* 8.16. *q.1. & Glos.v.Non morte, cap.Susceptum 6.de Rescr.in 6.*vbi Barb.num.17.infinitas pœnas recenset.

27 Viuit vero,& non est mortuus ciuiliter in multis. *Primo* in aquirendo suo monasterio,si est bonorum capax, non enim est mortuus in præiudicium tertij,ne sit illi onerosus, *Sanch. lib.7. cap.3.num.68. & 81. & cap.12.num.4. Rodriq.tom.3.q.29.art.5.tom.2.q.78. art.12.fine, Gatticus vol.1.fol.744.* Non est mortuus,sed viuit *secundo* quo ad actus naturales, aggressus enim potest se tueri,*Graff.par.1.lib.2.cap.65.num.9.* Vnde etiam potest appellare, si à superiore iudice sit grauatus, *Nauar.tom.3.de Regul.num.* 51. Viuit *tertio* quo ad iura spiritualia prælationum,officiorum,& quo ad vocem vtranq; præcedentiam, & huius generis, quæ religio eis concedit ex titulo professionis, hæc enim aquirit,non perdit. Ita *Rodriq. tom.3.q.29.art.4. Miranda tom.1.q.28. art.1.fine, Sanch. lib.7. cap.18. num.25.cap.29.num.118.Ego cap.1. num.83.de profess.regul.editione Veneta,& resol.85.num.50.*

Quæres 8: An sit incapax ad se obligandum non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter?

28 Resp. Non potest professus se obligare nec naturaliter, & in foro conscientiæ, nisi habeat licentiam ad minus præsumptam à suo superiore, quia obligatio oritur à consensu, & voluntate eius, qui intendit se obligare; sed religiosus cum sit mundo mortuus,ac proinde careat voluntate, ex supradictis, respectu eorum, quæ aduersantur Regulæ, non potest efficaciter præstare suum consensum in producenda obligatione, ergo nullo modo potest se obligare nec in foro conscientiæ. Ita duodecim Doctores, quos contra se citat *Sanchez lib.7.cap.31.num.36.docui ego cap.24. de profess. regul. num.79. Palaus disp.3.de iust.p.15.num.3.*in ordine ad contractus, non ad simplices promissiones.

Sanchez ergo citatus num.37.tenet obligari naturaliter, quam sequitur de Lugo disp.2.de iust. num.222. quia sicut vota a religioso emissa absq; superioris licentia obligant in conscientia,donec à superiore irritentur, ita & promissio homini facta obligat in conscientia. *Secundo* seruus obligatur naturaliter contrahens sine consensu domini l.Naturaliter,l.si id quod ff. de cond. indeb. *Tertio*,si naturaliter non obligatur, ergo nec eius fideiussor contra l.1.& 2.ff. de fideiuss.

39 Resp. ad primum, esse discrimen inter votum, & promissionem in contractibus, nam votum etiam de licentia factum rescindi, & irritari potest, non vero promissio homini facta. Ita Palaus num. 4. Vide de Lugo num. 222. §. Di-
30 ces. *Ad secundum*, seruus non habet alligatam propriam voluntatem, sicut religiosus, ideo ille naturaliter obligatur, non religiosus. *Ad tertium*, prouisio
31 est, quod fideiussor exigitur vt se obliget in solidum, ac proinde ita obligatur ipse ac si esset principalis, hæc enim clausula *in solidum* operatur, vt fideiussor non se habeat pro tali, sed pro principali, non loco principalis, *Agmon cons. 77. num. 3. Iason lib. 3. cons. 58. num. 4. Barb. hac claus. 72. num. 3.* Vnde cum fideiussor possit se obligare, & pro principali habeatur, tenetur de contractu, licet religiosus non potuerit se obligare. Palaus cit. num. 4.

Quæres 9. An professus sit incapax ad contrahendum?

32 Resp. Est incapax ad contrahendum in præiudicium conuentus, nisi accedat consensus superioris, vt patet ex mox dictis, consequenter contractus attentatus est nullus ipso iure, quia deest consensus ex parte religiosi, qui non præsumitur abesse quando est utilis conuentui, cui semper potest aquirere, cum in hoc habeat velle, & nolle, & non sit mortuus mundo. Vide *præcitatos, & Peyrinum de Prælato q. 3. cap. 5. per totum*. De hac re latius infra cap. 19.

Quæres 10. An religiosus sit capax standi in iudicio? stare in iudicio est
33 fungi aliquo actu iudiciali, vti faciunt Actores accusando, denuntiando, querelando &c. Rei citati in iudicio, Procuratores, & Aduocati defendentes reos. Testes pro querelante, uel pro reo. Facere officium Notarij, uel Iudicis &c.

34 Resp. Religiosus ad prædicta nullam habet habilitatem, standi scilicet in iudicio extra religionem, quia ex dictis caret efficaciter uelle, & nolle, & mortuus est mundo in causis criminalibus extra ordinem. *ex Nauar. tom. 2. num. 64. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 11.*

Quæres 11. An uotum obedientiæ respectu sui dicat solemnitatem aliquam, per quam superior possit inhabilitare suum subditum in ordine ad aliquem actum extra materiam uotorum Paupertatis, & Castitatis?

35 Resp. Negatiue, quia superior habet potestatem ita efficacem ex ui coactiua, & punitiua, ut ualeat subditum continere in officio sine inhabilitate. Confirmatur, quia alias virtute suæ potestatis, & non ex constitutione professus fieret incapax. Quare non potest efficaciter impedire per suum præceptum ne quis voueat, ne quis celebret missam pro alio, inquit Sanchez lib. 5. cap. 1. num. 6. Sed id patitur difficultatem alibi examinandam, nam vt alibi
36 probaui potest superior per se ipsum applicare valorem sacrificij, prohibitione prius facta, ne quis celebret, nisi dependenter à sua voluntate, quæ est vt prius satisfiat obligationibus ordinarijs sacristiæ. Vide Quartum Theatinum super Rubr. Missalis in Append. de Sacrificio q. 2. p. 14. vbi duas refert sententias, & sequitur eam, quæ docet præualere applicationem celebrantis, non obstante prohibitione facta illi à superiore, & non posse ab eo irritari factam applicationem per Sacerdotem. Vide Dianam par. 1. & 2. tract. 14. de celebr. miss. resol. 72.

CAPVT

CAPVT VII.

De Renuntiationibus, quæ fiunt ab ingredientibus Religionem?

1 *Bona, de quibus nouitius non disposuit, professione transeunt ad monasterium.*
2 *Solemnitas Tridentini in renuntiando refertur.*
3 *Renuntiatio est refutatio proprij.*
4 *Alienum non renuntiatur.*
5 *Renuntiatio est species donationis saltem quo ad effectum,*
6 *Renuntians dicitur possidere vsque ad actualem aquisitionem renuntiatarij.*
7 *Renuntiatio alia absoluta.*
8 *Alia conditionalis,*
9 *Qualis est, quæ fit à nouitijs.*
10 *Conditio nihil poscit in esse, sed rem facit remanere in suspenso.*
11 *Renuntiatio euanescit, si non adimpletur conditio.*
12 *Realis renuntiatio quid sit? quid personalis?*
13 *Quando vna desumitur ab alia.*
14 *In dubio personalis censetur.*
15 *Renuntiatio est stricti iuris.*
16 *Stricte interpretanda quæ fit à nouitijs.*
17 *Renuntiatio pendet à libera voluntate.*
18 *Dilectio maior præsumitur erga parentes.*
19 *Sine exclusione tamen monasterij.*
20 *Quot fines habeat disponens ingressurus religionem.*
21 *Causa finalis, & causa impulsiua.*
22 *Et quæ magis attendatur.*
23 *Ingressurus debet seruare formam Tridentini.*
24 *Dictio* quoque *quid significet in cap.16. sess.25.*
25 *Locutio in rem ampliatur magis, quam si sit in persona.*
26 *Tridentinum afficit etiam laicos volentes ingredi.*
27 *Decretum de renuntiatione non corrigit ius commune.*
28 *Renuntians extra bimestre inualide agit.*
29 *Statutorum forma non est seruanda ab ingresso, sed tantum ingressuro.*
30 *Nouitius est persona Ecclesiastica.*
31 *Nouitius liberam habet facultatem disponendi de suis bonis.*
32 *Liber ad agendum alterius licentia non eget.*
33 *Donatio causa mortis, & testamentum eodem iure censentur.*
34 *Tridentinum hic non tollit ius commune.*
35 *Renuntiatio iam facta non potest renunciari.*
36 *In contractibus conditionalibus duo spectantur.*
37 *Renuntiatio euanescit per non ingressum, vel per recessum.*
38 *Læsio enormissima non infringit renuntiationem.*
39 *Magis præsumitur diligere suos, quam extraneos.*

40 R:-

40 *Renuntiatio, in qua nihil relinquitur monasterio, valet.*
41 *Donatio omnium bonorum an sustineatur?*
42 *Testamentum professione non rumpitur, licet nihil sit relictū.*
43 *Renuntiationum duarum prior valet.*
44 *Donatio non potest reuocari nisi ex causa.*
45 *Donatio secunda cum nihil sit non tollit primam.*
46 *Testari potest de fructibus rerum, quæ renuntiauit.*
47 *Nouitius in disponendo præsumitur diligere magis monasterium, quam extraneos.*
48 *Insinuatio quid sit?*
49 *Non requiritur in renuntiatione.*
50 *Renuntiatio an sit simplex, vel donatio?*
51 *Natura contractuum magis cognoscitur ab effectu, quam à verbis.*
52 *Ex pluribus causis, vna sublata, remanent aliæ.*
53 *Monasterium potest renuntiare bona nouitiorum.*
54 *Quinam contractus fiant cum solemnitate Tridentini.*
55 *Beneficium renuntiatur cum solemnitate.*
56 *Patrimonium pari modo.*
57 *Omnes item contractus lucratiui.*
58 *Contractus quinam fiant sine solemnitate.*
59 *Donationes, & Elemosinę paruę fiunt sine solemnitate.*
60 *Contractus vtrinque onerosi fiunt sine solemnitate.*
61 *Fructus intermedij temporis sunt monasterij.*
62 *Renuntiatio proprietatis non includit fructus.*
63 *Cum vni proprietas, & alteri fructus legari possint.*
64 *Renuntiatio nulla existente inualida professione.*
65 *Valor illius dependet à valore huius.*
66 *Professio nulla non est vera professio.*
67 *Renuntiatio euanescit, redeunte ad seculum.*
68 *Renuntiatio ratificatur reprofessione.*
69 *Renuntiatio dicitur nulla declarata ad declarationem nullitatis professionis, reuiuiscit tamen ad reprofessionem.*
70 *Contrahens cum conuentu debet seruare formam.*
71 *Consuetudine contraria nō potest derogari huic formę.*
72 *Actus aliquis potest dici nullus duobus modis.*
73 *Consuetudine tollitur decretum irritans.*
74 *Matrimonium olim interdictum vsque ad septimum gradum, nunquam derogatum consuetudine.*
75 *Gradus quomodo numerentur à Legistis, & Canonistis?*
76 *Licentia Episcopi necessaria ad valide renuntiandum.*
77 *Licentia pręsumitur pręcessisse facta eodem die instrumenti.*
78 *Scriptura indiget pro sui probatione.*
79 *Episcopus debet esse confirmatus.*
80 *Confirmatione aquirit iurisdictionem, & consecratione potestatem ordinis.*
81 *Metropolitanus dat licentiam nouitijs sui territorij.*
82 *Et in causa appellationis à sufraganeo nolente concedere illam.*
83 *Capitulum sede vacante dat eandem licentiam.*

84 *Vica*

84 *Vicarius Generalis licentiat ad renuntiandum.*
85 *Non specialis monialium vt sic, sed vt delegatus.*
86 Vicarij *nomine venit Generalis.*
87 *Abbates territorium habentes veniunt sub nomine Episcopi.*
88 *Episcopi potestas duplex iurisdictionis, & ordinis.*
89 *Episcopi, & Prælati maiores æquiparantur in iurisdictione.*
90 *Abbates dant licentiam renunciandi etiam suis nouitijs.*
91 *Non autem si careant territorio.*
92 *Differentia inter Abbates habentes, & carentes territorio.*
93 *Prælatus dat licentiam solum nouitijs existentibus in suo territorio.*
94 *Quis dat licentiam renuntiandi nouitio moranti extra nouitiatum.*
95 *Supradicti possunt delegare hanc potestatem licentiandi nouitios.*
96 *Quia est ordinaria à lege, ac proinde delegabilis.*
97 *Bimestre numeratur à die professionis.*
98 *Et proximi à professuro ex priuilegio intra annum probationis.*
99 *Dispensatio extenditur ad accessorium.*
100 *Renuntiatio fieri potest in bimestri ordinario, vel etiam subsequentes.*
101 *Bimestre physice est computandum.*
102 *Itaut defectus vnius diei irritat renuntiationem.*
103 *Renuntiatio facta sine licentia, vel extra bimestre nulla est.*
104 *Solemnitas hæc à maioribus, & minoribus seruanda.*
105 *Dictio* quoque *coniungit caput sequens cum antecedenti.*
106 *Militares in renuntiando non tenentur decreto Tridentini.*
107 *Tridentinum in Sessione 25. solos claustrales reformat, non militares.*
108 *Ierosolimitani tamen se subiecerunt.*
109 *Mortuo nouitio sine professione nihil debetur monasterio.*
110 *Renuntiatio nulla sola professione non ratificatur.*
111 *Bona renuntiata non traduntur renuntiatarijs, nisi secuta professione.*
112 *Tridentinum explicatur super hac traditione.*
113 *Prohibet enim eam quouis tempore anni nouitiatus.*
114 *Argumentum non valet à facto ad ius.*
115 *Conuentus non tenetur consentire in renuntiationem, in qua nullam vim habet.*
116 *Renuntiatio cum hac conditione valet:* Si ingressus fuero *religionem.*
117 *Renuntiasse non censetur legitimæ, de qua non fuit facta mentio.*
118 *Neque bonis prioris matrimonij.*

1 QVoniam in Autentica *Ingressi* nouitius professionem emittendo, professus non solum seipsum, verum etiam propria bona Deo dedicat, per quam dedicationem, quæ est ipsamet professio trium substantialium votorum, illius bona ipso iure aquiruntur monasterio, quod omnes Doctores aiunt procedere, si antecedenter ad professionem aliud de illis non disposuerit, ideo in hoc præsenti capite de dispositione bonorum ingredientium agendum est sub titulo renunciationis, per sequentes quæstiones.

Præmitto autem formam solemnem, quam nouitij seruare debent in renuntiationibus faciendis, quam statuit Tridentinum Sess. 25. cap. 16. his verbis.

2 *Nulla quoq. renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel*

in

in fauorem cuiuscunq; causa piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, seu etiam Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta etiamsi cum huiusmodi fauoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus. Vide Barbosa super dictum caput Doctores citantes. & licet de hac materia ego egerim Resol. 60. & nouissime cap. 13. de Professione regulari impressionis Venetæ anno 1660. nihilominus hic subijciam prætermissa locis citatis, & aliquid reformabo.

Quæres igitur 1. Quid sit renuntiatio?

3 Resp. Est refutatio spontanea proprij. Ita Host. in hoc titulo. Qui ergo renunciat à se alienat, & abdicat, quod non vult inter sua bona. Debet autem esse spontanea, non coacta, nec per vim facta, alias non teneret in

4 sententia omnium, *apud. Barb. ad cap. 5. de Renunt.* Dicitur autem facta de proprio, quia nemo dicitur renunciare alienum, ad quod nullum ius habet. Nomine autem proprij non solum veniunt bona præsentia, sed etiam futura, hæc enim donari possunt, & renuntiari, vt dixit *Rota par. 9. Recent. tom. 1. decis. 56. num. 106.* sed etiam iura, & actionem, vt latius dicam suo loco, dum explicabo ea verba Authent. *Suaq; dedicant Deo.* Renunciatio ergo habet pro obiecto non solum bonum illud quod renuntiaturus habet actu, sed etiam id, quod in spe habet, & sic presentia, & futura.

Quæres 2. An renuntiatio sit species donationis?

5 Resp. Sic, quia renuncians, sicut donans alienat a se rem renunciatam, & intendit, quod sit alterius, in quem transfert dominium rei renuntiatæ, & donatæ. Ita *M. Anton. lib. 2. resol. 23. num. 10. Ciarlin. cap. 176.* 27. non differunt ergo in effectu, vt dicit Rubeus *par. 4. tom. 3. ad decis. 523. num. 82.* Renuncians autem dicitur adhuc possidere, donec ille in cuius fauorem fit renunciatio, aquirat, & acceptet renuntiatum, ex Paris. *lib. 1. de Relig. benef. q. 3. num. 63. apud Ciarlin. cap. 150. num. 23.* Et licet sermo sit de resignat. benef. idem tamen dicendum est in præsenti materia, cum resignatio sit species renunciationis.

Quæres 3. Quotuplex sit renuntiatio.

7 Resp. Alia dicitur absoluta, alia conditionalis, alia realis, alia personalis; singulæ sunt explicandæ.

Absoluta dicitur illa in qua quis bona sua refutat simpliciter sine vlla conditione, ita quod bona renunciata per acceptationem statim transeunt in proprietatem eius, in cuius fauorem fuerunt renunciata.

8 Conditionalis renuntiatio est illa, in qua quis suis bonis renunciat secuto aliquo effectu, ita quod eo non existente, bona renunciata non fiunt ipsius renuntiatarij, necesse ergo vt purificetur conditio, aliter renuntiatio continuo manet in suspenso, & suum non sortitur effectum, nisi conditione verificata.

9 Omnes renunciationes, quam faciunt religionem ingredientes, appellantur conditionales, quia ad eas faciendas mouentur intuitu ingressus, ita quod tunc solum facta renunciatio sortitur suum effectum in fauorem renuntiatarij, cum emittit professionem, & quidem validam alias non, sed semper manet suspensa, aut euanescit, si non vult amplius ingredi. Posita ergo valida professione, renunciatio, quæ alias erat conditionalis, euadit absoluta, & bona renunciata transeunt sub dominium, & possessionem eius, in cuius

fauorem

fauorem donatio illorum facta fuit. Et in hoc omnes conueniunt, ea ratione, quod conditio nihil ponit in esse, *l. Siquis* 8. *ff. Siquis onesta causa testam. l. Cedere* 213. *ff. de verb. signif.* Sed facit dispositum manere in suspenso, *l. cum ad*
11 *præsens* 37. *ff. de reb. cred.* ita quod euanescit renuntiatio, quoties conditio non impletur, *ex Rota p.* 8. *decis.* 217. *num.* 4. *Merlin. dec.* 894. *num.* 1. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 17.

12 Realis renuntiatio est illa, per quam bona renunciantis indistinctè transeunt ad omnes heredes renuntiatarij, ita quod renuncians se perpetuo priuauit illis vt non possit aliquo modo redire ad illa. Personalis vero est illa, per quam bona specificata transeunt solum ad personas nominatas, & singularizatas. Realis ergo excludit omnino renuntiantem à iure succedendi, & petendi renunciata. Personalis vero non excludit tale ius respectu quoruncumq; sed tantu respectu renunciatarij expressi. Difficile autem est scire in indiuiduo qualis renuntiatio sit realis, & qualis personalis & diuersis modis eas concipiendi, & exprimendi.

13 Puto cum Doctoribus infra citandis, eam renunciationem esse realem, quæ exprimitur similibus verbis: *Renuntio omnibus meis bonis, iuribus, & actionibus præsentibus, & futuris N. N. & eorum heredibus in perpetuum. Nullum ius volo mihi retinere. Volo, quod sit realis, quam facio per Aquilianam stipulationem, & cum pacto de nunquam petendo aliquid, & nunquam succedendi alicui, &c.* Personalis vero renuntiatio similibus verbis exprimitur. *Renuntio bonis omnibus, iuribus & actionibus paternis, & maternis ad fauorem fratrum meorum, itaut super eisdem bonis iuribus, nihil aliud vllo vmquam tempore, ex quauis causa, & sub quouis prætextu nunquam prætendere volo, nunc, nec in futurum. &c.* Obiectum huius renuntiationis non comprehendit quodcumque bonum cuiuscumq; esse possit, sed tantum bona paterna, & materna, ad quæ proinde se restringit renuncians, ergo sibi, & verius monasterio reseruat ius ad quæcumq; bona, quandocunq; carebunt qualitate patris, aut matris. De hac distinctione vide Merlinum *decis.* 62. *Carenam resol* 245. *Donatum Anton. de Marinis lib.* 2. *Resol. Quotid. cap.* 189.

Quæres 4. In dubio an renunciatio sit realis, an personalis quid resoluendum?

14 Resp. Quod sit personalis, quia cum sit stricti iuris, vt mox dicam, sufficit, quod respectu alicuius verificetur, & non respectu quoruncumq; Ita *Bald. in cap.* 1. *de eo, qui finem feud. Ruin. lib.* 1. *cons.* 11. *num.* 12. *Merlin. decis.* 62. *num.* 12.

Quæres 5. An renunciatio sit stricti iuris, ac proinde stricte interpretanda?

15 Resp. Affirmatiue. *Aymon cons.* 1. *num.* 454. *Vers. quod in renuntiatione, Cart. cun. cons* 16. *num.* 11. *Decian. lib.* 3. *cons.* 7. *num.* 75. *Paris. lib.* 1. *cons.* 110. *num.* 96. *Seraph. decis.* 559. *num.* 4. *cum alijs Rota par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 523. *num.* 7. *Ventril. de Renut. filiæ dotatæ Annot.* 1. §. 1. *num.* 5. Sequitur ex his, quod non debet fieri extensio ab vna persona ad aliam in bonis renuntiatis; neque de aliquibus bonis ad alia bona *l. Si vnus §. Ante omnia ff. de pactis l. si domus ff. de seruit. vrb. præd. Alex. lib.* 2. *cons.* 4. *col.* 5. *Peregr. de fideicom. art.* 52. *num.* 25. *Ventril. loco citato* Renuntiatio iuris præsentis non trahitur ad futurum, *Gratian. cap.* 520. *unm.* 17. *cap.* 745. *num.* 52. Renuntiatio

tiatio paternorum, & maternorum non includit fraternorum bona. *Rubeus par. 4. tom. 2. decis. 375. num. 11. Gratian. cap. 685. num. 2.* Non extenditur ad ignorata, licet sit de iuribus, quæ sperat habere *Rota par. 4. tom. 3. decis. 523.* Et satis est quod aliquid operatur, *ibidem num. 19. & 20.*

Quæres 6. An renuntiationes factæ intuitu religionis ingrediendæ sint strictè an late interpretandę?

16 Resp. Sunt strictè interpretandæ, quia ex quo fiunt intuitu ingrediendi religionem, alias non faciendæ non perdunt conditionem intrinsecam ipsi renuntiationi vt sic, vt strictè sit interpretanda, sicut interpretantur omnes aliæ.

In Contrarium est Molina de iust. tom. 3. disp. 579. sub num. 19. dicens, renuntiationes factas in seculo expirare, si personæ contemplatæ deficiant, loquendo vero de factis ab ingredi volentibus, non expirare, quia similes renuntiationes videntur factæ eo animo, & receptæ respectiue, vt parentes ad libitum de bonis renuntiatis disponere possint. Ita ex eo sentit *Ottobon. decis. 10. num. 27.* Paulus Rubeus *ad decis. 523. par. 4. tom. 3. sub num. 126. referens Rouitum lib. 1. consi. 44. num. 7. & 14. Mar. Castell. de donat. contemplat. matrim. fol. 579.* confirmant, quia renuntiatio solet fieri, vt monialis humanarum rerum curas exempta Deo feruentius, & quietius seruire valeat; terrena enim religiosis sunt impedimenta, non adiumenta, & multis alijs suadet, quæ tamen non conuincunt, cum enim huiusmodi bona non occupent professum, nec illum alienent à seruitio Dei, quia de illis cura est apud officiales, nulla ratio suadet, vt monasterium negligat ea, quæ sua sunt, per latam interpretationem exponenda ea, quæ alterius. Immo ex hac opinione sequitur neminem posse ingredi, nisi prius bonis renun-
17 tiatis, vt possit liberius seruire Deo, & tamen huiusmodi renuntiatio in sententia omnium est libera non necessaria, *ex citatis à Rota par. 4. tom. 3. decis. 556. num. 7.* Et quamuis ingredi volentes disponendo de suis bonis præ-
18 sumantur magis diligere consanguineos, quam extraneos, cuiusmodi est monasterium, quia natutalis propensio est benefacere prius suis, quam extraneis, vt probaui cap. 13. de profess. Regul. q. 66. num. 111. tamen per hoc non dicitur omnino excludi monasterium ab omni spe; vnde Merlin. decis. 62. fine, dicit, quod non est verisimile, quod monialis, de qua ibi, vo-
19 luerit monasterium, quod est loco filij, & quod sibi pro domicilio perpetuo elegerat, postponere quibuscunq; heredibus.

Quæres 7. Quo fine volens ingredi religionem inducitur ad disponendum de suis bonis.

20 Resp. Religionem ingressurus duos habet fines, vnum erga Deum, nempe seruire Deo, & relinquere mundum, religiosus enim debet seruire Deo & mori mundo; alterum erga dispositionem suorum bonorum, vel professione illa in monasterium transferendo, vel suis parentibus, & consanguineis renuntiando, vt bona conseruentur in familia, vt dicam mox. ff., a priori sic, qui est principalis, quia seruire Deo regnare est, dependet posterior, qui ab illo sequitur, non enim homo suis renuntiaret, si non haberet intentionem ingredi religionem ad seruiendum Deo, disponit ergo, quia impellitur quodammodo ab ingressu, vnde deliberatio ingrediendi, & Deo seruiendi respectu dispositionis appellatur causa impulsiua, seu occasio

ad

ad disponendum, & id illius effectus. Adest hic alia causa finalis, nimirum, conseruatio agnationis, à qua mouetur ad renuntiandum in eius fauorem; vel commodum monasterij, si pro eo disponat. Vide *Merlinum decis. 126. num. 67. & 68. & decis. 869. num. 8. & 894. num. 3. vbi alijs citatis*, causam finalem vocat cum Baldo eam esse, quæ principaliter mouet disponentem, impulsiuam vero, quæ præbat occasionem, & excitat ad agendum. Conseruatio igitur familiæ est causa finalis disponendi, voluntas ingrediendi est causa eius impulsiua, & excitans ad disponendum; vt liberius vero seruiat Deo est causa principalis mouens ad ingressum, & ad disponendum.

21 Megalius *cons. 23. num. 12. ex Nauarro cap. 17. num. 107. & Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 3.* dicit, quod causa principalis magis est attendenda, quam impulsiua, exemplificando in elemosina, cuius causa principalis est amor Dei, impulsiua hic, vel ille pauper, quia excitat ad sibi dandam elemosinam, per hoc respondens Soto, qui dicebat, eum, qui dedit elemosinam pauperi ficto, non intendere donare Christo, nisi quatenus huic pauperi donare intendit, id scilicet esse falsum, quia principalis causa est attendenda potius, quam impulsiua.

22 Marcus Paulus de Leone Societatis Iesu *in sua Praxi ad literas Penitent. par. 1. de form. Votorum fol. 59. & 60.* Causam finalem vocat eam, quæ simpliciter mouet Principem ad gratiam concedendam, qua non existente gratiam non faceret, aut ea explicata gratiam denegaret, aut saltem non concessisset eodem modo, quo concessisset positis moderaminibus, impulsiuam vero appellat eam quæ Principem mouet ad facilius, vel difficilius gratiam faciendam, non autem ad simpliciter concedendam; & si taceatur, vel exprimatur, siue sit vera, siue falsa, non vitiat concessum, quia est illi extrinseca; sicut finalis est intrinseca valori gratiæ factæ. Qui paulo inferius dicit in dubio, causam esse censendam impulsiuam, non finalem, quia vera maxime fauent validitati actus, & in dubio illum præsumunt validum, *cap. Abbate 25. de Verbor. signif. l. Quoties 13. ff. de rebus dub.* & ibidem Doctores citat. Hæc dixi pro varia significatione huius diuisionis causæ finalis, & impulsiuæ, quamuis parum faciant ad præsens negotium.

Quæres 8. An valeat renuntiatio facta ab eo, qui non dum recepit habitum probationis, prætextu, & animo religionem ingrediendi, non seruata Tridentini forma?

23 Resp. Non valet, quia omnis renuntiatio in ordine ad religionis ingressum facienda est ad formam Tridentini, cuius decretum supra extensum fuit, comprehendens non solum ingressos, sed etiam ingressuros, vt clare patet illis verbis *Nulla quoque renuntiatio antea facta*. Propositio est vniuersalis, *Nulla renuntiatio*, ergo comprehendit omnes, ac proinde non solum factas per ingressum, & etiam per ingressurum, propter sequentia verba, *Antea facta*, quæ certe referuntur ad omne tempus præteritum, ergo & ad tempus ante susceptionem habitus. Concilium ergo non loquitur præcise de nouitijs formaliter acceptis, habentibus scilicet iam habitum probationis, cum decretum loquatur in rem, non in personam, consequenter indifferenter se habet ad nouitium tam in potentia, quam in actu. Et id confirmatur *ex dictis Fusius cap. 13. q. 1. de Profes. Regul.* Ita tenet *Rota par. 5. tom. 2. decis. 586. num. 17.* vbi docem Doctores pro se refert. Quindecim vero illis computatis refert

I 2 contra

contra se Pasqualig. q. 273. num. 2. & decemnouem pro contraria opinione ibidem adducit; sequitur *Ventrilia Annot. 46. §. Vn. num. 7. Sperellus decis. 16. num. 18. Barbosa de iure Eccles. cap. 42. num.* 235. vbi plures refert pro nostra opinione, quam etiam sequitur Possent. sinq. 336. vbi dicit, factam sine forma Tridentini ab ingressuris non esse tutam. Rota ergo, quæ iam tenuit, renuntiationes ab ingressuris faciendas esse ad formam Tridentini, mutauit affirmatiuam in negatiuam, nimirum, ab illis non esse seruandam formam Tridentini, coram Royas *leg. Febr. 1640. in Romana donationis, referente Paulo Rubeo par. 5. Recent. tom. 2. decis. 586. in Annot. & est extensu par. 9. vol. 2. decis. 450. quam sequitur* Carena *resol. 166. Donatus Ordinis Prædicat. de rebus Regular. par. 4. tract. 7. q. 20.*

Probant primo ex titulo illius sess. qui est de Regularibus, & non de secularibus, ergo eos non comprehendit. *Secundo* ea dictio *quoque* refert predicta, nempe in cap. precedenti, vbi de nouitijs tantum verba fuerunt facta, ac proinde repetitiua est tantum ipsorum nouitiorum, qui non possunt renuntiare nisi ad formam Tridentini. *Tertio*, lex, quæcumq. ea sit afficere potest tantum subditos, & non alios, qui sunt extra Spheram iurisdictionis, quæ non potest exerceri in non subditos, iuxta illud I. Corinth. cap. 3. *De his, qui foris sunt nihil ad nos*. Sed Concilium licet habeat iurisdictionem cum Pontifice indirecte circa temporalia, quatenus potest aliquid disponere circa temporalia ad excludendum peccatum, non tamen habet iurisdictionem directam, nec potest politicas leges imponere, vt docet cum multis Pasqualig. cit. q. 273. num. 4. ergo concilium non se extendit ad renuntiationes huiusmodi respectu mere secularium, illud ergo decretum de modo renuntiandi est positum tantum pro nouitijs, non pro ingressuris. *Quarto*, quia cum Tridentinum sit correctorium iuris communis, non potest intelligi, nisi in casu, de quo loquitur, nempe de nouitijs volentibus renuntiare.

Primo respondetur, esto titulus sit de Regularibus, nonnulla etiam ibidem prohibentur secularibus, ne scilicet dent aliquid monasterio de bonis nouitij, ne hac occasione discedere nequeat; & in sequenti capite prohibet puellæ, ne ingrediatur recipiens habitum ante duodecimum. Ergo etiam decreta huius sessionis, comprehendunt seculares respectiue ad ingressum, ac proinde sicut puella prohibetur recipere habitum intra duodecimum annum, & nondum nouitia, ita precedens de renuntiationibus prohibet volentibus ingredi, ne suis bonis renuntient, nisi seruata forma ibidem prescripta.

24 Secundo dico, illud aduerbium *quoque* non repetere personas secundum eorum qualitates, nempe nouitias existentes in probatione, sed importare tantum similitudinem in valore, seu nullitate, vt sicut professio emissa infra annum probationis, vel ante decimum sextum annum ætatis expletum, est nulla; ita *quoque* nulla sit renuntiatio facta à quocumq. intuitu religionis non seruata forma ibi præscripta. Et quod illud verbum *quoque* importet solum similitudinem in ordine ad nullitatem patet ex diuersitate modi loquendi, nam in capite 15. decretum loquitur in personam, in sequenti vero capite loquitur tantum in rem, ac proinde aduerbium illud *quoque* non potest referri in conditionem personæ precedentis capitis, cum nulla persona exprimatur, sed tantum res, consequenter annullatio renuntiationis refertur ad irritationem professionis, ex quo sunt res quasi ad inuicem comparatæ ex dictione

quoque

quoque ambe nullæ, si in eis non seruetur forma illorum duorum decretorum Quod autem in eo comprehendantur non solum nouitij in actu, sed etiam in
25 potentia probatur, quia locutio in rem ampliatur, ex allatis à Rota par. 5.to. 1. decis. *36.* num. 34.
26 Tertio respondeo, verum esse, quod quælibet lex suos tantum afficit subditos, ac proinde hoc Tridentini decretum afficere non solum nouitios actu, sed etiam in spe tales, quouis modo consideretur auctoritas Concilij, seu Pontificis Romani, siue directe referatur in ecclesiasticos, siue in laicos indirecte, nam hoc decretum dirigitur etiam ad temporalia, vt volens ingredi disponat de suis bonis ad formam huius decreti, ne sibi demat libertatem in ordine ad professionem, & propterea esto alias non comprehenderet nondum ingressos, quod negatur, includeret eosdem propter dictam rationem.
27 Quartum demum argumentum repellitur sic, nam hoc decretum non corrigit ius commune, quia reuera non tollit ingredientibus facultatem disponendi de suis bonis, sed tantum tradit illis formam, per quam prudenter, & recte possint renuntiare sine vllo errore, & deceptione.

Quæres 9. An nouitius habens iam habitum probationis inualidè renuntiet, si disponat de suis bonis ante illud bimestre precedens professionem?
28 Nulla est renuntiatio etiam iurata facta ante illud bimestre, vt expresse dicitur in Tridentino, & docent omnes *cum Nauar. consil.* 81. *&* 82. *de Regul. Barbosa ad hoc cap. nu.*38. *Merlin.decis.* 869. *nu.* 5. Quinam autem contractus, & alienationes sint faciendæ ad formam Tridentini dixi abunde cap. 13. de Profess. Regul. infra q. 28.

Quæres 10. An seruanda sit forma statutorum singulorum, locorum ab ingresuro, vel iam ingresso, sicut seruanda est forma decreti Tridentini?
29 Resp. Seruanda est ab ingressuris, non vero ab ingressis, & nouitijs. *Primum* probatur, quia cum adhuc pro seculari, & laico habeatur, tenetur statutis, quibus adhuc subditus, quousq. habitum probationis recipiat. Ita Rota par. 5. tom. 1. decis. 125. num. 43. vbi quod donatio facta non seruatis solemnitatibus statutis loci est nulla, illæ enim inuentæ sunt ad euitandas fraudes, ob publicam vtilitatem. Ea autem decisio emanauit pro Equite Martio Tagliaferro Parmensi statutum autem requirit in omni donatione, & renuntiatione cum decreto irritante, vt contrahentes expresse iureiurando protestentur, & affirment, donationes non esse fictas, aut simulatas, seu dolosas, sed esse veras, & bona fide fieri ab ipsis. *Secundum* probatur, quia nouitius & persona ecclesiastica gaudens priuilegijs canonis, & fori, vt non
30 subdatur statutis laicorum, sed solum sacris canonibus, ex plerisq. Doctoribus. *allatis ab Ottobon. decis.* 10. *num.* 48. *Sperello decis. 16. à num.* 12. *ad* 18. vbi cum dicta decisione Rotæ ait ingressurum teneri renuntiare ad formã statutorum laicalium, iam vero ingressum, & nouitium teneri seruare decretum Tridentini; sequitur. *Carena resol.* 245. *num.* 2. quamuis *resol.*166. *nu.* 10. teneat, ingressurum non teneri renuntiare, & donare cum requisitis à statutis, citans Buratum *decis.* 461. *num.*10. *Simonem de Pretis cons.* 72. *num.*8. *vol.*1. & pariter Bonatus Antonius *lib.*2. *Resol. quotid. refert sub cap.* 190. *decis. Rotæ* 15. *Ianuar.* 1542. quam ibidem extendit a num. 12. vbi nu. 13. defectum solemnitatis statuti non vitiasse renuntiationem, & probat ibidem Rota co-

ram

ram Dunozet, quia huiusmodi renuntiationes factæ ob ingressum religionis non requirunt solemnitates statuti, *primo* ex eo, quod illæ sapiunt potius donationem causa mortis; *secundo* ex eo, quia dicuntur ob causam, *tertio*, ex eo, quia ingressurus in religionem habet liberam facultatem disponendi de rebus suis, & sic sine solemnitatibus. istam autem libertatem deducunt ex Auth. de Monach. illud; §. illud; ex cap. De his, sine de sepult. in quibus locis dicitur, quod ingressurus in religionem habet liberam facultatem disponendi de suis bonis, ergo id facere potest sine solemnitatibus, quæ talem libertatem impedire possunt, vt latius probat Sanchez lib. 7. cap. 6. nu. 19. ex eo, quod, qui liber est ad agendum, aliquid, non tenetur ab alio petere licentiam, nec illi aliquid obstare potest, aliter libere non dicetur operari. Minoris ergo ætatis intrare volens religionem potest testari, vel aliter de rebus suis disponere absq; curatoris auctoritate, sine decreto iudicis, & omissis statutorum solemnitatibus.

Sed mihi magis placet decisio prioris Rotæ Vrgellensis, quam posterioris Dunozet. Vnde ad huius rationes respondetur.

33 Ad primam, huiusmodi renuntiationes non posse dici donationes causa mortis, alias in nullis etiam factis ab ipsis nouitijs non esset necessario seruanda forma Tridentini, quod sicut non comprehendit testamenta, quæ fiunt à nouitijs, ita neque donationes causa mortis, pari enim passu currunt, *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 13. & 14. Vecchius disp. 8. dub. 10. num. 1. Rota par. 4. tom. 3. decis. 556. num. 8. quam citat. & sequitur dictus Marinus cap. 196. num. 2. Ego de profess. cap. 13. q. 2. num. 12.* id autem dicere absurdum est, cum huiusmodi renuntiationes taliter non fiant, cum non sint vltimæ voluntates, ad quas non posset dari regressus, ad quas tamen aliquando datur, vt infra suo loco patebit, immo essent reuocabiles, quod tamen negatur à multis, iuxta quod dicam infra, q. 11.

Ad secundum dico, ex eo, quod dicuntur ex causa, non infertur, renuntiatorem non esse subiectum statuto, quia alias nec nouitius esset subiectus decreto Tridentini, cum & nouitiorum renuntiationes fiant ex causa sicut ingredi volentium.

34 Ad tertium respondeo. Sicut per decretum Concilij non tollitur libertas Nouitio ad disponendum de suis bonis, sed magis augetur, & dirigitur ne sequatur aliqua deceptio, aut impediatur libertas ad exeundum, vel remanendum in religione; ita & per statutum non aufertur libertas disponendi, dum id ingressuro non negatur, sed præscribitur forma seruanda ad publicam vtilitatem, & fauorem ipsius renunciantis. Itaque uiribus non derogatur, nam Authent. solum ait, quod ingressurus *habet licentiam suis vti quo voluerit modo. Ingredientem namq. simul sequuntur omnino res, licet non expressim qui introduxerit eas, dixerit, & non erit dominus earum vlterius vllo modo.* Dicit ergo simpliciter legislator. quod ingressurus habet licentiam disponendi quo voluerit modo, nec statutum tollit huiusmodi licentiam, sed tantummodo modum disponendi regulat, ne decipiatur in negotio. Ad textum iuris canonici patet his verbis: *Si vero ad religiosa loca in sanitate se transtulerit, de his, quæ locis ipsis conferunt, cogi non possunt aliquid præscriptis Ecclesijs impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solum religiosis, sed etiam quibuscunq; priuatis conferre personis.* Libertas ergo disponendi in eo

sita

sitâ est, vt non possint cogi ad donandum sua bona huic, vel illi, cum personæ, cui potest renunciari, electio sit in potestate renuntiantis. Et ciuilis textus potius admonet ingressurum de dispositione suorum bonorum, quia si de illis nihil disponit, transeunt professione in dominium monasterij, itaut vltra disponere non valeat.

Nec his contradicunt à me dicta cap.13.de profess. Regular. q.17.num.39. Nouitios in suis renuntiationibus teneri solum obseruare decretum Tridentini, non statuta laicorum, quod verum puto etiam respectu ingressurorum, dum eorum dispositio bonorum facienda est ad formam Tridentini, non est opus obseruare formam statutorum, cum non amplius illis subdantur, dum illam facere debeant infra illud bimestre, & sic constituti in statu ecclesiastico per receptionem habitus probationis.

Quæres 11. An renuntiatio facta ab ingressuro, vel iam ingresso reuocari possit ante professionem?

35 Resp. Est irreuocabilis, vt multis probaui *resol. 60. q. 10. num. 15. & cap.*
36 *13. de profess. q. 20. num. 43.* Ratio alia esse potest, quia in contractibus conditionalibus duo spectantur, Spes consequendi dispositum, & euentus Conditionis, contractus consideratus in ratione euentus importat imperfectam obligationem, in quantum donatarius, seu renuntiatarius non potest consequi renuntiatum, nisi secuto effectu; spectatus vero in ratione spei, importat puram, & perfectam obligationem, quia spes non est in spe, sed in actu ex illo actuali contractu, itaut ea obstante, contrahens non posset exilire à promissione, vt multis probat Merlinus decis. 568. Et ita in terminis docet *Rota par. 9. vol. 1. decis. 21. num. 8. decis. 56. num. 10. vbi citantur Berous in cap. In præsentia, de probat. num. 154. Sanch. lib. 7. cap. 5. n.57. Amatus decis. March. 46. num. 37. Gratian decis. 42. num. 7. 8. & cap. 975. nu.19. Castropal. par. 3. tract. 16. p. 15. num. 12.*

Carena resol. 166. num. 4. dicit, donationes, & renuntiationes huiusmodi subiacere reuocationi ex sola donantis pœnitentia, quia vult similes contractus esse donationes causa mortis, quæ sicut testamenta semper sunt reuocabilia, & pro se cepit decis. 581. Burati. Sed ex supra dictis patet, non esse huiusmodi renuntiationes donationes causa mortis, quia possent fieri sine decreto Tridentini, quod tamen etiam ipse Carena negat.

37 Renuntiatio igitur facta, siue cum iuramento non reuocandi illam, siue sine illo, vel præsente, vel absente eo, in cuius gratiam sit, nulla ratione reuocari potest, vt colligitur ex dec s. citata 56. par. 9. Vol. 1. solum in duobus casibus reuocatur, seu potius euanescit, scilicet, si non ingreditur, vel si ingressus reuertatur ad seculum, vt dicitur ibidem num. 10.

Quæres 12. An propter læsionem enormissimam renunciatio rescindi possit?

38 Resp. Negatiue, ex communi *Decius consil. 31. col. fin. Couar. in cad. Quamuis par. 3. cap. 2. num. 5. Vers. Illud merito, de Pactis Capicia decis. 159. num. 37. fine Surd. de alim. p. q. 37. num. 10. Gratian. cap. 568. num. 14. & 31. vbi alios citat, Carena resol. 245. nu. 12. Sanchez l.b. 7. cap. 6. num. 10.* Vnde Rota par. 5. tom. 1. decis. 125. ait, in donationibus, licet non possit considerari læsio quamuis enormissima, aliter nulla donatio subsisteret, tamen secus est quando causa finalis donandi non procedit ex mera liberalitate, sed donatio fit respectu alicuis dati ipsius donatarij, & ita fuit decisus Autore Equitis

Mar-

Martij Tagliaferri. In casu nostro eam puto esse rationem, quia professi, cum allantur à monasterio, nulla est ratio dicendi, eos remansisse læsos ex renuntiatione, cum non amplius sint capaces ex se quarumcunque rerum quo ad dominium.

Quæres 13. An ingrediens præsumatur habere magis affectum ad consanguineos, quam ad monasterium.

39 Resp. Ita esse, quia naturali inclinatione quilibet magis diligit suos quam extraneos, tamen huiusmodi dilectio spectata respectu extraneorum, religiosus factus censetur magis diligere monasterium, quam extraneum, eo quod in eo mansurus est perpetuo, & ab eo recepturus est victum, & vestitum, immo dignitates, & honores; vnde quo magis monasterium est diues, eo commodius ibidem viuitur, vt docent. *Sanchez lib. 7. cap. 7. num. 29. Molfes. ad consuetum Neapol. de Renunt. q. 17. num. 26. & 37. Paulus Rubeus par. 4. tom. 3. decis. 523. num. 106.*

Quæres 14. An valeat renuntiatio, in qua ingressus nihil sibi, nec monasterio reseruauit.

40 Resp. Valere, quia liberā habet facultatem disponendi de omnibus suis bonis volēs ingredi religionem, *ex Authent. de Monachis*, §. *illud*, *& cap. de his de sep ult. Rubeus in Annot. decis. 585. n. 24. par. 5. tom. 2.* Vnde donare potest omnia sua bona, præsentia, & futura, cui vult, vt docet *Laderchia lib. 1. consf. 473. ex eo Sanchez lib. 7. cap. 1. num. 19. Rota par. 9. vol. 1. decis. 56. num 20.* Ratio enim, qua reprobatur donatio omnium bonorum, quia scilicet adimeretur donatori facultas testandi, non obstat, quia in casu nostro non adimitur per donationem sed per professionem, ideo parum refert, si sibi reseruet, vel non reseruet aliquid ad testandum dum professus non potest testari. De reprobatione donationis omnium bonorum late dictus Rubeus *in eo-*

41 *dem secundo volumine in annot. ad decis. 21. à num. 182. vsq. ad finem*, referens innumeros Doctores. Itaque valet renuntiatio esto nihil relinquatur Monasterio, ita omnes cum *Gratiano cap. 568. num. 19. & 20.* vbi de testamento Nouitij, quod non rumpitur factum intuitu ingressus, licet nihil fue-

42 rit relictum Monasterio, *Sanchez lib. 7. cap. 3. nu. 34.* Quando Nouitius in donatione omnium bonorum sibi aliquid reseruat ytendum in Religione, tunc de eo ante professionem testari potest, ac proinde per donationem omnium non sibi adimit facultatem testandi, vt docet *Roland. lib. 1. consf. 39. num. 3. Decius consf. 30. num. 1. cum alijs Rota par. 9. tom. 1. decis. 21. num. 4.*

Quæres 15. Quænam ex duabus donationibus factis valeat? Nam ingressurus omnia sua bona donauit parentibus, & post ingressum eodem dedit Monasterio?

43 Resp. Valet prior donatio contra posteriorem, quia ex quo prior fuit omnino valida, & nihil sibi reliquerit, sequitur nihil donare potuisse in posteriori, cum nihil haberet. Confirmatur quia donatio non potest reuocari,

44 nisi ex causa, *l. Donationes 9. l. Generaliter 10. C. de reuoc. donat.* Deinde secunda donatio cum nihil sit non potest reuocare, nec tollere primam, *Instit. de donat. §. Alia autem, l. quoties duobus C. de rei vend. Riun. vol. 1. consf. 172.*

45 *à num. 18. Rimin. jun. consf. 224. nu. 33.* Quod maxime verum est in præsenti casu, in quo Nouitius præsumitur persuasus à religiosis, non quod haberet causam priuandi matrem ea donatione. Ita in terminis *Rota par. 9. tom. 1. decis. 21*

Quæ-

Quæres 16. An renuntians omnibus suis bonis testari possit de fructibus percipiendis medio tempore celebrati contractus vsque ad diem professionis.

46 Resp. Affirmatiue, quando illos expresse non donauit, quia in dispositione, in qua non fuerunt expressi, non veniunt fructus intermedij. Ita *Ruin. lib. 1. conf. 51. num. 24. Surd. conf.* 450. *num.* 53. *Molfes ad cousuet. Neapol. par.* 10. *tit. de instrum. confect. q.* 5. *num.* 5. quos in terminis citat Rota *par. 9. vol. 1. decis. 36. num. 24.*

Quæres 17. An Nouitius in causa renuntiationis præsumatur magis diligere extraneos, quam Monasterium? Hoc est, voluisse potius acquirere extraneis, quam suo monasterio?

47 Resp. Monasterio, quia conuentus est loco parentis, quod etiam suadet non solum causa pietatis, sed etiam causa maioris commoditatis, & vtilitatis quas cõsequi potest Monasterium. Ita Rota *coram Dunozet* 15. *Januar.* 1642. *nu.* 38. *alijs ibidem allegatis, quam extendit Marinus lib. 2. resol. quotid. cap.* 190. *à nu.* 12. *Dixi ego cap.* 13. *de profess. regul. q.* 39. *num.* 80.

Quæres 18. An renuntiatio requirat insinuationem ad sui valorem? Insi-

48 nuatio est manifestatio donationis seu renuntiationis factæ coram superiore, de qua re Castropal. de Iust. disp. 2. p. 23. Et ea consistit in decreto iudicis, ad cuius præsentiam fit instrumentum.

49 Resp. Non requiritur, quandocunq. sit seruata Tridentini forma, vt dixi supra sub q. 10. Ita Rota *par. 6. decis. 292. à num. 18. Ottobon. decis. 10. num.* 47.

Quæres 19. Quomodo cognoscatur dispositio facta ab ingrediente, an sit simplex renuntiatio, vel potius donatio?

50 Resp. Tunc dispositio potius est dicenda donatio, quam simplex renuntiatio, quando est realis, & concepta similibus verbis e. g. Camilla renuntiauit, vt humanarum rerum iuris omnino exempta, & libera Deo feruentiori, & quieto animo seruiret. Qua causa iudicat, à se omnino, & perpetuo voluisse abdicare renuntiata, *ex Gratian. cap.* 568. *num.* 31. *Altogrado conf.* 66. *nu.* 28. *Ottob. decis.* 10. *num.* 38. Addiunctis alijs clausulis, ea enim meo iudicio non sufficit, cum omnia renuntiet eo fine, vt curis secularibus absolutus Deo liberius valeat inseruire, nempe, si cõtineat pactum de non petendo, nec aspirando per se, vel per alium ad bona renuntiata quæ operantur ac si persona renuntians esset mortua, *ex Freccia in addit. ad Neapol. in consuet. Si quis, vel si qua, num.* 200. *Mastril. decis.* 65. *num.* 11. *Francb. decis.* 375. *num.* 2. *ex eis Montanus contr.* 10. *num.* 1. *Ottobon. decis.* 10. *num.* 40. Item cum clausula: Pro se, & heredibus ad habendum &c. quæ importat perpetuam, & irreuocabilem renuntiationem omnium bonorum renuntiatorum, & donatorum *Berous lib. 3. conf.* 63. *num.* 11. *Gratian. cap.* 932. *num.* 5. *Ottobon. decis.* 10. *num.* 41. Nec obstat, quod in instrumento non fiat mentio donationis, sed solum renuntia-

51 tionis, quia natura rerum potius est sumenda ab eius effectu, & substantia, quam à sono verborum, *l. Si vno* 17. *ff. locatt. Aymon. conf.* 85. *num.* 5. *Surd. decis.* 322. *nu.* 29. *Decian. lib.* 2. *conf.* 35. *nu.* 41. *Eugen. lib.* 2. *conf.* 80. *nu.* 28. *cum alijs. Ottob. decis.* 10. *num.* 43. *vbi num.* 44. ait procedere etiam si extincta sit agnatio, pro cuius conseruatione fuerat dispositum, quia supradictæ clausulæ continent plures causas, quæ indicant omnimodam irreuocabilitatem bo-

K ro-

52 norũ renuntiatorum; quia per extinctionẽ agnationis non remouentur aliæ causæ, sed vlterius durant, *Gozadin. conf. 54. num. 5. Natta conf. 14. num. 6. Osasch. decis. 118. num. 6. Barzius decis. Bonon. 25. num. 86. Surd. conf. 361. nu. 14. cum alijs Ottobon. decis. 10. num.* 45. Itaque renuntiatio realis est potius donatio, respectu cuius nulla est spes redeundi ad donata, quam renuntiatio, quæ penitus non respuit spem recuperandi renuntiata.

Quæres 20. An conuentus possit renunciare bonis Nouitiorum?

53 Resp. Potest renuntiare bonis, & successioni ingredientis religionem, etiam inscio ipso Nouitio, quia in aquirendis Monasterium sibi præiudicare potest, *Abbas in cap. Dudum de conuers. coniug. Roman. conf.* 184. *Berous conf.* 28. *num 7. lib. 1. Natta conf.* 441. *num.* 13. Quod verum est de renuntiatione non solum iuris præsentis, sed etiam futuri, & in spe, *ex Bartol. & alijs in l. 1. C. de pactis, Afflic. decis. 381. num. 5. Decius conf. 31. num. 4. Ægid. decis. 723. Molin. de primog. lib. 3. cap. 6. num.* 37. Non requiritur autem consensus Nouitij, cum hæc omnia conuentus præstare, illo non requisito, *Doct. in cap. Inpræsentia de probat. ibi Berous. num. 159. Ruin. conf. 200. num.* 9. Ita in terminis *Seraphin. decis.* 1194. Ratio est, quia bonis nondum incorporatis Conuentus renuntiare potest, cum illius non dicantur, nisi secundum spem, quæ euanescere potest, si nouitius redeat ad seculum. *Sanch. lib. 7. cap. 6. num. 4.*

Quæres 21. In quibusnam contractibus, & renuntiationibus seruanda sit forma Tridentini, vt scilicet, fiant de licentia Episcopi, seu eius Vicarij intra bimestre præcedente professionem.

54 Resp. In sequentibus. *Primo* in renuntiatione beneficij. Ita *Sanch. lib. 7.*
55 *cap. 5. num. 38. Vecchius dis. 8. dub. 7. num. 4. Miranda tom. 1. q. 23. art. 3. Riccius par. 3. resol. 358. Donatus par. 4. tract. 7. q. 18. Ego cap. 13. de Profess. q. 3. num* 13. vbi respondi obiectis aduersariorum tenentium cum *Barbosa ad hoc cap. 16. Trident. num. 13. & lib. 1. de iure Eccles. cap. 42. num. 233. & Allegat. 99. n. 19.* Resignationem beneficij non comprehendi sub hoc Tridentini decreto.

56 Patrimonium clericale eodem modo, & forma renunciandum est, quo beneficium, cum & ipsum aliqualem beneficij conditionem præ seferat, vt multis probaui loco citato q. 4. à num. 17. ita docent Sanch. *lib. 7. cap. 5. num. 40. cum Parisio lib. 3. q. 13. num. 9. Miranda tom. 1. q. 23. art. 5. Vecch. disp. 8. dub. 7. num. 6.* contra Barbosam *Alleg. 99. num. 20. & 21.*

57 Contractus omnes lucratiui comprehenduntur, vt sunt donationes inter viuos, renuntiationes, fideiussiones, mutuationes, liberationes à ratiocinijs, & huius generis, in quibus perturbari, & lædi potest libertas nouitij ad standum, vel recedendum. Ita omnes cum *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 32. ad 36. Vecch. disp. 8. dub. 7. à num. 7. ad 10. Donatus par. 4. tract. 7. q. 30. Barbosa Alleg. 99. num. 26. ad 26. Ego de Profess. cap. 13. q. 5. num. 18.* De mutatione dixi sub q. 19. num. 41.

Quæres 22. Quænam dispositiones non veniant sub hoc Tridentini decreto?

58 Resp. Non venit testamentum, nec donatio causa mortis, quæ quouis tempore ante, vel post ingressum ante professionem fieri possunt, non seruata solemnitate Tridentini, quia ex quo sunt vsq; ad punctum professionis sæpe, & sæpius reuocabilia, non minuunt, non perturbant, nec læ-

cunt

dunt libertatem Nouitij ad permanendum, vel recedendum. Ita omnes *cum Sanch.lib.7.cap.5.num.13. Marinus Resol. quotid. lib.2. cap. 196. num. 2. Vecch.disp.8.dub.10. num.1.Nauar.com.2.de Regul.num.51.Menoch. de arbitr.*
59 *casu 436.num.8.Rota par.4.tom.3.decis. 556.num.9. & 10.* Donationes quædam paruæ, seu potius elemosinæ connentui dantur, sine aliqua solemnitate, cum non possint lædere libertatem Nouitij. Ita *Rodriq. tom.2.q.47. art 5.Vecch.disp.8. dub.7.nu.11.Barb.Allegat.99.nu.& 27.26.Pasqual. ad Franchum num.42.Ego q.7.num.21.*Dixi etiam *Resol.60.num.29.vbi num. 30.* quod comprehenduntur magnæ obligationes, & elemosinæ, propter ea Tridentini verba: *Vel in fauorem cuiuscunq; causæ piæ*, quæ referuntur etiam ad obligationes, & elemosinas magni momenti.
60 Demum non comprehenduntur contractus vtrinq; onerosi, vt emptio, venditio; locatio, conductio, permutatio, & similes; quia per hos in Nouitio non alteratur libertas. Ita *Sanchez lib.7.cap.5.num.32.ad 36.Vecch. disp.8. dub. 7. à num.7. ad 10.Donatus par.4.tract. 7. q. 30. Barb. Allegat. 99. num. 23. & seq. Ego de professi. cap. 13. q. 5. num.18.& Resolut.60.num. 29.*
Quæres 23. Ad quem spectent fructus medij temporis, quando Nouitius de illis non disposuit?
61 Resp. Sunt Monasterij, si illos expresse non renunciauit illis, in quorum fauorem disposuit de proprietate? Ratio est, quia professione transfert omnia sua bona in religionem, de quibus expresse non disposuit, Auth.Ingressi. Et dicam infra suo loco, quare cum renuntiatio verificetur in proprieta-
62 te, non est vlterius extendenda ad fructus, cum sit stricti iuris, ex dictis supra q.5. confirmatur, quia nõ obstante renuntiatione est dominus fructũ, de quibus disponere potest ex dictis q. 16. Fructus ergo non sunt renuntiatarijs, quando expresse relicta non fuerunt, illi enim non veniunt in necessariam consequentiam ad renuntiationem bonorum, vni enim potest legari proprietas, & alteri
63 fructus, patiuntur ergo diuisionem, l. 1. 2. & seq. C. de Vsu, & vsufr. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 63. Ego cap. 13. de profess. q. 21 num 48.*
Quæres 24. An professione nulla existente, inualida quoq; sit renuntiatio, & si ratificetur professio pro valida quoq; sit habenda renuntiatio.
64 Resp. Nulla existente professione inualida quoq; est renuntiatio, vnde si probata nullitate professionis dimittatur ad seculum per sententiam iudicis, euanescit omnino renuntiatio, ac si nunquam facta fuisset. Si vero professus ratificet, renuntiatio quoq; firmatur, absq; aliquo alio actu de nouo versante circa ipsam renuntiationem. Si faciat nullam declarare professionem adhuc non potest rescindere renuntiationem, vel reuocare, si nihilominus vult remanere in religione ratificando professionem nulliter declaratam.
65 Prima pars de nullitate renuntiationis ex nullitate professionis probatur ex ipso Tridentino ibi; *Ac alias non intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione*. Sortitur ergo suum effectum hoc est, valet, & de conditionali fit absoluta, & purificatur irreuocabiliter ex omni parte, secuta professione.
66 Non dicitur autem professio secuta, nec facta, quæ non est vera professio, quia nulliter fieri, idem est ac non fieri, *l. Non putauit 8. de bonor. possess. contra tab. §. Non quauis.* Nec inualidum aliud inualidum purificare, & stabilire potest. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 55. Rodriq. tom. 2. q. 47. art. 11. cum suo Compend. res. 53. n. 11. Donatus par. 4. tract. 7. q. 21 quos citaui cap. 13. de profess. q. 30. n. 61.*

K 2 Se-

67 Secunda pars, quod euanescat renuntiatio redeunte ad seculum nulliter professo, probatur ex dictis hic q. 11. reuocatur enim vel per non ingressum, vel per recessũ, vnde in hoc casu cẽsetur ac si nunquam profecisset, ex quo nulliter profecit. Ita præcitati. Quod est verum, siue reclamet ante quinquennium, siue post quinquennium, quia probata nullitate, verum est dicere, quod professio semper nulla fuit, ergo & semper nulla ratificatio, licet vtraq. post quinquennium presumatur ratificata. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 56. Ego cit. q. 30.*

68 Tertia pars, quod ratificata professione firmetur quoq; renuntiatio, probatur ex eodem Tridentino, quo dicitur, renuntiationem sortiri suum effectum, secuta professione, non distinguendo vnam professionem ab alia, nam & ipsa ratificatio est species professionis, quia ratificatio in se est quidem actus tendens in professionem, quæ nunquam fuit, ergo est vere ipsamet professio. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 56. Tambur. de ivre Abbatiss. disp. 4. q. 2. num. 2. Riccius par. 4. decis. 146. Barb. ad hoc cap. num. 16. Ego de profess. cap. 13. q. 30. §. Tertia pars, Resol. 60. num.* 17. Dixi, nullo premisso actu supra ipsam renuntiationem, quæ sortitur suum effectum per solam professionis ratificationem, vt mox probabo.

69 Quarta pars, quod conualescat renuntiatio etiam respectu eius, qui remanet, & ratificat professionem post declaratam illius nullitatem, probatur quia firmitas renunciationis ex necessitate legali sequitur ad validam professionem, quæcumq; hæc sit, modo sit valida, debet professio ratificata ratione sui valoris aliquid operari in renuntiatione, consequenter eam firmare, & stabilire irreuocabiliter, dum Nouitius efficaciter professus amplius redire non potest ad seculum. Deinde declaratio nullitatis professionis, sicut non impedit reproficere, ita neq; tollit renuntiationem, quia de facto non recessit à religione, dum in ea perseuerauit ratificando professioem. Rem hanc fuse tractaui cap. 13. de profess. q. 30. vbi Pasqualigi argumentis, quibus q. 280. num. 5. probabat opus esse noua, & formali renuntiatione, quia prima euanuerat respondi, quæ non oportet huic reportare. Quare nulla declarata professione, nulla quoq; est renuntiatio, si eam non ratificat, sic intelligitur Riccius par. 3. resol. 374.

Quæres 25. An possit contrahere cum conuentu, in quo est Nouitius, forma Tridentini non seruata?

70 Resp. Volens Nouitius contrahere cum conuentu vtiliter, debet vti forma Tridentini, quia eius decretum loquitur in rem, non distinguendo inter personas, cum quibus tractari potest, ex eo quia omnes comprehendit, ac proinde etiam Monasterium, quia non minus læditur libertas contrahendo cum Monasterio, quam cum alijs. Ita omnes cum *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 24. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. Castropal. par. 3. tract. 16. disp. 1. p. 17. num. 8. Rodriq. tom. 2. Summæ cap. 7. fine, Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. Lezana par. 1. cap. 24. num. 35. ex illis Donatus par. 4. tract. 7. q. 15. à me citati cap. 13. de profess. q. 6. &* 18. Non nulli dicunt, contractum mutui inter eos, quia non est donatio, nec renuntiatio de quibus in Tridentino, sed quædam concessio rei ad tempus, quæ nullum infert damnum, nec retardat eius recuperationem, consequenter nec minuit libertatem nouitio ad standum, vel recedendum. *Contra est*, quia esto non sit donatio, nec renuntiatio, est tamen

ta-

talis contractus, qui inducit obligationem, de qua Tridentinum, quod ita loquitur. *Nulla quoq; renuntiatio, aut obligatio antea facta*, & sic mutuum continetur sub termino *obligatio*. Nam per mutuum læditur libertas nouitij, cui non ita cito redditur mutuum, vt experientia docet.

Quæres 26. An contraria consuetudine induci possit modus renuntiandi non seruata Tridentini forma? Forma consistit in bimestri proximo professioni, & in licentia Episcopi.

71 Resp. Negatiue, quia lex irritans, vt est præsens, inhabilitat personam, ergo eam impedit efficaciter ne possit introducere consuetudinem contra se, vt dicunt fere omnes *cum Felino in cap. cum accessissent, de constit. num.30. Vers. quarta limit. Ruin. lib.2. cons.13. num.13. & lib. 3. num. 12. Gabriel concl. 3. de Clausul. num.39. Vers. Tertius effectus, Rota par. 4. Recent tom. 3. decis.574. num. 27. & par. 5. tom. 2. decis. fin. num. 24.* Isti Doctores non loquuntur de hac re, tamen ex ratione bene deducitur nostra responsio, Cæterum *Sanch. lib.7. cap. 5. num.75. Rodriq. tom.2. summæ cap.7. de donat. num. 1. Vega tom.2. cap. 50. casu 3. Lezana tom. 1. cap.24. num. 34. ex illis donatus par. 4. tract. 7. q.13.* dicunt in Hispania non peti licentiam ab Episcopo ad renuntiandum, ac proinde consuetudinem abrogasse hanc legem, & Donatus reddit rationem, quia decretum Concilij est simplex lex positiua quæ potest abrogari.

Pasqualigus q. 43. ad Franchum num. 4. an ex ista de renuntiatione cum licentia ordinarij. & inter illud bimestre consuetudine abrogari possit, se remittit ad doctrinam, quam habet sub. q.216. quæ summa est, quod ali-
72 quis actus potest dici nullus dupliciter, *primo* naturaliter, quia aliquid ei deest de pertinentibus ad eius essentiam, vt consensus in contractibus *Secundo* legaliter, vt cum aliquis actus præscribitur fieri cum certa solemnitate, aliter sit nullus, vt in casu nostro, renuntiatio facta extra bimestre, vel sine licentia Episcopi. Actus naturaliter inualidi nullo modo consuetudinem introducere possunt, cum non posśint conualidari, cum nihil omnino sint, vt notant Bald. & Innocentius, ille *in l. fin. §. Necessitate C. de bonis quæ liber. iste in cap. Prudentiam, de offic. deleg*. Et sic ille actus & si physice sit aliquid, moraliter tamen nihil est, & pro non actu habetur, ac si nunquam attentatus fuisset. Actus vero legaliter inualidi tunc inducunt consuetudinem, quando habentur pro validis ab illis, à quibus conualidari possunt, tunc enim vt validi operantur abrogando legem. Si vero non acceptantur pro validis ab illis, qui possunt eos conualidare, vel tollendo irritationem legis, tunc consuetudinem non possunt introducere, si enim carent valore in seipsis quomodo possunt illum alijs communicare?

In casu nostro renuntiatio facta à Nouitio contra formam Tridentini, hoc est, extra bimestre, vel sine licentia Ordinarij est nulla, non naturaliter, sed tantum legaliter, quia patet ante Tridentinum, eas fuisse factas recte & valide sine eius solemnitate, & licet conualidari posśit non à renunciante, quia inhabiliter operatur, sed à renuntiatario, tamen id nunquam ponitur in esse, quia interesse id non patitur, restat ergo difficultas, an á legislatore conualidetur, & videtur quod non, quia conualidatio, quæ tollitur per abrogationem directi irritantis in contractibus est valde præiudicialis, cum vni det, & alteri tollat ergo legislator non præsumitur abroga-

ri-

re hanc legem cum præiudicio alterius; & ita manet firmata nostra responsio.

73 Suarez lib. 7. de legib. cap. 19. num. 14. quem etiam citat Pasqualig. ea q. 216. cum alijs, tenet, legem irritantem actum contra se factum abrogari posse per consuetudinem rationabilem, & præscriptam, quia Cap. fin. de consuet. generaliter loquitur, ergo etiam de irritatiuis, sicut enim consuetudo potest inducere legem irritantem dum potest, quicquid potest lex ipsa ita & abrogare legem irritantem, cum eadem sit ratio. Adducit exemplum in lege, quæ prohibebat matrimonium in quinto gradu, iam sublato per contrariam consuetudinem.

Responsio ad hæc superius data fuit, nam in casu renuntiationis consuetudo nihil potest, cum non possit præsumi tacitus consensus Principis tollendi suam legem per eam consuetudinem, vbi agitur de interesse tertij, in quo Princeps non solet tertio præiudicare, nisi se exprimat, ergo tacitus consensus non sufficit ad abrogandam hanc legem. Vnde ad rationem ab eo adductam responderi potest locum habere extra legem contractuum. Quod vero per contrariam consuetudinem abrogatum sit legi prohibenti
74 matrimonium in quinto gradu, seu in fra septimum verius, cap. 1. & 7. 35. q. 3. & cap. 2. q. 5. vbi de supputatione graduum respectu matrimonij secundum sacros canones diuersa à numeratione legistarum respectu successionis
75 in hæreditatibus, non puto verum, quia Pontifices semper reclamerunt vsq; ad Innocentium III. Qui relatus in cap. Non debet 8. de consang. impedimentum cognationis restrinxit ad quartum gradum, derogando canonibus de impedimento consanguinitatis vsq. ad septimum gradum.

Quæres 27. An sit necessaria licentia Episcopi ad valide renuntiandum? Et quis veniat sub eius nomine?

76 Resp. Tridentinum sess. 25. cap. 16. petit licentiam Episcopi, seu eius Vicarij, his verbis: *Nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij*. Quæ licentia est omnino necessaria tamquam de valore renuntiationis, in scriptis redigenda. Nomine Episcopi venit confirmatus licet nondum consecratus; item Metropolitanus pro sua diæcesi, licet nondum sit palliatus; sub eodem nomine venit Capitulum sede vacante; item Abbates, & Prælati habentes territorium, etiam si sint Regulares habentes in suo Monasterio Nouitios, singuli quidem respectu conuentuum, in quibus Nouitij probantur, existentium intra eorum diæcesim. Hanc autem potestatem alijs delegare possunt. Demum Vicarius Generalis Episcopi hanc eandem licentiam dare, immo & delegare potest. Singulæ partes corroborandæ sunt.

Prima pars, quod licentia sit de valore renuntiationis ex ipso contextu verborum. *Nulla quoq; renuntiatio facta, nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij, & non alias intelligatur effectum suum sortiri; nisi secuta professione, aliter facta etiam iurata sit irrita, & nullius effectus*. Res est clara, alia non indiget probatione, nisi auctoritate legislatoris. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 78.*

77 Vbi quoad si constat de licentia, & renuntiatione sub eodem die datis, præsumitur licentia procedere confectionem instrumenti renuntiationis, adeo quod si sequatur non valeat, ita *Pasqual. ad q. 23. Franchi num. 6. citans Ceneduz lib. 1. quæst. 6. num. 14. Vecchius disput. 8. dub. 9. num. 3.* Quod sit nulla defectu licentiæ asserunt præter citatos cæteri omnes cum *Castropal. disp. 1. p. 17.* num.

num. 10. *Miranda tom.* 1. *q.*23. *art.*6. *consil.*2. *Rodriq. tom.*2. *q.*47. *art.*14. *Riccius par.* 3. *resol.* 351. *Ego cap.*13. *de profess. q.* 8. *num.* 23. *Donatus par.*4. *tract.* 7. *quæst.* 7.

78 Secunda pars, quod inscriptis sit redigenda, patet ex eo, quod aliter de ea iudicari non potest in foro externo, si de ea non appareat, quamuis scriptura non sit de eius essentia, cum id non exprimatur in textu, est tamen de eius probatione. Ita omnes *cum Francho q.* 42. *ibi Pasqual. vbi citat. Vecchium disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 5. *Barb. Allegat.* 99. *num.* 10. *Donatus par.* 4. *tract.* 7. *q.* 8. *num.* 3. *Cespedes de exempt. dub.* 32. *num.* 4. *Ego cap.* 13. *de profess. quest.* 8. *num.*23. Sed quoniam homo iudicat ea, quæ apparent, quando non apparet de licentia, peracta professione censetur bona de iure transisse in proprietatem, & possessionem monasterij ex Authent. *Ingressi*, ideo ingredientes sint cauti, quando volunt sua bona transire in monasterium. Immo si constet de renuntiatione per instrumentum, sed non doceatur de licentia, censetur nulla, quia non fuit seruata forma Tridentini, cum de ea non fiat mentio in scriptura instrumentali. Nec sufficit, quod in instrumento exprimatur, renuntiationem factam fuisse de licentia Episcopi, nisi in eius scriptura licentia sit intenta, vel dicatur factam fuisse renuntiationem coram Vicario Generali, quia tunc creditur Notario ita asserenti, si tamen sit facta, vel in Episcopali Palatio, vel in domo eius habitationis, vel in Conuentu Fratrum, vbi Nouitius est in probatione.

79 Tertia pars, quod Episcopus debeat esse confirmatus, licet non consecratus, probatur, quia hæc licentia est actus iurisdictionis, quam Episcopus con-
80 firmatione aquirit, cap. Nosti 9. cap. Transmissam 15. de elect. non ordinis requirens consecrationem, per quam Episcopo iam confirmato aquiritur potestas ordinis non necessaria ad hanc licentiam, quæ dependet solum à iurisdictione. Ita *Sanch. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 65. *Barbosa lib.* 1. *de iure eccclesi. cap.* 42. *num.* 247. *Allegat.* 99. *num.* 4. *& in Tridentino num.* 24. *Donatus par.* 4. *tract.* 7. *q.* 7. *Castropal. disp. L. p.* 17. *num.* 10. *Ego cap.* 13. *de profess. q.*8. *Pellizar. in suo Manuali tract.*2. *cap.*9. *num.*37.

81 Quarta pars, quod Metropolitanus pro sua diœcesi det licentiam licet nondum palliatus, patet quia vt Episcopus dat hanc licentiam, dum venit sub nomine Episcopi, ergo tantum Nouitijs sui Episcopatus, & non suorum suffraganeorum. Nondum palliatus, quia licentia pendet à iurisdictione aquisita per confirmationem suppositam simul cum consecratione in palliando, tantam enim habet potestatem in sua diœcesi, quantam Episcopus in sua, vt docet Barbosa lib. 1. de iure Eccles. cap. 7. num. 15. Ita omnes *Cum Sanchez lib.* 7. *cap.* 5. *num.*66. *Barbosa eodem lib. cap.* 42. *num.* 147. *& alij su-*
82 *pracitati*. Quid dicendum, si Episcopus negaret dare hanc licentiam, nunquid Archiepiscopus eius supplere poterit, si nouitius ad eum recurrat? Sic, quia est Iudex appellationis in causis suffraganeorum. Ita *Sanchez num.* 68. *Barbosa num.*248. *Castropal. num.*10. *Ego cap.*13. *de profess. q.*9. *num.*24.

83 Quinta pars, quod Capitulum sede vagante eam licentiam dare possit; probatur, quia succedit in omnem iurisdictionem ordinariam, quam habebat Episcopus dum viueret. Ita omnes præcitati, *Sanchez lib.* 7. *cap.*5. *num.*67. *Barbosa Allegat.*99. *num.*4. *& in Trident. nu.*33. *Diana par.*8. *tract.*4. *resol.*53. *Ego q.*11. *num.*26.

Sexta pars, quod Vicarius Generalis det eam licentiam, exprimitur in Tri-

Tridentino, ita quod sub eo nomine *Vicarij* veniat solum Generalis. Ita omnes *cum Sanchez lib.7.cap.5.num.69.& 72.Barbosa Alleg.99.num.3.Castropal.num.*10. Vicarius etiam monialium potest dare eam licentiam, inquit Pas-
85 qualigus ad Franchum par.1.num.26.quia cum ab Episcopo ei sint commissa omnia monialium negotia, etiam hoc de licentia renuntiandi censetur commissum, & ait ita practicatum fuisse Neapoli sub Cardinalibus Carafa, & Boncompagno. Dictu non vt Vicarius, sed vt delegatus ad hoc, quia Concilium, quando agit de Vicario Episcopi, intelligendus est de Vicario
86 Generali principaliter, & de iure tali, 86. nam sub nomine *Vicarij Episcopi* venit proprie, & solum Generalis, vt docet Bossius de Iubil.sect.1.casu 10. num.180.
87 Septima pars, quod nomine Episcopi veniant Abbates, & alij habentes
88 territorium seculare, probatur, quia in Episcopo duo spectantur, potestas iurisdictionis, quam habet ex confirmatione, & potestas ordinis, quam consequitur ex consecratione, & quoniam alij Prælati tantam potestatem iurisdictionis habent erga suos subditos quantam Episcopi in suos, æquiparantur enim in ea *Glos. v. Regularis cap. Ne pro defectu* 41. *de elect. per cap. Si quis* 12. 16. *q. fin. Rodriq. tom.* 1. *q.* 17. *art.6. & q.* 20. *art.*10.in terminis *Sanch. lib.7.cap.5.num.68. Vecchius disp.8. dub. 9. num.2.Barbosa Appellat.89. V. Episcopus num. 24.& Allegat. 99. num. 6. & lib.1. de iure eccles.cap. 41. num. 249. Ego cap.13. de profess. q.* 12. Debent ergo habere territorium cum iurisdictione fori contentiosi, esto licentia hæc sit gratiosa, aliter non compararentur Episcopo, si carerent territorio.
90 Octaua pars, quod hi Abbates dent tunc licentiam renuntiandi suis Nouitijs, & non tantum extraneis aliorum ordinum, probatur, quia ratio subiectionis respectiue ad disciplinam regularem non tollit eam potestatem, quam habet æquiparatam Episcopali, sed eam confirmat, quia vnusquisq; vti subditus iudicatur à suo superiore.
91 Nec obstat, quod prælati regulares, & Abbates territorij carentes non possint dare hanc licentiam, quia alias Episcopi eam fere nunquam concederent masculis religiosis, cum fere omnes sint exempti, excludunt enim, & soli Episcopo competit hæc facultas, vt docent omnes, *cum Rodriq.tom.2.q.47. art. 14.Miranda to.1.q.23.ar.6. conf. 2.Vecchius disp.8.dub.9.Sanch.lib.7.cap.5.num. 74.Cespedes dub.32.num.2.Donatus par.4.tract.7.q.7.nu.7. cum quibus Pasqual ad Franchum q.43.num.* 2.
92 Nam magna differentia est inter exemptos regulares habentes territorium, & illo carentes, siquidem illi non solum habent eandem iurisdictionis potestatem non solum in subditos regulares, sed etiam in seculares, ratione territorij, in quo habitant extra clausuram, & hi veniunt sub nomine Episcopi cum & ipsi sint loci Ordinarij, de quibus dictum fuit sub num. 87. quod possunt dare licentiam subditis Nouitijs extraneis, & etiam suis sub num.90. quia nulli sunt subiecti ratione territorij, nisi eidem superiori ergo ab eo licentia est concedenda, & non à viciniori Episcopo. Isti vero, qui carent territorio, ac proinde existentes in territorio Episcopi, nunquam veniunt sub nomine Episcopi, esto habeant iurisdictionem similem potestati Episcopi, quia debent habere territorium proprium, & separatum, consequenter eam licentiam dare nequeant, vt patet sub.num. 87.

93 Nona

93 Nona pars, quod solum illi possint dare hanc licentiam, qui habent Nouitios existentes in probatione intra limites sui territorij, probatur, quia dare licentiam est actus iurisdictionis, qui confertur in subditos, ea enim exercetur in solos subditos; sed Nouitij sunt subiecti Episcopo domicilij, & conuentus existentis infra territorium Episcopi, ergo is tantum eam licentiam dare potest. Ita colligo ex *Miranda tom.1. q. 22. art. 6.concl.2.* & ex dictis contra prælatos regulares carentes territorio sub num.Ego ita docui *Resol. 60. num.27.& 28.& cap.13.de profess.reg.q.8.Vers.quarta pars, & in Dub.Regul.144.*

94 Sed quid dicendum, quando Nouitius ex aliqua causa recedit à conuentu Nouitiatus, & vadit ad domum paternam, vt super suis bonis consulat cum parentibus &c. Vel si ibi sit pro recuperanda Sanitate? Quisnam Episcopus dabit licentiam?

95 Resp.Si intra bimestre reperitur in loco Nouitiatus,de licentia eiusdē Episcopi debet renuntiare, si vero recedat ante bimestre non amplius reuersurus, debet habere licentiam Episcopi, vbi moratur, sicut & si ex causa prorogatur professio, vt probaui Resolut. 60.num.28. & insinuat Donatus par. 4. tract.7.q.7.§.*Et debet concedi ab Episcopis loci, quo stipulatur contractus.*

96 Decima pars, quod eam facultatem prælibati possint delegare, probatur, quia hæc est potestas ordinaria, cum sit à lege, ex *Glos.cap.fin.de offic. ordin.Rodriq.tom.1.q.17.art.11.Couar.lib.3.cap.20.num.5.§.Primum* ergo delegabilis, *l.More 5.ff.de iurisdict.om.iud cap. Pastoralis 28. cap.quoniam 43.de offic.deleg.*Ita concludunt *Sanchez lib.7.cap.5.num.73.Barbosa lib.1.de iure Eccles.cap.42.num.244.Ego cap.13.de profess.num.28.*

Quæres 28.Quomodo numerandum sit illud bimestre, intra quod Nouitius renuntiare potest suis bonis? Tridentinum duo requirit in Nouitio, vt valide renuntiare possit, licentia Episcopi, seu eius Vicarij de quibus actum est in præcedenti,& bimestre intra quod de suis bonis Nouitius disponere debet.

97 Resp.Bimestre numerandum est á die professionis, vt expresse dicit Tridentinum. Professio autem quo ad tempus contingit fieri tribus modis *Primo*, infra annum probationis ex priuilegio, tunc renuntiatio fit proximis diebus professioni;*Secundo*,finito duodenario probationis,& tunc renuntiatio fi in bimestri, hoc est, in mense vndecimo, vel duodecimo. *Tertio*, quando ex causa professio prorogatur vltra annum probationis, tunc in arbitrio est Nouitij renunciare intra tempus vndecimi, & duodecimi mensis, quod dicitur bimestre ordinarium vel illud prorogare cum professione, modo renuntiatio fiat ante professionem bimestri immediato, si non renuntiauit in bimestri Ordinario. Tempus autem currere debet de momento ad Momentum physice, & non moraliter, ita quod defectus vnius diei vitiat renuntiationem. Tandem facta renuntiatio bimestri non seruato, vt supra, est ipso iure nulla,& inualida.

Prima pars de bimestri nota est in Tridentino his verbis: *Fiat intra duos menses proximos ante professionem*, ideo non eget probatione, sed regulandum,& numerandum est à puncto professionis. Ita omnes infra citandi.

98 Secunda pars, quod renuntiatio à professuro infrà annum probatio-

L nis

nis facienda sit diebus proximis professioni, probatur quia per huiusmodi priuilegium dispensatur principaliter ne compleat Nouitiatum, & accesorie vt possit renuntiare non seruato bimestri, quod incipit in anno vndecimo, Nouitiatus, ad effectum profitendi, ergo illi censetur concessum tantum tempus, quanto indiget ad deliberandam renuntiationem, quę paucis diebus expediri potest, ergo non potest renuntiare in primo mense bimestris, sed circa finem secundi proximum professioni. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 83. Cotonus lib. 4. contr. 3. num. 99.* Contra Castropal. *p. 17. num. 9. Merollam tom. 2. disput. 4. cap. 6. nu. 30. Dianam par. 8. tract. 3. resol. 23.* quos ego sum secutus alias *cap. 13. de profess. num. 31.* Ratio eorum est, quia priuilegium hoc vti reducens ad ius antiquum, quo partes poterant renuntiare anno probationis, & profiteri infra illam, extẽdi debet ad accessoria, ne dispensatio cedat in odium dispensati, qui priuaretur libertate renuntiandi quouis die bimestri relatiue ad professionem priuilegiatam. Ratio Castropal. est quia Concilium nihil aliud ex postulat, nisi quod renuntiatio fiat intra bimestre proximum professioni, siue professio differatur, siue acceleretur.

99 Respondeo ad primum argumentum, dispensationem sufficienter extendi ad accessorium, dum paulò ante professionem renuntiat, dispensatio enim est stricti iuris, ac proinde sufficit, si in aliquo prodest dispensato, qui non impeditur ad obtinendum principale intentum *Ad secundum dico*; illud bimestre esse referendum ad annum probationis, ac proinde incipere post decimum mensem, & continuari vsq. ad professionem finito probationis anno, vel prorogato, iuxta interpretes asserentes professionem ex causa diferri posse; non autem esse referendum ad tempus antecedens, alioquin dari posset casus, quod aliquis ex priuilegio profitens primo, vel secundo mense probationis, posset incipere illud bimestre ante receptionem habitusquod omnino repugnat Tridentino. Et ex his mutaui opinionem.

100 Tertia pars, quando prorogatur professio in arbitrio nouitij est renuntiare intra illud bimestre vndecimi, & duodecimi mensis formalis probationis, probatur, quia sensus ordinarius Tridentini circa bimestre respicit vltimum anni probationis, vt colligitur ex sequentibus verbis: *Finito tempore nouitiatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant.*, coniungit enim professionem cum anno probationis, ac proinde cum illo bimestri vltimo, ergo non obstante professionis dilatione renuntiari potest dicto bimestri per se intento à legislatore. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 82. Pelliz. tract. 2. Manualis cap. 9. num. 42. Ventriglia Annotat. 46. num. 26. Barbos. Allegat. 99 num. 11. Castropal. p. 17. num. 9.*

Potest ergo tunc renuntiare in fine anni probationis infra illud bimestre, quia est conformis menti Tridentini, vel vlterius differre tempus cum professione, quia etiam tunc dicitur facta bimestri proximo professioni, sicut enim ex causa differri potest professio, vt omnes docent etiam de mente Tridentini, ita & differri renuntiatio, cum hæc semper connexionem habeat cum professione, ita quod eodem iure censendi. Ita *Pegrin. de Prelato q. 3. cap. 1. numer. 214. Pasqual. q. 282. num. 6. Ego Resol. 60. num. 12. & cap. 13. de profess. nu. 30.*

101 Quarta pars, quod tempus bimestre debeat physice, & non moraliter computari, probatur, quia tempus certum, & limitatum tale non est, si omnibus suis partibus sibi essentialibus non constat componitur enim ex tot die-

bus

bus, ita quod si desit vnus dies, non dicitur illud tempus, sed aliud diuersum, ergo hoc bimestre numerandum est matematice. Ita *Sanchez lib.6. cap.5. n. 81. Francus q.44. ibi Pasqual. Vecchius disp. 8. dub.9. num.4. Tambur. de Abbatiss. disp. 4. q. 10. num.4. Sperell. decis. 16. num. 54. Donatus par. 4. tract.7. q.9. Merlin. decis. 869. num. 5. Ego cap.13. num. 35.* Ergo si desit vnus dies, non dicitur facta intra bimestre, sed extra illud, vt docent *ex Albano lib.4. canon. tit. 3. num.8. Tambur. cit. num. 5. Barb. in Trident. num.36. & Alleg.99. num.11. Donatus q.9. num.3.* Ita fuisse declaratum à S. Congregatione, contra Zecchium, & Zerolam, & Nouarium, quem reprobant cum Sperello cit. num. 54. opponentes dictam declarationem.

102 Quinta pars, quomodo numerandi sint isti duo menses? sic explicatur exemplificando, nam menses arrabo vel sunt integri e. g. Ianuarij, & Februarij, si professio omittatur vltimo Februarij, bimestre ad renuntiandum incipit inclusiue à primo Ianuarij. Vel sunt dimediati, quia e. g. decimo quinto Aprilis profitetur, tunc Mensis Martij incipiendus est à die decimo quarto Februarij incluso, qui Mensis completur decimo Sexta Martij, est enim Martius dierum 31. & Aprilis tantum 30. qui simul vniti complent bimestre dierum 61. & tot sunt à 14. Februarij ad 15. Aprilis inclusis dictis extremis, vt patet supputatione. Sic ergo concipitur bimestre intra quod est renuntiãdum attenta professione facienda, & facta in fine anni probationis, & dies bisextilis non auget numerum, ac si non computaretur, vt docent præcitati.

103 Sexta pars de nullitate renuntiationis, non seruata forma bimestris, iuxta superius dicta, patet, ex illo communi axiomate, quod forma solemnitatis requisita ad valorem alicuius actus non seruata, corruit actus, qui per illam exire debeat in esse. Et id expresse patet ex textu ipsius Tridentini annullantis renuntiationem factam extra illud bimestre his verbis: *Intra duos menses proximos ante professionem, & non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* Ita omnes sentiunt, nec aliter dicere possunt cum mens legislatoris sit clarior ipsa luce meridiana, *Nauar. concl. 81. & 82. de Regul. Azor. par.1. lib.12. cap.18. Vecchius disp.8. dub.9. num.5. Barb. ad Tridentinum num.38. Alleg.99. num.13. Donat u par.4. tract.7. q.9. Ego cap.13. num.29. Ricius par. 3. resol.351.*

Quæres 29. An hoc bimestre cum licentia seruandum sit tam à Nouitijs maioris ætatis, quam minoris?

104 Resp. Affirmatiue, quia finis huius decreti est omnibus ingredientibus seruare illæsam libertatem reuertendi, vel remanendi in religione, in qua libere professio est emittenda; sed hac libertate indigent tam maiores ætate, quam minores, ergo Decretum ab omnibus seruandum est. Confirmatur, quia textus loquitur in rem, & non specificat personam, ergo comprehendit omnem personam cuiuscunq; ætatis incipiendo à postremis duob. mensibus decimi sexti anni, quem sequitur professio, vt id insinuat dictio

105 *quoque* coniungens sequente cap.16. cũ præcedenti 15, de ætate non minori sexdecim annorum completorum ad profitendum, ergo & ad renuntiandum. Quod hæc solemnitas de licentia Episcopi, & bimestri ad renuntiandum seruanda sit à quolibet professuro cuiuscunq; sit ætatis, docent *Rodriq. tom.2. q.47. art.13. Cenedus par.1. Collect.50. num.4. Gutier. lib.2. Canon. quæst.*

cap. 1. num. 34. Riccius ex llis par. 3. Resol. 355. num. 7.

Quæres 30. An Militares Nouitij teneantur, seruare decretum Tridentini in faciendis suis renuntiationibus?

106 Resp. Negatiue, nisi se huic Decreto & alijs se supponant. Et id colligitur ex cap. 22. fin. sess. 25. vbi mandatur decreta in ea sessione seruari in omnibus Monasterijs Conuentibus, & collegijs quorunq; regularium tam virorum, quam mulierum, omnibus eorum priuilegijs reiectis, vbi hæc habentur verba; *Nec non quaruncunq; Sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiam si illæ sub gubernio Militiarum, etiam Hierosolimitanæ viuant* Quarum expressio insinuat, quod illæ non comprehenderentur, nisi specialiter fuissent nominatæ, multo minus comprehenduntur uiri Militares, de quibus ne verbum quidem; tota ergo illa sessio de reformatione regularium afficit solum Mendicantes, Canonicos, & Monachos, & Claustrales, non Militares. Ita quod ad decretum profitendi post 16. annum ex cap. 15. *Nauar. cons. 10. de Regular. Sanchez. lib. 7. disp. 44. num. 8. & lib. 5. cap. 4. nu. 17. cum multis alijs Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 2.* vbi refert quatordecim Doctores.

107 Contrarium sentiunt *Rodriq. in summa tom. 2. cap. 8. Gratian. cap. 363. nu. 27. Venerus in exam. Episc. lib. 6. cap. 15 nu. 7. Riccius par. 4. resol. 173. & in præced.* 172. quod in reclamatione Ierosolimitani debent seruare formam asignatam in cap. 19. sicut sunt subiecti decreto de ætate profitendi, & par. 3. resol. 357. cum Nouario de elect. fori q. 37. sect. 1. docet, teneri seruare decretum de modo renuntiandi, loquendo de eisdem Ierosolimitanis, quia vere religiosi sunt. Sed non est recedendum à priori sententia, ob adductam rationem, quæ est ex proprijs, & non ex communibus, quibus Aduersarij nituntur ad probandam suam opinionem.

108 Dixi *Nisi se huic decreto & alijs se supponant*. Quia cum reuera mens Tridentini fuerit reformare solum regulares, Caustrales, Canonicos, Monachos, & Mendicantes, vt Clare colligitur considerando materiam singulorum capitum, & conclusionem Capitis finalis, in quo Militares excluduntur in consequentiam sanctimonialium Militarium inclusarum, consentaneum est dicere, Militares non comprehendi, cum longe diuersi sint à caustralibus etiam respectu materiæ, de qua in dictis capitibus tractatur, ergo si ea seruant, signum est, quod se sponte subiecerunt, & ita fecerunt Ierosolimitani, ac proinde in renuntiando debent seruare Tridentinum, & sic possunt intelligi Aduersarij. Certum autem est, Ierosolimitanos se Tridentini decretis in multis subiecisse, vt ex eorum constitutionibus apparet, in specie de profitendo post sextum decimum ætatis annum.

Quæres 31. An renuntiatio extra bimestre facta à nouitio profitente infra annum probationis causa periculi mortis, valeat? Posse Nouitium infirmum proficere infra annumprobationis concesit Pius V. in sua Bulla 109. incip. *Summi Sacerdotij*, de quo priuilegio late egi cap. 6. de profess. q. 18. num. 42.

109 Resp. Valet iuxta dicta de professo infra annum probationis ex priuilegio si fiat paulo ante professionem, & mortem, sub num. 98. Si autem conualescat, cum ea professio pro nulla habeatur, cum non decesserit, ex dictis eo cap. 6. num 49. nullius momenti est renuntiatio, cum pendeat ab illa professione, quæ euanescit, vt ibidem probaui, consequenter ea iterum facienda est ad formam Tridentini intra bimestre proximum professioni finito probationis anno

no. Ità fine limitatione. *Peyrin. ad const. 4. Sixti IV. num. 77. & eo Pellizar. tract. 2. cap. 9. nu. 44.* quamuis ab intestato, & sine renuntiatione Nouitius sola professione ea priuilegio facta morte secuta, nihil transferat in monasteriũ, sed veniant eius successores, ac si vt laicus fuisset mortuus, tamen potuit sic disponere vel fauore monasterij, vel aliorum pro suo libito, aliud enim est conuentum succedere ab intestato, quod negaui loco citato, aliud succedere ex renuntiatione facta, quod ab omnibus sine dubio est admittendum.

Quæres 32. An renuntiatio nulla ratificetur, & firmetur sola professione, aut illius ratificatione, si & ipsa fuit nulla?

110 Resp. Renuntiatio nulla ex defectu licentiæ, vel facta ante bimestre, certum est, non ratificatur sola professione, quia talem virtutem non habet in se, sed solum, quod eam iam validam facit sortiri suum effectum, vt scilicet de conditionali fiat absoluta per purificationem conditionis, quod existit in vera professionis existentia, vt docet Tridentinum. Vnde vt renuntiatio valeat, ipsa omnino renouanda est ad formam Tridentini, cum licentia scilicet Episcopi, & intra illud bimestre. Quod si ipsa est valida, perficitur per ipsam professionem veram, iuxta quod dixi q. 24. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 5. num. 56. ex eo Castropal. p. 17. num. 13.*

Quæres 33. An conuentus, quando Nouitius renunciauit in eius fauorem, possit bona renuntiata capere, vel sint eidem tradenda ante professionem?

111 Resp. Bona huiusmodi debent manere intacta renuntiatarijs quousq; Nouitius professionem emiserit, quod probatur esse de mente Tridentini, tum quia per huiusmodi captionem bonorum non solum si fiat à Monasterio sed etiam à quouis alio, cui bona fuerunt renuntiata, læditur libertas Nouitij ad recedendum, vel perseuerandum, qua si velit recedere non ita faci-

112 le bona recuperare poterit Tum quia in Tridentino duo speculor, primum ea verba: *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione*, quæ probant nostrum responsum nempe renuntiata bona non posse capi nisi secuta professione, hoc enim indicant prædicta verba *Effectum suum sortiri*, qui est transitus rerum renuntiatarum ad renuntiatarium. Alterum decretum irritans illis verbis: *Aliter facta vero sit irrita, & nullius effectus*; hæc ergo referuntur ad nullitatem renuntiationis factæ non seruata forma Tridentini, priora vero ad purificationem & executionem eius, vnde cum professione purificetur, sortiendo suum effectum absolutionis, tunc capi potest à resignatario, & non ante, ne perturbetur eius libera voluntas perseuerandi, vel renunciandi, cum enim annus nouitiatus sit dubius, & liber, non debet alterari noua acquisitione bonorũ ante professionem, per quã status liber, & dubius desinit esse, Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. nu. 53.* contra Castropal. qui ex puncto 17. num. 11. tenet, omnia bona renuntiata tradi posse monasterio, vel cuicunq; alij resignatario. Probat *primo* quia iure antiquo id fieri poterat, quod per nouum Tridentini non est sublatum. *secundo*, quia Tridentinum prohibens donationes ex bonis nouitij monasteria factas intelligitur de factis ante illud bimestre, non vero intra bimestre, immo illas concedit factas de licentia Episcopi, ergo permittit tradi, quia traditio, supposito valore donationis nullibi prohibetur. *tertio* confirmat ex illis verbis: *Nouitijs abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant*, supponit ergo Tridentinum posse aliqua fuisse tradita monasterio. Nec restrictio facienda est ad pertinentia ad victum, vestitum, & vtensilia cellæ, quę sunt

sunt parui momenti;nec ad tradita illicite, quæ adhuc restituenda essent esto Nouitius non exiret, quia nullo tempore retineri possunt.

Respondetur ad primum in iure antiquo nihil precise statui de hoc, nisi quod in potestate est ingredientis disponere de suis bonis, quouis tempore, in hoc correcto à nouo Tridentini, quod fiat illo bimestri ante professionem, quod vero tradatur renuntiatio, aut quod Monasterium possit renuntiatum capere ante professionem, sed potius colligi oppositum, ex quo ipsa iura antiqua dicunt per solam professionem bona Nouitiorum transire ad monasterium, ergo eo modo potest ea renuntiare, quo possunt transire, transeunt autem per professionem, ergo solum per eam capiuntur, & traduntur, & non ante, cum nondum sit renuntiatio sortita suum effectum.

113 Ad secundum Tridentinum absolute loquitur, ergo prohibet traditionem omnium bonorum non solum non renuntiatorum, sed etiam renuntiatorum vt clare patet ex textu, ibi: *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunq prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur*. Ex recta siquidem intelligentia horum verborum, manifestum est Tridentinum respuere eam distinctionem de bonis traditis ante bimestre, & in bimestri, sed prohiberi indistincte traditionem bonorum vtroque tempore, vt insinuant ea verba *Illius temporis, quo in probatione est*, sed in probatione est non solum ante bimestre sed etiam in ipso bimestri vsq; ad professionem, vt notum est, probatio enim durat, & Continuatur per annum integrum, ergo quouis tempore prohibetur traditio, & merito, ea ratione, vt ibidem dicitur: *Nec hac occasione discedere nequeat quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat*. Tolitur enim libertas non solum ante illud bimestre, sed etiam infra illud, & eo magis, quia proprius influit magis, quam remotior traditio, dum libertas status dubij exercenda est in fine per illius euacuationem redeundo ad seculum, vel remanendo in religione.

114 Ad tertium, non valet argumentari à facto ad ius, nam factum contra ius pro non facto habetur, quia nihil aliquid inferre non potest, nec quæstioni facti datur responsum iuris *Glos. 5. Ambigitur Cap. Pastoralis 14. de refer.* Maxime cum Tridentinum non approbet factum traditionis, dum mandat acceptum restitui, quouis ergo modo quodcunque traditum restituendum est, cum sit male traditum, & licet traditum sit aliquid de renuntiato, quod post professionem non venit restituendum, tamen ante illam male traditum fuit, & ideo sub est pro eo tempore restitutioni. Demum quod difficile sit redeunti ad seculum sua bona recuperare, affirmet, qui expertus est, nam existens in possessione bonorum, quicunque ille sit, ob interesse, quod percipit ex possessione bonorum resistit restitutioni mille cauillationibus suffultus.

Queres 34. An monasterium debeat consentire renuntiationi factæ a Nouitio in fauorem alterius, quando ipse Nouitius renuntiat hereditati nondum sibi aquisitæ? e.g. Filius ingressus religionem paternam hereditatem, quam in spe habet, & nondum sibi aquisitam, & delatam, quia adhuc pater, vel propinquus viuit, renuntiat consanguineis, vel alijs, & non monasterio, numquid monasterium cum ipso Nouitio debet renuntiare, & cedere iuri suo, an sufficit sola Nouitij renuntiatio? Ratio cur videatur necessaria quoque renuntia-

tia-

tiatio ex parte conuentus ea est,quia cum hereditas bonorum renuntiatorum sortiatur suum effectum post professionem nouitij renuntiantis, & non possit tunc ipsi professo aquiri,& deferri,cum sit incapax, sed ipsi monasterio deferatur,& aquiratur,quod in omnia eius iura succedit,ne illa renũtiatio euanescat sed sit proficua renuntiatario,necesse est,quod ad eum concurrat monasterium cedendo iuri suo,aliter succedit in ea monasterium, quia talis renuntiatio habet hanc tacitam conditionem,si renuntianti hereditas deferatur,sed in casu nostro non defertur nisi post professionem, quando est incapax, ergo cum non sit delata ex incapacitate professi,remanet monasterio, cui immediate defertur. Huius opinionis sunt plusquam duodecim Doctores, quos contra se refert Sanchez lib.7.cap.6.num.1.

115 Resp.Non est necessarium,vt conuentus cum nouitio concurrat ad renuntiationem huius generis cedendo iuri suo, sed sufficit solius Nouitij renuntiatio facta ad fauorem renuntiatarij. Ratio est,quia nouitius per illam renuntiationem nullum ius sibi retinuit, ac proinde per professionem nullum ius transtulit in monasterium,quod illud faciat capax talis hereditatis post mortem patris Nouitij iam professi; nam monasterium non potest aquirere plus iuris ab alio,quam ipse habeat.Reg.79.in 6. Nouitius autem nullum ius sibi retinuit, sed totum per renuntiationem transtulit in extraneum, & nullum in monasterium, ergo cum non possit ei ea hereditas obuenire, non est necesse, quod renuntiet & cum nouitio, nec quod cedat iuri suo, quia nullum habet in ea ius. *Apud Sanchez lib.7.cap.6. num.3.Castropal.p.17.num.* 18. respondentes ad obiecta Aduersariorum. Quia tamen contraria opinio est probabilis, ad euitandas lites,bonum est, conuentum cedere iuri suo, & approbare renuntiationem cum Nouitio.

Ad rationem dubitandi responsum fuit per fundamentum nostræ opinionis, quia reuera nouitius per renuntiationem bonorum factam parenti non solum renuntiat ipsis bonis, sed etiam spei aquirendæ hereditatis, vtrunque transferendo in renuntiatarium ipso actu renuntiationis habito respectu ad professionem,quo ad executionem ex parte renuntiatarij. Quodlibet ergo ius siue actiuum,siue passiuum,vt sibi deferretur hereditas per mortem parentis, per renuntiationem detulit tunc in renuntiatarium.

Quæres 35. An valeat renuntiatio facta cum hac conditione; *si ingressus fuero religionem*.

116 Resp.Affirmatiue, quia abdicatio bonorum cum sit conformis statui religioso,non potest auertere,& retrahere à religione, sed potius inuitare ad illam quod docet *Couar.de Pactis p. 3.§.2.num.4. Vers. Tertia ratio,Rumin.Iun. vol.2.conf.164.num.12.Molina tom.3.disput.579. num.16.Sanchez cum alijs lib. 7.cap.6.num.*12. Contrra *Purpuratum l.fin.de pactis num.*171. *ad* 173. *ibidem Bolognesus num.*114. *Curtius Iun. num.*1. *cum alijs ibidem à Sanchez citatis*. Asserentes,non valere licet iurata sit ea ratione,quod illa conditio sit turpis, vt pote auertens ab ingressu religionis. Sed contraria ratio perimit ex diametro hanc.

Quæres 36.An qui renunciauit hereditati paternæ ,& matetnæ,nulla facta mentione de legitima, intelligatur comprehensa.

117 Resp. Negatiue,quia aliud est hereditas,aliud legitima,hæc enim debetur de iure naturæ inter parentes,& filios,*ex allatis à Megalio* 1. 2. *lib.2.cap.8. nu.*

10

10. etiam debita est matri transeunti ad secundas nuptias, *Rota apud Rubeum par.5 tom.1.decis.223.* Non item hereditas, ergo vno renuntiato non venit aliud, renuntiatio enim stricte est interpretanda ex dictis hic q. 5. Ita *Gutierex in cap.quamuis pactum* §.*Omnino seruari debebit num.6. ex illo Sanch. lib.7.cap.6.num.*13.qui tamen cap.sequenti num.4.tenet oppositum.

Quæres 37.An sub renuntiatione hereditatis paternæ, maternæ, & legitimæ veniant bona, quæ parentes habent ex filijs prioris matrimonij!

118. Resp.Negatiue differunt enim ea bona ab hereditate, & legitima, siquidem hæc bona à lege *in C.de secundis nuptijs l.Fæminæ*, reseruantur filijs, quasi in penam transitus parentis ad secundas nuptias; hereditas vero cum legitima competunt filijs iure hereditario, & sanguinis. Ita Sanchez *lib.7.cap.6.num.14.se referens ad cap.7.sequens num.7. qui cum Hieron.Gabrieli Val.1.consf.156.num.15.*limitat, nisi renuntiatio fieret post transitum parentis ad secundas nuptias, tunc enim cum eorum bonorum proprietas esset renuntiantis, clauderetur in ea generali renuntiatione. Ratio nostra est illa communis quod renuntiatio stricte est interpretanda, vt minus lædat renuntiantem.

CAPVT VIII.

De Testamentis Nouitiorum, & Professorum.

1 *Testamentum quid sit?*
2 *Sine institutione heredis nullum est.*
3 *Differt à Codicillo.*
4 *Testamentum in scriptis, & nuncupatiuum*
5 *Codicillus quid, & eius conditiones?*
6 *Donatio causa mortis quid sit.*
7 *Ingrediens liber est ad disponendum de suis bonis.*
8 *Testaturus debet seruare formam iuris communis.*
9 *Habens licentiam testandi non tenetur seruare formam iuris, num. 11.*
10 *Nouitius nondum est miles, sed professione fit.*
11 *Licentia testandi quando excludat formam Iuris?*
12 *Accingendus proxime habetur pro cincto*
13 *Testamentum fit sine solemnitate Tridentini.*
14 *Sine superioris licentia*
15 *Pauperibus non tenetur sua renuntiare*
16 *Nec nouitius Franciscanus*
17 *Monasterio aliquid relinquere non tenetur*
18 *Inducere nouitium ad relinquendum monasterio non est peccatum.*
19 *Regula prima S. Francisci id prohibet.*
20 *Testamentum non rumpitur, si nouitius reuertatur ad seculum,*
21 *Testamentum præteritione monasterij non rumpitur.*
22 *Quamuis rumpatur præteritione filij.*
23 *Testamenti valor respicit duo tempora.*
24 *Actus perueniens ad eum statum in quo concipere non potest corruit.*
25 *Consequens destruit antecedens si est reuocabile*
26 *Filij loco est monasterium in casibus iure expressis.*
27 *Capitis diminutio quid sit? Talis non est professio.*
28 *Testamentum sola voluntate non reuocatur, sed facto opus est.*
29 *Testamentum requirit personam habilem in eius factione*
30 *Testamentum rumpitur translatione expressa bonorum in conuentus.*
31 *Bona nouitij decedentis intestatus sunt consanguineorum.*
32 *Testamentum firmatur professione in monasterio incapaci.*
33 *In capaci vero morte professi.*
34 *Monasterium incapax dicitur mortuum.*
35 *Præmoriente instituto, & legatario bona sunt monasterij*
36 *Substituto & hæreditas danda professione in conuentu incapaci*
37 *Non vero respectu capacis nisi post mortem professi instituti.*
38 *Fideicommissum extinguitur præmoriente fideicommissario.*
39 *Argumentum valet à fisco ad ecclesiam.*
40 *Vsufructus cum professo transfertur vsq. ad eius mortem*
41 *Reseruare non potest nouitius ius testandi post professionem.*

89 Non

89 *Non est necessaria licentia superioris in declaratione.*
90 *Abbatissa,& Moniales testari non possunt.*
91 *Tutela triplex Testamentaria,legitima,& Datiua.*
92 *Pupillus masculus ad 14.fœmina 12.completos,deinceps minores ad 25.*
93 *Tutor,nec Curator potest esse religiosus*
94 *Executor testamentarius esse potest, in hoc subditus Episcopo.*
95 *Exempti ratione rei,delicti,& contractus sunt religiosi.*
96 *Licentia superioris est obtinenda ad exequendum testamentum.*
97 *Gesta tamen sine licentia valent.*
98 Non potest,*non semper importat nullitatem.*
99 *Superior etiam localis dat hanc licentiam*
100 Superior suus *venit proprie localis.*
101 *Superior institutus executor non eget licentia.*
102 *Executoris officium debent fugere regulares.*
103 *Capucinis, & Obseruantes non possunt esse executores.*
104 *Vtique electores pauperum,& consilium dare*
105 *Conuentuales,& Tertiarij possunt esse executores.*
106 *In causis pijs, & profanis.*
107 *Commissarius in testamentis,& executor differunt.*
108 *Capucini,& Obseruantes possunt esse Commissarij.*
109 *Executor facit opus pium,& misericordiæ,non negotium seculare.*
110 *Executor potest seipsum,& monasterium numerare inter pauperes.*
111 *Executor repræsentat personam testatoris.*
112 *Spurius eligi non potest cum alijs pauperibus.*
113 *Monasterium non potest esse executor pro religioso nominato.*
114 *Creditur subdito asserenti peculium esse extranei.*
115 *Item pecuniam esse obligatam tot missis.*
116 *Substitutio pupillaris euanescit professione patris.*
117 *Pater professus amittit patriam poetstatem.*
118 *Monasterium excludit substitutum,in quinque casibus vsque ad num.123.*
124 *Includit substitum excluso monasterio vsque ad num.134.*
135 *Causa pia,& monasterium excludit monasterium professi.*
136 *Substitutus sine conditione semper excludit monasterium.*

1 PRæmito quæstionibus definitionem Testamenti, quod est voluntatis nostræ iuxta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum legitima heredis institutione. Colligitur ex l. 1. ff. de testam. Vltima verba de institutione heredis, ex Institut. de legatis, vbi §. Ante heredis institutionem,dicitur;*Testamenta cum ex institutione heredis accipiunt, & ob id ve-*
2 *luti caput,atq. fundamentum totius testamenti heredis institutio est.* Testamentum sententia dicitur,quia testator sentiat hoc est,declarat,quibus,& qualiter debeant eius bona conferri, & tradi; iuxta autem debet esse hæc sententia, & dispositio,quam facit testator de suis bonis,iusta autem dicitur, dum non est contra leges,nec bonos mores,vnde dicitur l.3. ff. de testam. quod testamenti factio non priuati, sed publici iuris est, ideoq. forma eius priuatorum pactis leditur. Demum heredis institutio est necessaria, aliter testamentum nullius

est momenti, cum institutio sit anima ipsius testamenti. Per institutionem, &
3 nominationem heredis testamentum differt à Codicillo, quod non requirit institutionem heredis, nisi in milite codicillante sine testamento; & præterea testes sunt necessarij ad valorem testamenti, qui sint rogati, masculi, & plures; in codicillo vero sufficiunt quinq. siue masculi, siue fœminæ etiam non rogati. Ita omnes *cum Mantica de coniect. vlt. vol. 1. tit. 8. Bonac. de testam. p. 1.*
4 Aliud dicitur scriptum, quod scribitur propria manu à testatore, aliud nuncupatiuum, quod, testator facit scribere per Notarium, & hoc magis est in vsu, quam illud, de cuius substantia est scriptura, non istius, sed tantum ad probandam dispositionem testatoris, hoc appellatur apertum, illud sigillatum.
5 Codicilus est pars testamenti, ac proinde in eo viget eadem ratio, quæ in testamento, *Vasquez de successiõn. progress. lib. 3. tit. de Codicill. Turretus de effect. clauf. Codicill. q. 112. num. 4. Rota par. 9. tom. 1. decis. 312. num. 15.* Vnde testamento non existente, neq. codicillus, *l. quod 10. ff. de iure codicill.* Pariter facta in codicillis perinde habentur ac si facta essent in testamento *l. 2. ff. de iure codic. §. codicillorum*, tum qui potest testamentum facere, potest etiam codicillus scribere, *l. Si quis 3. & l. Diui 6. §. licet ff. de iure codicill.* In his tamen non potest dari, nec adimitte hereditas, *ex l. 2. C. de codicillis.*
6 Donatio vero causa mortis est illa, qua quis mouetur à periculo mortis, vel eius cogitatione, vt donatarius rem habeat post mortem donantis. Aliter si nihil cogitauit de morte, appellatur donatio inter viuos, quæ ex natura rei est irreuocabilis, sicut è contra donatio causa mortis est irreuocabilis, toties, quoties reuocabile est testamentum, cum mors non sit secuta, sola enim illa fit irreuocabilis. Colligitur id *ex l. 1 l. Senatus, l. Si mortis causa ff. de mortis causa donat. Bonac. de donat. p. 5. num. 1. Castropal. par. 7. de instit. tract. 31. disp. 2. p. 13.* Præmisi hæc tria breuiter quantum facit ad præsens institutum vt lector habita cognitione terminorum, facilius intelligat responsa ad quæstiones.

In præcedenti capite actum est de renuntiatione, quam facere potest nouitius, qui liber manet ad disponendum de suis bonis eo, modo quo sibi placuerit, Aut de Monachis collat. 1. ibi *illud quoq. decernimus, qui in monasterium in-*
7 *troire voluerit, antequã monasteriũ ingrediatur, licentiã habere suis vti quo voluerit modo. Ingredientem namque simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit, & non erit dominus earum vlterius vllo modo.* Nomine autem *ingressus* venit professio, vt dixi cap. 4. n. 50. Et in cap. De his 4. de sepult. fit mensio de hac libertate nouitiorum ad disponendum de suis bonis his verbis: *Si vero ad religiosa loca se in sanitate transtulerint, de his, quæ locis ipsis conferunt, cogi non possunt aliquid præscriptis ecclesijs impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solum religiosis, sed etiam quibuslibet priuatis conferre personis.* Et alibi de hac libertate nouitiorum disponendi agitur, vnde ex quo liber est, nullo iure cogitur ad disponendum de suis bonis, sed illa professione defert in monasterium ex Aut. *Ingressi*, vt dicam sequenti capite, hic autem agendum est de testamentis eorundem, & professorum cum suis accessorijs.

Quæres igitur primo, an ingressurus, vel iam ingressus volens testari teneatur seruare solemnitatem iuris septem testium, cum reliquis ad formam *l. Sinus 12. l. Hac consultissima 21. l. fin. C. de testam ordin.* An vero sufficiat vti forma

iuris

iuris canonici, cap. Cum esse 10. cap. Relatum 11. de testam?

8 Resp. Seruanda est forma iuris, quia nullibi cauetur, quod ingressurus religionem, vel iam, ingressus, & factus Nouitius eximatur ab hac solemnitate, & subijciatur tantum iuri Canonico. Confirmatur, quia in hac dispositione vt merus laicus spectatur. Ita *Rodriq. tom. 2. summæ cap. 7. num. 9. Gutier. lib. 2. question. Canon cap. 1. num. 14. ex illis, & alijs Sanchez lib. 7. cap. 3. num. 18. & num. 19.* expresse excludit solemnitatem iuris Canonici.

Contrarium, quod Nouitius non teneatur solemnitatibus iuris communis, sed posse testari more militum, qui possunt testari cum minori numero testium, & præteritio filij testamentum non rumpit; probatur, quia absurdum est, quod minori priuilegio gaudeat, immo nullo miles spiritualis, vt est Nouitius, quam miles terrestris. Confirmatur, quia Princeps concedens liberam facultatem testandi illi, qui habilis est, eximit eum à solemnitatibus iu-
9 ris, *ex Glos. 5. conceeitur l. si quando 35. C. de inoff. testam.* sed ingressis concedetur libera facultas testandi, vt superius dictum fuit, ergo ea solemnitate non egent. Pro hac opinione Sanch. cit. num. 16. refert decem septem Doctores suffulti dictis rationibus, qui non solum loquuntur de nouitio formaliter accepto, sed etiam de volente ingredi, probantes insuper ex illo vulgato, quod proxime accingendus habetur pro acciucto, *l. pen. ff. de milit. testam.*

10 Sed standum est in prima opinione longe probabiliori, cum inxta neminem eximant à solemnitate in condendo testamento præter milites. Vnde *ad argumentum* respondetur, Nouitium nondum dedisse nomen cælesti militiæ, cum non sit professus, & multo minus nondum ingressus, ideo argumentum nihil probat, cum nouitius Nondum sit miles matriculatus stigmate professionis. *Ad confirmationem* dico, argumentum non probare intentum, esto
11 enim Glos. dicant, remissam esse solemnitatem illi, cui data est licentia testandi, si alias cum habebat, ne nihil ei videatur concessum, tamen in casu nostro lex non tribuit licentiam testandi Nouitijs, sed solum eos admonet habere ex natura rei ius testandi pro suo arbitrio ante professionem, cum id eis sit negatum post professionem, vt patet supra hic num. 7. Est ergo admonitio,
12 non concessio. *Ad aliud de cincto,* dico quod religionem ingressurus nondum habens habitum probationis non dicitur haberi pro cincto, sed solum quando est nouitius, & tunc etiam nihil facere ad propositum, quia habitus pro cincto comparatur iam cincto, & in casu nostro, Nouitius ex præfato vulgato censetur ac si esset professus, cui comparatur ille, sed professus nullo modo potest testari, ergo nec nouitius ex ea comparatione, & sic non facit ad propositum, quod proxime accinctus habeatur pro cincto, multo minus ingressurus, qui proxime non dicitur accinctus, neque proinde habendus est pro cincto.

Quæres 2. An tam Nouitius, quam ingressurus teneantur seruare formam Tridentini, si testaris volunt?

13 Resp. Negatiue, sed illud facere possunt quouis tempore, eò quod factio testamenti, sicut codicillorum, & donationis causa mortis, non comprehenditur eo decreto Tridentini de renuntiando cum licentia Episcopi, & intra bimestre professioni proximum. Ratio est, quia Tridentinum disponit tantum circa eas obligationes, & renuntiationes, quæ possunt lædere libertatem Nouitij ad remanendum, vel redeundum ad seculum; sed palam est factio-

nem

nem testamento, & aliorum, quorum eadem est natura, esse de se reuocabilem ad arbitrium ipsius nouitij, toties, quoties voluerit pro toto probationis anno, ergo non comprehenditur. Et in hoc differt à renuntiationibus, quæ sunt inuariabiles,& irreuocabiles ex cap.7. q.11.ac proinde maturiori consilio,de licentia Episcopi,& tantum intra illud bimestri fieri debent. Est communis Doctorum *apud Barbos. ad Tridentinum cap.16. sess.25. num.14. Sanch. lib.7. cap.5. num.13. Vecchius disp.8. dub.10. num.1. Marinus lib.2. cap.196 nu. 2. Riccius par.3. resol.356. Rota par.4. tom.3. decis. 556. num.9. Ego cap.13. de profess. q.2.* Etiamsi fiat intra illud bimestre,non tenetur sequi eam formam, dum non comprehenditur sub decreto illo.

Quæres 3. An saltem requiratur licentia superioris regularis, vbi nouitius est in probatione?

14 Resp. Negatiue, nullo enim iure id nouitio præscribitur, cum in hoc non subijciatur prælato, sed habeatur pro mero seculari, proinde cum liberam testandi,codicillandi, & donandi causa mortis facultatem habeat, nullius indiget licentia. Ita ferè omnes *cum Nanar. tom.2. de Regul. num.49. Sanch. lib. 7. cap.3. num.3. Vecch. disp.8. dub.10. Castropal. disput.1. p.14. num.1. Barb. ad Auth. Nunc autem, sub leg.20. C. de Episcop. & cler. num.3.* Contrarium docent Archid. *in cap. Nunc autem, fine, 19. q.3. & Suar. Alleg.20. num.29.* requirentes licentiam superioris. Sed non probant. Vrbanitas tamen exigit, vt id insinuet superiori, à quo bonum consilium accipere potest, ea etiam ratione, vt experiatur statum paupertatis,& meritum obedientiæ, sine qua nihil agendum.

Quæres 4. An Nouitius teneatur sua relinquere pauperibus iuxta illud Euangelij: *Vende, & da pauperibus.* Quod S. Franciscus inseruit suæ Regulæ?

15 Resp. Negatiue, quia verba Euangelij sunt exhortatoria, & de consilio vt patet ibi Matth.19.21. *Si vis perfectus esse, vende, & da pauperib.* vtrumq. enim imperatiuum regularius per illud conditionale, quod importat arbitrium, & optionem. Habet ergo potestatem nouitius relinquendi sua bona, cui vult, non extantibus necessarijs heredibus, quos debet instituere si adsunt, vel eis saltem legitimam relinquere, de ea libertate expresse vtrumq. ius supra citatum sub num.7. Relinquere autem heredibus necessarijs *Sanch. lib.7. cap.3. nu.* 7.

16 Quod vero non teneatur dare pauperibus etiam nouitius sub prima Regula S. Francisci, ita *Rodriq. tom. 3. q.16. art. fin. Sanchez lib.7. cap.3. num. 4. Vecchius disp.8. dub.1.* vbi non late examinat. Nec obstat Regula, quia Sanctus eo nouitios hortatur modo, quo Christus illum iuuenem alliciebat ad statum religiosum, si illi placuisset.

Quæres 5. An nouitius in testando teneatur aliquid relinquere monasterio?

17 Resp. Negatiue, quia in hoc liberam habet voluntatem, ergo non tenetur relinquere aliquid monasterio. Antecedens patet ex vtroq. iure allato sub num. 7. Ita *Sanchez de communi lib.7. cap.3. num. 8. Rota par.4. tom.3. decis. 556. num.7.*

Quæres 6. An sit peccatum inducere nouitium ad relinquendum aliquid monasterio?

18 Resp. Negatiue, quia ex quo nouitij nihil disponunt, vt possunt se negatiue habentes iure secum transferunt professione omnia sua in monasterium, sequitur

quitur, quod possint rogari à professis ita facere per testamentum, eadem enim est virtus taciti,& expressi,quare sicut non peccat professione omnia sua bona transferendo in religionem,quia non peccat agens auctoritate legis cap. qui peccat 40. 23. q. 4. ita neq. si ab alio exhortetur ad ea trasferenda per viam testamenti. Ita *Rodriq. tom.2.sum.cap.7. num.11 Sanch.lib.7. cap.3.nu.*
19 15.Regula tamen prima S. Francisci id prohibet rigorose suis professis, quod confirmatur *à Clem.V. in Clem. Exiui, §.Cæterum,de verb.signif. cum alijs Vecchius disp. 8. dub.3.*

Quæres 7. An testamentum à nouitio factum fauore religionis eo redeunte ad seculum euanescat,& rumpatur?

20 Resp. Si fuit conditum cum intentione manendi in religionè, & profitendi per egressum censetur reuocatum, quia cessante,& deficienre causa finali cessat effectus,& euanescit. Ita *Menoch.lib.4.presumpt. 24. Sanch.lib.7.cap.3.nu* 14. Si vero illud condidit sine tali fine,sed solum ex quadam affectione erga monasterium, per egressum non rumpitur, sed adhuc durat, donec per aliud reuocetur. Ita intelligendi sunt ab eodem Sanchez citati.

Quæres 8. An testamentum,in quo non fuit institutum monasterium secuta professione rumpatur?

21 Resp. Negatiue, quia cum nouitius retineat adhuc suam libertatem benefaciendi, quibus vult, nulla ratio suadet, rumpi illud per professionem, quæ benefacta irritare non potest. Confirmatur,quia monasterium in hoc non se habet vt filius quasi præteritus, ac proinde cum non possit vti querela testamenti,perdurare debet. Ita citatis plusquam triginta Doctoribus *Sanch.lib.7 tcap. 3. num.34. Buratus decis.639.num.7. Paulus Rubeus ad decis.523.par.4 o m.3.num.96.Castropal.p.14. num.4.*

Contraria opinio aliornm est asserentium, professione rumpi testamentum,in quo nihil relictum fuit monasterio,ea ratione,quod monasterium habetur loco filij, sed testamentum rumpitur præteritione filij, qui necessario
22 institui debet, ad euitandam nullitatem testamenti, ad quod sufficit institutio in quauis re minima, etiam in solido, licet tunc filius agere possit ad supplementum legitimæ,non ad rumpendum testamentum. Ita docent plerique apud Sanch.lib.7.cap.3.num.24. Excipiunt casum, in quo bona distributa fuerunt inter liberos. Et quando nihil cogitauit de ingressu religionis, in his duobus casibus non rumpitur.

Alij vero absolute respondent rumpi testamentum, & bona transire ad monasterium professione,siue cogitauerit de ingressu,siue non. Probant pri-
23 *mo*,quia pro valore testamenti duo tempora considerantur,tempus quo fit, & tempus mortis naturalis,quo firmatur,*l.1.§.Exigit, & §.sufficit ff.de bonor. possess.secundum Tabulas* sed Nouitius iam professus tempore suæ mortis naturalis est incapax ad testandum,quare cum actus deueniat ad eum statum,
24 in quo incipere non potest,necesse est,quod corruat, *l.Pluribus* 140. §. *Et si placet,ff.de verb.obligat.* Probant *Secundo*,quia in actu reuocabili factum consequens destruit actum percedentem,*l.cum in plures 63.§.Locator ff.Locat.* sed hic sequitur professio contraria testamento,dum per illam profitens se, & bona sua dedicat monasterio,ergo definit testamentum.

Nonnulli dicunt non rumpi in tantum, sed solum in eo, quod legitima professi debetur monasterio, quia talis persumitur voluntas ingressi quæ pla-
ci-

cita refert *Sanch. a num. 24. ad 34. Castropal. p. 14. num. 3.* expeditius his rationibus. *Prima*, quia loco filij monasterium habetur. *Secunda* quia capite quasi minuetur professione, qua subijcitur prelato. *Tertia*, quia presumitur mutare voluntatem, & monasterium relinquere heredem, cum in eo mori debeat, maxime si nihil de religione cogitauit.

Sed recedendum non est à responso dato, cum Nouitius liberam habeat potestatem relinquendi bona sua cui liber, ac proinde excluso etiam monasterio ex dictis hic num. 7. & 17. Vnde *ad primam* rationem, quod monaste-
26 rium sit loco filij non verificatur nisi in casibus in iure expressis, hic autem ruptionis testamenti non exprimetur, ergo ruunt argumenta, & de hoc dicam infra sub q. *Ad secundam*, quod professio dicat diminutionem capitis, est om-
27 nino falsum, quia capitis diminutio est pæna inuoluntarie passa ab homine ex suo delicto, sed ex professione nulla sequitur pæna, neque ex delicto pendet, ergo professio nullam dicit capitis diminutionem. Diminutus capite perdit ciuilitatem, patriam, & libertatem; nihil bonum perdit professus, vt videri potest *apud Rodriq. tom. 2. q. 77. art. 6. Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 34. Ego cap. 20. de profe. q. 33.* Ad tertiam rationem respondeo iustitia non patitur, vt veritati, de qua constat in testamento, præferatur opinio, & præsumptio in præiudicium tertij: preterquam quod sola præsumptione non censetur mutatum testamentum, dum necessarium est factum contrarium, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissolitur, nam ad reuocandum testa-
28 mentum non sufficit sola voluntas, sed factum reuocationis est necessarium, Instit. *Quibus modis testam infirm. §. Ex eo autem solo*. Demum sufficit quod qui testamentum facit sit capax illius faciendi tempore quo facit illud, &
29 tempore quo moritur vel naturaliter, vel ciuiliter, tunc enim suum sortitur effectum, & euadit inrreuocabile, & firmatur fauore heredis instituti, non enim tunc fit, sed iam factum perficitur, & fit ireuocabile.

Quæres 9. An testamentum rumpatur, si nouitius omnia sua bona transferat in monasteriom?

30 Resp. Affirmatiue, quia per tale factum censetur reuocasse testamentum cum omnibus legatis in eo expressis. Ita *Rodriq. tom. 3. q. 16. art. 2 cum multis alijs Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 38.* Debet tamen constare, meo iudicio, aliquo instrumento de hac translatione, vt pro foro externo defendi possit monasterium à prætenso herede testamentario.

Quæres 10. Cuiusnam sint bona Nouitij decedentis siue illo, testamento, aut alia dispositione?

31 Resp. Sunt eorum, qui veniunt ab intestato, ac si nunquam ingressus fuisset religionem. Ratio est, quia per simplicem ingressum sine professione monasterium nullum aquirit ius super bona Nouitij, nisi quo ad expensas, ergo morienti sine professione succedunt venientes ab intestato. Ita *Rodriq. tom. 2. q. 80. art. 2. & q. 47. art. 12. fine & q. 77. art. fin. Angelus 5. Nouitius nu. 11 cum multis alijs Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 92.*

Quæres 11. A quonam tempore testamentum sortiatur suum effectum hoc est, quandonam hereditas, & legata debeantur heredibus, & legatarijs? An à puncto professionis ipsius Nouitij testatoris, quæ vocatur mors ciuilis; an solum à morte naturali ipsius iam professi? Et cum in libertate Nouitij sit, vt statim succedant heredes, & legatarij, aut quod expectent mortē eius natura-

ralem, si de hoc constet, dubitatio erit sublata, quia tunc seruanda est mens expressa testatoris. Quare questio procedit in dubio, quando eius mens ignoratur, an velit, vt bona dentur heredibus post professionem, an expectandum sit post eius mortem naturalem?

32 Resp. In religione incapaci bonorum, professione testamentum statim sortitur suum effectum, & hereditas recto tramite fit institutorum in testamento; in religione vero capaci sortitur effectum solum post mortem professi, & interim monasterium vtitur illis Bonis tamquam illius dominus proprietarius, & vsufructuarius, sequuntur enim personam pro eo tempore. Probatur vtrunque quia testamentum sola morte naturali testatoris regulariter firma-

33 tur, & suas recipit vires transeundi in proprietatem, & dominium heredis; vt docet S. Paulus cap. 9. Hebr. 17. *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est.* Hoc idem insinuatur in eius definitione, in qua testamentum dicitur voluntas de eo, quod testator vult post mortem suam fieri, exequitur ergo eius voluntas post mortem, & non ante. Et quia professione omnia nouitij bona, de quibus non disposuit, transeunt cum eo in monasterium, consequens est dicere, secum transferre in monasterium ea bona, de quibus testatus fuit, quousq. naturaliter moriatur. Respectu ve-

34 ro conuentus incapacis, bona professi testatoris statim sunt heredis, & legatarij quia in hoc mors ciuilis æquiparatur naturali, quia incapax hereditatis, vt monasterium nihil habens in communi, habetur pro mortuo, *l. 1. §. Sed si patruum. ff. de coniug. cum emancip. liberis.* Nam post professionem nullus est, qui repræsentet personam eius, nō monasterium propter eius incapacitatem, nec venientes ab intestato, quia adest testamentum, ergo restat, vt soli instituti, & legatarij repræsentent personam ipsius testatoris, & illi immediate in omnibus in testamento expressis succedant. Ita docent omnes respectu vtriusque partis, & quidem respectu monasterij incapacis ita docent *Angelus V. Hereditas num. 22. Silu. V. eodem. 1. q. 9. num. 10. Nauar. Com. 1. de Regul. num. 54. Rodriq. tom. 2. q. 80. art. 1. Sanch. cum multis lib. 7. cap. 3. num. 69. Castropal. p. 14. num. 9. Ego cap. 13. de profess. num. 51.* Respectu vero monasterij capacis ita docent omnes precitati cum infinitis alijs *apud Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 55. Castropal. num. 7.*

Quæres 12. Quid si moriantur institutus, aut legatarius antequam testator iam professus naturaliter decedat, cuiusnam erit, hereditas, & legatum!

35 Resp. sunt ipsius monasterij capacis, quia institutus, & legatarius præmorientes testatori nullum ius aquisierunt, quo possunt hereditatem transferre in suos successores, nam in hoc casu caducatur testamentum, *l. 1. C. de caducis tollend. §. Et cum* ac proinde cum pro non facto habeatur, ea bona perpetuo sunt monasterij. Ita *Bartol. in Authent. si qua mulier C. de sacrosf. eccles. num. 10. Suar. Alleg. 20. num. 17. Gutier. lib. 2. quest. canon. cap. 1. num. 53. Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 56.*

Quæres 13. An heres institutus cum onere restituendi hereditatem alteri post suam mortem, si profiteatur in religione, statim debeat ipse, & monasterium eius facere restitutionem!

36 Resp. Esse faciendam, si professus est ordinis incapacis, non vero nisi post mortem professi naturalem ordinis capacis, iuxta dicta superius sub q. 11.

N Prima

Prima pars de restitutione in ordine incapaci probatur, quia in hoc casu professio vti mors ciuilis equidem æquiparatur morti naturali, ergo restitutio facienda est tempore professionis. Ita *Bart ol.in l.Cum pater 79. §. Hereditatem ff.de legat.2.num.3.ibidem cæteri legistæ Surdus vol.4.conf.557. num. 10.& 12.Vincent.de Franchis decis.Neapol.14.num.7.par.1.Molina tom.1.disp. 186.num.74 cum alijs Sanchez.lib.7.cap.3.num.79.*contra nonnullos, quibus satisfactum est per dicta hic,& q.11.Faciunt mox dicenda.

37 Secunda pars,quod in religione capaci restitutio fiat solum post mortem naturalem grauati, probatur *ex l. Cum pater 69. §.;Hereditatem filius ff.de legat.2.l.Statius 48.§. Cornelio ff. de iurefisci*, in quibus locis dicitur, quod fideicommissum relictum in diem mortis,non estdandum fideicommissario,quando grauatus fuit deportatus,sed à die mortis naturalis,non obstante deportatione, quæ est mors ciuilis, vnde interim bona deportati sunt fisci. Et Glos.

38 ibidem V. Ipse reddit rationem,quia accidere potest casus, quod fideicommissarius moriatur ante grauatum, & tunc infringitur fideicommissum, ac proinde bona perpetuo sunt fisci. Sed à fisco ad ecclesiam valet argumen-

39 tum *Euer.hoc loco, Cephal·Vol.2.conf.255.num.49.Peregr.de iurefisci lib.9.tit. 2.num.5.*Ergo sicut bona depositati remanent apud fiscum vsq. ad mortem naturalem, ita & in rel igione bona professi grauati remanent vsque ad eius

40 mortem naturalem.Confirmatur,quia vsusfructus cum professo transfertur in monasterium,& non finitur nisi per mortem illius naturalem,vt dicit *Glos. V.Dedicat Auth.Ingressi*, & omnes,quos fere infinitos *citat. Sanch.li.7.cap.13.n.* 48. Et ita tenent Bartol.*in Auth.cit.in lect.2.num.48.& 49.& super dictas leges 79.& 48.Surd.vol.4.conf.557.num.10.Gutier.lib.2.quæst.can. cap.1.num.64. cum alijs Sanch.lib.7.cap.3.num.76.Barb.in Auth.Ingressi, num.*41.

Quæres 14. An Nouitius in renuntiatione possit sibi reseruare ius testandi tempore quo fuerit professus.

41 Res.Quod Nequaquã,& si fiat,pro non scripto habetur,sed tanquam aliquid turpe reijcitur cum sit contra votum paupertatis, ius enim testandi arguit actumproprietatis, cuius est incapax professus. *Bald.in cap.In præsentia, de probat, num.*34. ait posse testari,ea ratione, quia quis potest testari de rebus alienis annuente domino. Sed hæc ratio non probat, quia nec superior potest ipse testari,vt infra patebit,ergo nec talem dare licentiam Iason vero in Auth. Ingressi,ait,posse de licentia sui superioris;sed id esse falsum patet ex dictis. Ita refert Sanchez lib.7. cap.8, num.19. & reijcit vtriusq.dictum.

Quæres 15. An Nouitius in condendo testamento, seu aliter disponendo, possit peccare contra votum paupertatis? Et illud reddere nullum?

42 Resp. Potest peccare,non tamen reddere nullum testamentum. Probatur, quia quamuis per factionem testamenti præcise non possit agere contra votum paupertatis, cum nondum se illi obligare; & quia per testamenti conditionem nihil aquirit, sed potius perdit, & à se abdicat, quod habet, quod est proprium huius voti; tamen si suo testamento adiungit simile pactum voto paupertatis contrarium, nulli dubium est peccare,quia per illud intendit, se nolle viuere secundum votum proprietatis,sed proprietarium,debet enim habere animum paratum viuendi secundum ordinis,quem vult profiteri,instituta,aliter praua est eius intentio. Tenet vero testamentum,& pactum vti turpe reijcitur,ac si non esset scriptum;vel interpretatur vt proprium retineatur de-

dependenter à voluntate superioris, in cuius potestate est reuocare tale pactum.

Quæres 16. An dicta de testamento nouitij locum habeant etiam in donatione causa mortis, vel viuorum?

43 Resp. Idem esse dicendum, quia par est ratio, quare neutra donatio professione est reuocabilis per solam professionem, nam professione in monasterium transferuntur solum ea, de quibus Nouitius antea non disposuerat, vt omnes Auth. Ingressi interpretantur, & dicetur infra suo loco. Et de donatione inter viuos nullatenus est dubitandum cum ex se sit irreuocabilis, donatio vero causa mortis regulatus sicut testamentum, ideo de eo dicta intelliguntur de donatione causa mortis. Ita alijs citatis *Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 40. & 41.*

Quæres 17. An religiosus professus possit facere testamentum.

44 Resp. Negatiue, quia nihil habet proprium, quo testari possit, de alienis enim nemo facit testamentum. Expresse Auth. *Ingressi sub l. 12. C. de sacros. eccles. cap. quia ingredientibus 7. 19. quæst. 3. & cap. 2. de testam.* quæ duo capita sunt Gregorij confirmantis Autenticam *Ingressi. Cap. Nolo 10. 11. q. 1.* Ita omnes *Rota par. 9. tom. 2. decis. 450. num. 28. Rodriq. tom. 3. quæst. 69. art. 2. cum suo Compend. resol. 135. num. 2. Castropal. de obligat. relig. disp. 3. p. 12. num. 1. Cardin. de Lugo disp. 3. de Iustitia, sect. 6. num. 109. Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 2.* Nullo contradicente, quia ius prohibitiuum supra citatum manifestum est. Procedit siue sit expresse, siue tacite professus quia in vtroq. est abdicatio proprietatis, quæ professum reddit inhabilem ad testandum. Omnes cum Barbosa ad cap. 2. de testam. num. 4.

Quæres 18. Quo iure sit professis prohibitum facere testamentum?

45 Resp. Iure tantum humano inducto à Iustiniano Imperatore circa annum 527. seu verius anno 535. confirmato à Gregorio in præcitatis capitibus, vt notaui cap. 4. num. 48. & cap. 13. de professione, ante quod tempus Monachi sua condebant testamenta, vt videri potest in l. Generali 13. C. de sacros. eccl. tempore Valentiniani, & Martiani Imperatorum anno 457. post modum id eis sublatum fuit per dedicationem omnium suorum bonorum professione factam monasterio, ex quo excitata fuit solemnitas inhabilitans ad contrahendum, & testandum, ex defectu bonorum, quorum amplius proprietatem, nec dominium habent. Ita omnes *cum Azorio tom. 2. lib. 12. cap. 6. quæst. 5. Sanchez lib. 7. cap. 8. nu. 4. de lugo disp. 3. de Iustitutio num. 109.*

Quæres 19. An saltem ad pias causas testari possit?

46 Resp. Negatiue, ob eandem rationem, quia nihil habet; vnde cum causa pia illi nihil tribuere possit, nec ius dare valet testandi. Ita *Nauar. tom. 2. de Regul. num. 22. Coroll. 10. Rodriq. tom. 3. q. 69. art. 2. Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 3. Barbosa ad cap. 2. de testam. num. 5.*

Quæres 20. An ad minus testari possit de re aliena nomine alieno? Tres assignantur modi testandi pro alio, qui ita proponere potest *Primo*. Mando

47 sibi, seu concedo licentiã cõdere testamentum nomine meo relinquendo bona, quibus magis sibi placet. *Secundo* testamentum facias de meis bonis nomine tuo. *Tertio*. Commito tibi executionem, electionem, & distributionem meorum bonorum personis à te nominandis. Quæstio ergo est, an his modis possit testari de alienis, & alieno nomine?

48 Resp. Potest, quia talis actus non opponitur voto paupertatis, quia nihil disponit de suo, nec actum proprietatis facit, cum nihil aquirat, aut deperdat sibi, nec religioni.

Obstat Nauar.tom.2. de Regul.num.57. & ex eo Sanch.lib.7.cap.8. num.6. 6 & 7. Quia quamuis id aliud esse non videatur, quam esse procuratorem, aut executorem alienæ voluntatis, quod facere potest ex licentia superioris. At longe diuersa est ratio, nam procurari, & exequi nituntur personæ alterius, eiusque nomine fiunt; at testamentum illud fit nomine proprio, estque proprium personæ testatoris, ac si secularis persona proprium testamentum conficeret disponens de re aliena ex consensu domini. Item quia posset testari de rebus monasterij ad opera pia, consentiente prælato, sicut posset prelatus eas impendere, aut dare licentiam inter viuos donandi.

49 Respondeo ad primum esto in illo casu professus non nomine proprio, sed verius voluntate propria, & nomine alieno, cum alterius vices gerat, testamentum faceret, non idcirco diceretur testari ad modum secularis, cum is disponat de proprijs, ac proinde faciat actum proprietatis; religiosus vero nihil proprij dicitur abdicare, sed alienum, & sic non violat votum paupertatis. Ad secundum dico, non valere argumentum à donatione ad testamentum, certum enim est, superiorem, & subditum de eius licentia aliquid donare posse, non tamen testari, quia neuter est dominus rerum monasterij.

Quæres 21. An Prælatus posit testari? Videtur sic, quia habet administrationem bonorum monasterij, ergo de illis disponere possunt.

50 Resp. Negatiue Tum quia actus testandi est personæ priuatæ, ergo ratio personæ publicæ nõ tribuit hoc ius, sed proprietas, & dominium rerum. Tum quia est actus proprietatis probibitur non solum subditis, sed etiam superioribus, qui tenentur ad votum paupertatis, sicut obligantur subditi. Ita cap. 2. de testam. vbi reprobatur testamentum Abbatissæ, *Nauar. tom.2. de Regul. num.44. Rodriq.tom.3.quest.69.art.2. Tambur.tom.3.disp.16.quest.3.num.2.* Tollitur dubitatio, quia administratio est de re aliena, testatio vero de re propria, qua caret Abbas.

Quæres 22. An professi Militares posint testari?

51 Resp. Milites Hierosolimitani propria auctoritate testari non possunt, quia illis obstat votum paupertatis, sicut claustralibus, & contra illos stat Auth. *Ingressi*, sæpius decisum á Rota coram Ludouisio *decis.87. & par. 4. Recent. tom.3.decis.623.num.3.* Possunt vero testari de licentia Capituli Generalis, seu Magni Magistri, vt docent *Riccius par.3.decis.321.num.3. & par.4. resol.171. Rota apud Farinac.par.2.decis.76.nu.1. Rota par.4.tom.3.decis. 601. nu. 20. Sanch.lib.7.cap.8.num.36.*

52 Cæteri Militares ex quadam consuetudine possunt testari de suis patrimonialibus & fructibus suarum commendarum. Nec Pius V. in Bulla 73. incip. Sacrosanctum sustulit consuetudines, licet reuocauerit licentias eis concessas testandi pro suo libito; Vnde Gregorius XIII. reuocauit Bullam Pij V. concedendo eis facultatem testandi, secundum eorum consuetudinem. Equitæs S. Lazari possunt testari, modo Conuentui relinquant quintam partem, ex Bulla 95. Pij IV. Item Milites S. Stephani testari possunt etiam ad fauorem illegitimorum, modo quintam partem relinquant ordini, ex eodem Pio IV. Bulla 60. Item Calatrauenses, Alcantarenses, & Sparhentes ex indulto Grego-

gorij XIII. Bulla 30. Vide Lezanam de his Militibus par. 2. cap. 5. nu. 33. 34. & à num. 54. vsq. ad finem Capitis.

Quæres 23. An consuetudine induci possit, vt religiosus licite, & valide testetur?

53 Resp. Negatiue, quia testari est actus proprietatis, cui opponitur votum paupertatis, contra quod nulla consuetudo potest, ea enim quæcunque sit, abrogare non potest legem diuinam, & naturalem. Ita *Nauar. in cap. Non dicatis num. 76. Rodriq. tom. 1. quest. 69. art. 2.* Tredecim Doctores citat. *Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 62. qui num. 63.* tenet, consuetudine induci, vt professus possit licite testari, & probat, quia quæ possunt fieri per priuilegium, induci etiam possunt per consuetudinem, maxime in casu nostro, in quo factio testamenti religiosis prohibita est iure humano.

Respondeo, quod prohibitio testandi duo importat, incapacitatem scilicet inductam per solemnitatem professionis, & causam, seu radicem prohibitionis, quæ est votum ipsum. Per licentiam legitimam religiosus fit capax & licite, & valide testandi, & sic excluso proprietatis vitio. Esto consuetudo possit tollere eam inhabilitatem, quam posuit ecclesia, non tamen vitium proprietatis, nisi accedat specialis licentia ad testandum, quæ tunc tollit etiam vitium proprietatis, cum licentia sit personalis, & specifica, quod præstare non potest generalis seu legalis consensus.

Quæres 24. An professus possit facere legatum consanguineo, vel extraneo?

54 Resp. Negatiue, quia qui non potest testari neque legare, *Instit. de fideicom. §. Præterea*, vt etiam colligitur ex definitione legati, quod est donatio quæ-

55 dam à defuncto relicta in suo testamento ab herede præstanda, *Instit. de legatis, initio, & l. legatum 119. ff. de legat. 1. l. Legatum 37. ff. de legat. 2.* Sed ex dictis hactenus religiosus non potest testari, ergo nec legatum facere.

Quæres 25. An Oblati, qui scilicet se, & omnia sua bona obtulerunt monasterio, non profitentes solemniter, sicut religiosi, remanentes capaces aquirendi sibi, possint testari saltem de spe aquirendi?

56 Resp. Non posse, quando omnia sua bona presentia, futura obtulerunt monasterio, vtique vero, si spem futuræ aquisitionis sibi reseruarunt. Primum probatur, quia qui nihil habet in re testari non potest, cum non de nihilo, sed de aliquo fiat testamentum. Confirmatur id ex cap. 3. de success. ab intestato, ibi; *Vnde cum requisitus esset, vt conderet testamentum respondit se non posse testari, quia se & sua consulerat Monasterio.* Secundum quod possit testari de spe aquirendorum patet, quia eam non Religioni, sed sibi reseruauit. Ita *Rodriq. tom. 3. qu. 69. art. 8. Lezana par. 2. cap. 8. num. 16.* Negare id absolute videtur *Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 43.* ea ratione hereditas cum sit nomen iuris po-

57 test esse sine aliquo corpore, *Hereditas 53. ff. de petit hered.* Quomodo id dicat, nescit intelligere Lezana. Sed dic tu, esse intelligendum, vt supra, oblatum posse testari, quando aliquid sibi reseruauit saltem futuram spem acquirendi aliquid, esto donauerit religioni bona præsentia, & futura certa, ad quæ ius habebat, non vero spem ad incerta, dicitur hæc spes hereditas iacens sine corpore, de qua testari potest.

Quæres 26. An religiosus cum licentia sui superioris possit testari?

58 Resp. Negatiue, quia testari est actus proprietatis, in quo superior non potest dispensare. Confirmatur, quia nihil habenti ad testandum nihil suffraga-

ti

ri potest licentia, dum per eam non aquirit rem aliquam testabilem. Ita omnes cum Abbate *in cap. in præsentia, de probat. num.61. Bertrandus consil. 116. num.3. & 9. Nauar. tom.2. de Regul. num.44. Rodriq. tom.3. q.69. art.2. Graff. par.1. decis. lib.3. cap.5. num.59. Sanch. lib.7. cap.8. num.5.* Ita quod nec cum Monasterij consensu eam licentia dare potest, *Bertrandus vol.3. cons.16. num.2. Nauar. num.22. Corollar.10. Rodriq. cit. Tapia in Auth. Ingressi num.27.* Immo nec Capitulum Generale, *Fuluius Pacianus tom.1. consil.36. num.103. Sanchez citato.*

59 Quod si dicas, de licentia superioris potest aliquid etiam notabile donare consanguineo, vel etiam amico, ergo & testari pro ipso. Antecedens docet *Tambur. tom.2. disp.22. quæst.9. num.6. Donatus ordinis Prædicatorum par.2. tract.15. quæst.5. Ego cap.24. de profess. num.56. & 92.* Respondetur, esse latam disparitatem, quia testari importat ius, & facultatem disponendi de suis bonis exequendis post mortem, quod omnino prohibetur tam subditis, quam superioribus, quibus tamen non prohibetur moderata donatio ad subueniendum proximo.

Quæres 27. An professus de licentia sui superioris possit donare aliquid causa mortis?

60 Resp. Negatiue, quia qui non potest testari, nec donare causa mortis, *Glos. V. Non facit l. Tamis, 25. ff. de donat. causa mortis.* Est enim species vltimæ voluntatis. Ita *Nauar. cons.2. de presumpt. num.3. Rodriq. tom.2. quæst.46. art.7. fine Graff. part.1. decis. lib.3. cap.5. num.58.* Contra Sanchez *lib.7. cap.8. num.11.* asserentem, posse quid modicum donare causa mortis. *Primo* quia iura prohibent solum testamentum religiosis. *Secundo*, quia qui non potest testari, nec donare causa mortis, interpretatur id verum esse de eo, qui naturali defectu non potest testari, nec donare causa mortis, immo nec inter viuos ex allegatis ibidem Doctoribus. Professus autem ex solo iure positiuo interdicitur

61 à testamento. *Tertio*, quia hæ potestates testandi, & donandi non sunt connexæ inter se, potest enim vxor testari sine licentia mariti, cum nequeat donare causa mortis, iuxta probabilissimam sententiam, quia ab initio magis assi-

62 milatur contractui, quam vltimæ voluntati. E contra filius potest donare causa mortis bona aduentitia de consensu patris, non vero testari, l. Tamis 25. ff. de donat. causa mortis. *Quarto* demum professus de licentia superioris donat librum dum viuit, ergo & post mortem.

63 Resp. Ad primum, iura non solum prohibere testamenti factionem, sed etiam quoslibet alios actus includentes vitium proprietatis, vt est donatio siue inter viuos, siue ex causa mortis. *Ad secundum*, textus ille loquitur absolute de quouis non potente testari, siue impediatur naturaliter, siue positiue, vt colligitur ex verbis textus, quæ sunt hæc: *Tam is, qui testamemtum facit, quã qui non facit, mortis causa donare potest.* Supponit enim legislator, potentem testari, volentem, vel nolentem, posse nihhilominus donare causa mortis impeditum vero testari, esse quoque impeditum donare, vt bene dicit Glos. his verbis: *Si autem de iure non posset testari, nec donare causa mortis potest*, & hoc probat arg. l. Diuus Seuerus §. pende iure codicill. Vbi quod codicillos face-

64 re possunt, qui possunt testari, vnde è contra qui non potest testari, nec dona-

65 re. *Ad tertium* est responsio, quod tamen non sunt connexæ, quando non militat eadem ratio, sed diuersa, in casu autem nostro eadem est ratio prohibens

bens testamentum, & donationem causa mortis, ne scilicet exerceat pactum proprietatis; quod suadetur per l.1. ff. de tutela, & ration. distrah. vbi pupillo negatur donatio causa mortis, quia eidem negatur factio testamenti, ea communi ratione, quia non habet liberam administrationem suorum bonorum,
66 ex quo sine tutore agere non potest. *Ad quartum* dico aliud est donare librum de licentia superioris oretenus facta, & sine solemnitate iuris, aliud vti solemnitate formali ad condendam donationem; hoc enim fundatur in iure, quod professis vetat donationes; illud vero in facto superioris valentis consentire in donationem.

Quæres 28. An superior teneatur seruare promissum factum suo subdito, quod post eius mortem donabit habitum e.g. religioso à se nominato? Procedit, siue donauerit solemniter secundum Sanchez, siue ex simplici promissione superioris. Dixi cap.19. num.19.

67 Resp. Tenetur superior stare promissis, quia promissio valida omnino seruanda est à promittente, cum seipsum ea sponsione obligauerit, promissio
68 enim acceptata includit essentialiter obligationem executionis, cap.1. ibi: *Pacta seruentur*, cap.3. *Ea, quæ promittuntur, opere compleantur*, de pactis, Nauar. conf.6. de pactis, vbi num.3. ait, procedere etiam in nuda promissione, *Glos.5. in promissis, cap. Relatum 9. de prebend.* Ita tenent *Rodriq. tom.3. quest.29. art.9. cum alijs Sanch. lib.7. cap.8. nu.* 17. obligatione tantum naturali ait iste, sed etiam ciuili infra cap.19. q.9.

Dices, sicut nulla est obligatio inter dominum, & seruum, *l. Interpositas 13. C. de transact. l. Cum affirmes 8. l. Post certi 36. C. de liberal. caus.* Ita nec inter superiorem, & professum. Valet enim consequentia à seruo ad religiosum, vt docet Euer. loco 58. Neuter enim est sui iuris sed sub alterius potestate constitutus.

69 Resp. Illos textus loqui de obligatione ciuili, quam leges negant inter dominum, & seruum, admitentes obligationem naturalem, quæ solo consensu perficitur, vt expresse dicitur *l. Naturaliter 13. ff. de cond. indeb.* Ergo & hæc remanet in superiore erga subditum, & eo magis, quia dando licentiam promisit seruare ea quæ in schedula, vel donatione exhibuit alteri post mortem. hac enim ratione cessit viri suo, ac proinde tenetur tradere rem promissam à
70 subdito, non absolute, sed reuocabiliter. Immo in hoc videtur etiam obligatus ciuiliter stante pacto, ita quod cogi potest à suo superiore exequi quod promisit facere, vt dicit *Peyrin. de Prælato quest.3. cap.5. num.9. Portellus 5. Pactum num.3. Donatus par.2. tract.12. q.11.*

Quæres 29. An religiosus possit codicillos facere, licet non possit testari?

71 Resp. Negatiue, quia qui non potest testari, nec codicillari, ex iuribus citatis supra num.5. Ita Petrus de Bellapertica *in Authent. Ingressi quest. fin. Albericus ibidem num.31. Odofred. num.10. Signor. num.35. Nauar. com.2. de Regul. num.43. & 44. Sanch. lib.7. cap.8. num.9.*

Quæres 30. An professus possit reuocare testamentum a se factum ante professionem?

72 Resp. Nullo modo potest professus reuocare suum testamentum, siue sit professus in religione incapaci, siue capaci, siue velit reuocare in fauorem propinquorum, seu monasterij, aut extraneorum.

Prima pars respectu religionis incapacis probatur, quia professione ita firma-

matum fuit,ſicut per mortem conſolidatur factum omnino irreuocabile, vt probaui ſupra queſt.11.ſub n.32.Confirmatur,quia iam aquiſitum eſt ius heredi teſtamentario. Ita *Gozadin.conſ.41. num.6. Mandellus vol.4. conſ.712. Sanch.lib.7.cap.11.num.1.*

73 Secunda pars reſpectu capacis firmatur eadem ratione, quia per profeſſionem teſtamentum fit omnino irreuocabile, ergo mutari non poteſt. Confirmatur,quia ille ſolus poteſt reuocare teſtamentum, qui poteſt illud facere,

74 eadem enim poteſtas requiritur in deſtruendo, quæ in faciendo, l.Heredes palam,§ ſi quid poſt ff. de teſtam.l.Sicut proponit 7. fine,C.de nuptijs. Sed profeſſus non poteſt facere teſtamentum, ex hactenus probatis, ergo nec fa-

75 ctum reuocare *Deinde*,magis videtur facere contra votum paupertatis,qui teſtamentum reuocat,quam qui illud facit, nam per factionem teſtamenti teſtator abdicat à ſe proprium,per illius vero reuocationem ad ſe attrahit bona,ergo magis facit contra votum reuocans, quam faciens. Eſt communis,*Molina diſp.140.Acor.to.1.lib.12.cap,6.queſt.5.Rodr.tom.3.queſt.16.art.3. & queſt.69.art.7.cum ſuo Compend.reſol.130.num.3.Sanch.lib.7.cap.11.num.5. Portellus 5.Teſtamentum num.2.de Lugo diſp.3.de Iuſt.num.120.Pelliz.tract.3. in Manuali cap.4.num.57.& tract.4.cap.2.num.207.* Qui omnes concludunt, iam profeſſum non poſſe Caſſare teſtamentum nec in totum,nec in partem, augeri, nec minui, cum omnes iſti actus tamquam proprietatis ſint religioſis interdicti.

Non deſunt opinantes, profeſſum poſſe reuocare ſuum teſtamentum,quia ſicut donatio inter coniuges firmatur morte ciuili deportationis,non tamen adimitur marito facultas reuocandi illam; ita & teſtamentum licet ſit firmatum profeſsione, quæ eſt mors ciuilis, non ideo ei aufertur poteſtas illud reuocandi.

Sed eſt diſpar ratio, nam deportatus reſtitui poteſt in priſtinum ſtatum, non ſic religioſus, cuius mors ciuilis eſt perpetua,cum profeſsio ſequatur profeſſum vſque ad mortem. Præterea deportato non preſtat vitium proprietatis,ſicut profeſſo.

Alij dicunt, quod profeſſus poteſt reuocare teſtamentum in fauorem filiorum, aut monaſterij,fundantur in Auth.Si qua mulier, vbi conceditur patri in fauorem filiorum teſtari,ſi ante profeſsionem nihil diſpoſuit pro illis, ergo poteſt reuocare teſtamenrum fauore filiorum, ſeu monaſterij, quod habetur loco filij.

76 Reſpondetur, in ea Auth.non concedi factionem teſtamenti, nec eius reuocationem, ſed tantum poſſe ſuam ſubſtantiam diuidere inter filios, & monaſterium,vt dicam ſuo loco. Vide Sanchez lib.7. cap.11. vbi rem fuſe tractat, & vtrunque opinionem vocat probabilem ob multitudinem Doctorum; ſed ego in eis exiguam, & fere nullam video probabilitatem,cum certum ſit apud Theologos,& veritatem, actum reuocationis teſtamenti eſſe proprietarium

77 profeſſis interdictum, & rationes ab illis adductas eſſe inſufficientes,& non probare intentum ab eis. Et in hoc magis credendum eſt Theologis, quam legiſtis,qui minus inſtructi ſunt ſuper obſeruantijs regularibus.

Quæres 31.An ſaltem monaſterium poſsit illud reuocare?

78 Reſp. Negatiue,quia cum profeſſus nullum ius intulerit in monaſterium, hoc nullam facultatem aquiſiuit circa bona ſubiecta teſtamento, ergo non poteſt

potest reuocare testamentum, super quo nullum ius aquisiuit. *Confirmatur*; quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur sed testamentum non nascitur per monasterium, ergo nec per illud dissolui potest. Demum ius quesitum est vocatis in eo, ergo est factum irreuocabile. Ita *ex Angelo Sanch. lib. 7. cap. 11. num. 12.*

Quæres 32. An Notarius factus religiosus possit complere, & perficere testamenta?

79 Resp. Prohibetur exercere hoc officium rogandi instrumenta, & testamenta, si tamen rogatus ea scribat, valide agit. Testamenta vero, quæ in seculo non perfecit, potest complere, & signare de licentia sui superioris, & copias exhibere interesse habentibus.

Primum de rogitu prohibetur Clericis cap. sicut 8. Ne cler. vel mon. à fortiori religiosis, qui magis debent negotia huius seculi abhorrere. Ita omnes *cum Angelo, & Siluestro 5. Tabellio, Peyrin. de Prælato quest. 3. cap. 5. num. 18. Sanch. lib. 6. cap. 13. num. 46. Barbosa ad dictum cap. num. 4. & de iure eccles. lib. 1. cap. 43. num. 47.* In causis fidei, clericus, & religiosus hoc munere fungi possint *ex cap. Vt officium inquisitionis §. Verum quia, de hæret. in 6.*

80 Secundum, quod valeant, non obstante prohibitione, probatur. Tum quia prohibitio est simplex sine decreto irritante, multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, cap. Ad Apostolicam 16. de regular. Tum quia æquitas videtur suadere scripta à Notario debere valere, & non nocere partibus, quæ non sunt in culpa. Ita Lauretus de Franchis *quest. 104. ibidem Pasqual. num. 8. Peyrin. de Prælato quest. 3. cap. 5. num. 18. Barbosa num. 48. Sanch. lib. 6. cap. 13. num. 48. Castropal. lib. 4. tract. 16. disp. 4. de voto obedient. p. 12. §. 4. num. 6.* Si tamen accedat expressa superioris prohibitio, instrumenta ab eo confectæ

81 sunt nulla, quia talis prohibitio, ne dicatur frustratoria, cum sufficienter lex interdixerit, dicitur efficax, & imitatoria, vt dicunt Canonistæ super dictum cap. & docent de religioso *Sanchez, & Layman lib. 4. tract. 5. cap. 11. num. 4. Castropal. num. 6.*

82 Tertium de testamentis imperfectis perficiendis probatur, quia prohibitus facere non prohibetur reficere, *arg. l. Domum 62. ff. de reg. iur.* nam principium

83 ponens, totum supplere tenetur, *Glos. V. compellantur cap. Publicato 58. de elect.* & principiata finienda sunt, *arg. cap. 1. 31. q. 2.* Vbi: *Quod ceptum est perficere voluerit*. Cum ergo finis necessariam habeat relationem ad principium, necesse est, quod inchoatum perficiatur, *l. 3. §. Seio, ff. de minor.* Sed Notarius in seculo initiũ dedit instrumento, seu testamento ergo illud perficere debet. Ita *Rodr. to. 3. q. 8. art. fin. Couar. practic. q. cap. 18. nu. 8. §. Monachus, Nauar. to. 2. nu. 42. Angelus V. Tabellio num. 4. Sanchez lib. 6. cap. 13. num. 49. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 5. num. 18. Barbosa de iure eccles. lib. 1. cap. 43. num. 48. Pasqualig. ad Franchum q. 104. num. 6.* Et sicut potest perficere, ita & copiam extrahere, & signare prohabente interesse.

Quartum, quod necessaria sit licentia superioris constat, quia religiosus in his actibus pecunia æstimabilibus debet dependere à suo superiore, ne incurrat vitium proprietatis. Ita omnes cum Sanchez num. 50.

84 Notat Rodriq. in summa *par. 4. cap. 58. concl. 10. num. 4. ex illo Portellus V. Notarius num. 4.* Notarium religiosum effectum conueniri posse coram iudice laico, vt reddat rationem scripturarum, quas confecit. Et in iudicio

O dan-

dandam esse fidem illius scripturis, quas scripserat, dum erat in seculo, *docet Valascus apud Compend. Rodriq. resol.* 100. *num.* 2. Impugnat illud primum Sanchez *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 51. quia iudex laicus non habet iurisdictionem in religiosum, & hoc est certum; conueniendus ergo est, vel coram ordinario, vel conseruatore, aut superiore regulari.

Quæres 33. An religiosus possit declarare suum testamentum!

85 Resp. Potest, quia declarare non est de nouo disponere, sed iam dispositum obscure, manifestare, non autem aliquid de nouo ponere, quod alias non esset positum; id colligitur ex l. Heredes palam 21. §. si quid post ff. de testam. Quia, vt dicitur ibidem, *Nihil nunc dat, sed datum significat*. Et vt scribitur *in l. Adeo* 7. §. *Cum quis ff. de aquir. rer. dom.* legem, seu testamentum interpretans se habet sicut excutiens spicas, qui rem nouam non facit, sed eam, quæ iam erat detegit. manifestat enim nunc testator per suam interpretationem, quod fecerat obscurre in condendo suum testamentum. Ita omnes *cum Rodriq. tom.* 2. *Summæ cap.* 32. *num.* 2. *& tom.* 3. *q.* 69. *art.* 3. *cum suo Compend. resol.* 135. *num.* 3. *Vecchius disp.* 8. *dub.* 12. *num.* 2. *Peyrin. de Prelato qu.* 3. *cap.* 1. *num.* 209 *Sanch. lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 16. *Portellus* 5. *Nouitius* 45. *&* 5. *Testamentum num.* 2. *Diana par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 75. *Pelliz. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 207.

87 Cum autem obiectum declarationis sit res dubia, & non clara, testator mentem suam declaratus non debet recedere à significatione verborum, & clara reddere dubia, quia id non esset, interpretari sed disponere aliter quam testatus fuit, quod facere non potest.

Quæres 34. An quando in testamento sibi reseruauit expressionem pauperum, & piorum operum faciendam post emissam professionem, id dicatur noua dispositio? An vero pura, & mera declaratio? Ac proinde possit nominare pauperes, quibus danda est elemosina &c.

88 Resp. Est mera declaratio, quam proinde facere potest, quia initio reuera vtrunque disposuit, & tempore declarationis pauperes, & opera designat, ac determinat, quod est executio mentis testatoris, & non factio testamenti. Ita *Sanchez lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 19. *de Lugo disp.* 3. *de Inst. num.* 120.

Quæres 35. An in huiusmodi declaratione testamenti dubij, & nominatione pauperum, & piorum operum necessaria sit licentia superioris?

89 Resp. Negatiue, quia hic nullus exercetur actus proprietatis, qui debeat iustificari per licentiam superioris, nec violatur votum paupertatis, cum sit actus intellectus superiori non præiudicans.

Quæres 36. An dicta hactenus de religiosis locum habeant in monialibus, quæ non possunt testari, nec testamentum reuocare, sed solum declarare propriam mentem?

90 Resp. Affirmatiue, quia eodem paupertatis voto subduntur, quo iuri ligantur ergo idem ius facit pro vtrisque. Et quod Abbatissa non possit testari habetur c. 2. de testam. à fortiori monialis, quæ nullam habet administrationem. Ita docent *Decius in cap. In præsentia, de probat. n.* 78. *Tambur. de monial. disp.* 4. *q.* 13. *n.* 4. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 2. *Pellizar. de Monial. cap.* 4. *n.* 24. *&* 25. *Rota par.* 6. *decis.* 121. *nu.* 11.

Quæres 37. An professus in testamento alieno possit esse tutor, & Curator?

91 Pro cuius intelligentia notatur triplex tutela Testamentaria, Legitima, & Datiua, quæ dantur fœminis pupillis vsque ad duodecimum, & masculis vsque

92 ad

92 ad decimum quartum completos,à quibus annis liberi incipiunt dici minores vsque ad annum 25.completum,& eorum habens curam appellatur Curator; cuius cura sicut tutela est triplex eisdem nominibus dicta. Testamentaria autem dicitur illa,quæ scribitur in testamento,nominando personam,quæ tutelam debet habere de pupillis heredibus. Si tutor præteritus fuit in testamento à lege assignatur proximior,qui venit ab intestato, & dicitur legitima, quia á lege suam trahit originem. Demum datiua est illa,quæ datur à iudice, quando nullus fuit nominatus in testamento,& nulli extant consanguinei capaces huius officij. *Angelus V.Tutela,& ibi Siluester Sanch.lib.6.cap.11.n.21.*

93 Resp. Religiosus nullius tutelam, quæcumque ea sit, suscipere potest, cum id sit prohibitum vtroque iure, *Auth. de sanct.episc.§.Deo autem amabiles Col. 9.& c.fin.dist.86.*nisi causa pietatis;sed nec in hoc casu admittuntur,quia cum religiosi nihil proprij habeant, non possunt exercere huiusmodi officia, quæ supponunt bona propria in curatoribus obligata pro bonis pupillorum, & minorum,ne pereant, & distrahantur, in quo casu succedunt bona ipsorum. Hæc ergo est ratio, cur religiosi ab his arceantur. Ita docent *Sanch.lib.6.cap. 14.à n.21.ad 27.Peyrin.de Prælato q.3.cap.5.n.24.Barb.lib.1.de iure eccl.cap.43. n.57.* Quod verum est etiam de licentia suorum superiorum, qui uis subditis eam dare non possunt,etiam ad fauorem suorum consanguineorum,quia non possunt obligare bona sui monasterij,vt bene notat Sanchez cit. num.26.

Quæres 38. An religiosus possit esse executor testamenti,in quo nominatur à testatore?

94 Resp. Potest de licentia sui superioris,*ex cap. fin.de testam. in 6.* Et in hoc subditur Episcopo,vti tenetur reddere rationem de executione,& delinquens ab eo puniri potest,priuilegijs sui ordinis non obstantibus. Expresse Clem.de testam. Et sic docent *Molina tom.1.disp.247.fine,Tambur.tom.1.disp.15.q.7.nu. 23.Barb.Alleg.82.num.14.Castropal.disp.4.de Voto religione obedient.p.13.§.1. num.7.* Contra Ricardum, & alios cum Rodriq. tom. 3. q. 70.art. 5.asserentes religiosum exemptum quo ad punitionem ratione rei, aut delicti, non esse in hoc si delinquat, subiectum Episcopo;sed gratis asseritur,cum Clementina absolute loquatur contra religiosos quoscunq.exemptos,vt derogans eorum priuilegijs, vt probat *Sanchez lib.6. cap.11. num. 22. Homob. in examine tract.15. cap.8. q.29.q.Megal.consil.40. cum multis alijs citatis à Cespedes Dub. 255.* vbi hæc opinio fulcitur *ex cap. Tua nobis,de testam.* qui Dub.411. probat Episcopos non posse procedere contra regulares delinquentes in hoc officio, & hanc suam opinionem dicit probabiliorem, secutus Angelum, Siluestrum, Vegam,Tabienam,& alios, ea ratione, quia Clementina non loquitur de omnibus religiosis exemptis,sed solum de illis,qui possunt conueniri coram ordinario ratione rei,aut contractus,non autem de alijs,qui absolute sunt exempti respectu quorumcunq. vt sunt omnes nunc religiosi. Sed hæc ratio non sub-

95 sistit, nam Clemens IV. in Compendio priuileg. V. Exemptio num. 8, & Benedictus XI. ibidem num.14. licet hoc priuilegium, vt ratione rei, delicti, aut contractus non possent conueniri coram ordinario concesserint,tamen censetur derogatum per Clementinam, aliter frustatoria esset, quia etiam tunc omnes religiosi hoc modo erant exempti.

96 Licentia autem debet peti, & obtineri antequam acceptetur executio testamentaria,siue ad pias causas,siue ad profanas,vt docent præcitati cum Le-

zana par.1. cap.9. num. 9. id enim expresse dicitur in textu Clementinæ.

97 Gesta autem per religiosum executorem sine licentia etiam non petita valent. Ita *Rolandus conf.24.num.82. Peyrinus de Prælato quæst.3.cap.5.num.23. Castropal.disp.4.p.13.§.1.num.8. Sanch.lib.6.cap.11.num.44. cum alijs Barbosa lib.1.de iure eccles.cap.43.num.65.*

Contrarium, quod scilicet, gesta à religioso sine licentia sint inualida tenent plerique *cum Rodriq.tom.3.quæst.70.art.1. Molina disput.247. cum alijs à Barbosa ibidem relatis,* ducti ratione accepta ab illis verbis, *Non possit*, quæ important nullitatem actus attentati. Sed reuera ita non est, quia cum sit
98 ambigua modo refertur ad licitatem, & honestatem actus, modo ad illius valorem, vt docet Diana par.10.tract.12.resol.7. Et in terminis nostris supracitati. Et hoc verius est, quia licentia hæc magis respicit licentiatum, quam actum ipsum, ex quo religiosus suam voluntatem habet subiectam, & obligatam suo superiori, licentia ergo refertur ad licitam executionem, non ad validandum actum.

99 Quilibet autem superior, etiam localis potest dare hanc licentiam, nam verba textus *à superiore suo*, maxime adaptantur locali, qui suus, & immedia-
100 tus superior dicitur, & ipse melius scit, an religiosus executor electus sit idoneus ad munus electum, quam superiores maiores, qui continue non conuersantur cum subdito, sicut inferior. Ita docent *Sanch.lib.6.cap.11.num.15. Barb.lib.1.de iure eccles. cap.43. num.67.* Superior electus à testatore alia li-
101 centia non eget, quia sicut licentiat alios, ita seipsum licentiare potest. Ita *Rodriq.tom.3.quæst.70.art.1. Molina disp.247.col.pen. Barbosa ad Clem. num. 6.* Superior potest negare hanc licentiam, & congruenter, quia huiusmodi
102 executiones sunt potius nociuæ ex accidenti, quam proficuæ, concessam tamen, re iam cepta, non potest reuocare, quia facit iniuriam vocatis in testamento, quorum interesse dicitur esse in mora, Sanch.cit.num.13. qui num. 11. dixerat sufficere licentiam tacitam. Sed responsum habet difficultatem, quia Clementina dicit, quod religiosus debet petere licentiam, quæ peti non potest nisi expressis verbis, ergo responsio debet esse expressa, & sic licentia talis, & non tacita. Respondetur, petitioni expressæ non semper correspondere responsum expressum, quia superior potest tacere, & expresse non negare illam, ac proinde presumitur tacite consentire, & licentiare.

Quæres 39. An Fratres Minores possint esse executores testamentarij? Nomine Fratrum Minorum veniunt militantes sub prima Regula S. Francisci, vt Conuentuales, Obseruantes, & Capucini.

103 Res. Fratres Minores Obseruātes, & Capucini licentiari non possunt à suis superioribus ad executionem testamenti, in quo sunt nominati executores; vtiq; vero ad nominandum, & eligendum pauperes, & ad dandum consilium super executione testamenti, non tamen ad faciendam actualem distributionem ipsis pauperibus à se elect. Cæteri vero Franciscani tum Conuentuales, tum Tertiarij de licentia suorum superiorum vtrunq. facere possunt.

Prima pars de Obseruantibus, & Capucinis est expressa in Clem. Exiui, de verb.signif. §. Proinde cum vir sanctus, vbi reddit rationem, quia dicti ordinis Fratres non solum à receptione, proprietate, dominio, siue vsu ipsius pecuniæ, verum etiam à contrectatione qualibet ipsius debent esse alieni; & pro nulla re temporali in iudicio experiri possunt, & cum hæc sæpius absque admini-

stra-

ſtratione pecuniæ,& litigio experiri nequeant, ſequatur eos omnino arcendos eſſe ab huiuſmodi munere, quod directe aduerſatur eorum Regulæ Ita ex dicta *Clem.Sanch.lib.6.cap.11.num.24.Barb.ibidem num.24.& lib.1.de iure eccleſ. cap.43.num.70.* Qui licet loquantur de ſolis obſeruantibus tamen idem dicendum eſt de Capucinis,qui militant ſub eadem Regula in rigore Obſeruantiæ, & ita docet Baſſæus V. Teſtamentum num. 13.

104 Secunda pars de electione,& de conſilio dando patet ex eo,quod iſti actus non dicuntur executorij pecuniæ diſtribuendæ. Et quo ad conſilium dandum conceditur illis extremis verbis §. *Proinde cum vir Sanctus* ea ratione, quia per hoc nulla iuriſdictio, diſpenſatio, aut actio illis tribuitur in bonis temporalibus,quæ poſſit abeſſe eorum Regulæ. Ita *Gloſ. V. Religioſus cap. fin. de teſtam.in 6. Sanch.lib.6.cap.11.num.32.Rodriq.tom.3.q.70.art.2.cum ſuo Compend. reſol.135.num.18.Vecchius diſp.8.dub.13.nu.2.& 2.Gratian.cap.123.n.25.Baſſæus V. Teſtamentum num.14. Barb.ad Clem.num.25.& lib.1.de iure eccleſ.cap. 43. num.71.* Vbi plures alios citat. Aſſerentes præterea Obſeruantes, & Capucinos deſcribi poſſe in teſtamento,vt ipſi eligant executores teſtamentarios, quamuis ipſi non poſſint eſſe tales. Hæc autem tria, eligendi pauperes, dandi conſilium,& nominandi executores,vt licite agere poſſint, indigent licentia ſui ſuperioris.

105 Tertia pars de Conuentualibus,& Tertiarijs probatur, quia eſto illi militent ſub prima Regula habent tamen priuilegia,quæ mitigant rigorem Regulæ ac proinde ſupradictæ rationes illis non obſtant, dum non ſubſtant huic rigori; Tertiarij vero cum non militent ſub ea prima Regula, ſed ſub propria Nicolai IV.quæ id non prohibet,iure communi cap.fin.de teſtam.in 6. & Clem.eod.poſſunt eſſe executores teſtamentarij iuxta dicta in precedenti queſtione.

Quæres 40.An religioſus poſſit eſſe executor tam in cauſis profanis, quam in pijs?

106 Reſp. In vtriſque quia textus loquitur indiſtincte, & generaliter *in vltima voluntate*, qualis non minus eſt profana,quam pia; cum ergo lex non diſtinguat, neque nos diſtinguere debemus. Confirmatur, quia eſt valde pium exequi mentem teſtatoris, quæ omnibus modis ſeruanda eſt, ex cap.4. 13.queſt.2. Ita alijs citatis *Sanchez lib.6.cap.11.num.8.Baſſæus 5.teſtamentum num.13.Lezana par.1.cap.9.num.9.*

Quæres 41.An religioſus de Obſeruantia, ſeu Capucinus poſſit eſſe Commiſſarius,ſi non executor teſtamenti? Differt alter ab altero, nam Commiſ-
107 ſarij officium eſt declarare qualis fuerit mens teſtatoris. Executoris vero munus eſt contrectare pecunias,& res vendendo, diſtribuendo, & comparere in iudicio,quando opus eſt.

108 Reſp. Poſſe quia rationes adductæ ſub queſt.39.non faciunt contra Commiſſarium. Confirmatur,quia per conſilium ſuum, & declarationem mentis teſtatoris non diſtrahitur à rebus ſpiritualibus, ergo id munus exercere poteſt. Ita Matienzo apud Sanchez lib.6.cap.11.num.47.& 48.tenentem eſſe probabilius oppoſitum, quia Clementinæ mens fuit abſtrahære Fratres minores à negotijs ſecularibus. Sed hæc ratio non conuincit, quia dum Clem. prohibuit executionem reſpexit ad contrectationem pecuniæ, ſine qua poteſt Commiſſarius exequi ſuum munus conſulendi, quod contingit ſine pecuniæ ne-

negotio; vnde ipsemet Sanchez hac ratione vtitur num.32. pro electione pauperum,& num.41.pro nominatione executorum, faciendis à Minoribus, ergo idem dicere deberet de Commissario, cum eadem sit ratio, vt congruus
109 sit discursus. Nec verum est,id esse negotium seculare, sed potius opus misericordiæ, & pium, cum referatur ad executionem mentis testatoris.

Quæres 42.An religiosus factus testamenti executor,possit seipsum,& monasterium inter pauperes connumerare,& suam recipere portionem?
110 Resp. Potest,si ordinis sit Mendicantium. Probatur. Tum quia vere est pauper. Tum quia non debet esse peioris conditionis alijs pauperibus,ex eo, quod factus est executor, si enim non esset executor, sine dubio posset eligi.
111 Tum quia adest distinctio inter dantem,& accipientem,cum ipsemet executor in quantum distribuit representet personam testatoris,*ex l. Vnum ex familia §.Si de falcidia ff.de leg.2.* & in quantum recipit spectatur vt pauper. Vnde Matienzo *lib.5.Recapilat.tit.8.l.3.Glos.5. num.2.& 5.*dicit, quod executor non
112 potest eligere filium spurium ipsius testatoris, quia pater suo filio spurio nihil dare potest, ergo nec executor, qui representat personam illius patris in dando elemosinam. Ita alijs citatis *Sanch.lib.6.cap.11.num.54.Castropal. disp. 4.de voto obed.p.13. §.1.nn.15.* quia cam applicat monasterio quo ad proprietatem,retinendo sibi vtilitatem. Quod vero possit eligere pro paupere suum monasterium patet;& quia venit nomine pauperum;& quia lata est distinctio personalis inter vtrunq. Ita *Rodriq.to.3.q.70.art.4.cum suo Compend.resol.135. n.19.Sanch.lib.cit.num.59.Pasqual.q.228.*

Quæres 43.An monasterium ipsum loco religiosi in testamento nominati, possit exercere officium Executoris, Consiliarij, Commissarij &c.
113 Resp.Negatiue,quia censetur electa industria personæ,cui magis confidit testator,quam alijs. Ita *Sanch.lib.6.cap.11.num.21. Castrop. disp.4. de Voto obed.p.13.§.1.6.*

Quæres 44.An superior debeat credere suo subdito asserenti pecuniam, quam habet apud se esse alienam, ac proinde reddendam esse domino suo?
114 Resp.Quando in extremis laborans dicit oretenus, vel in carta suæ expropriationis scripsit se habere apud se tot pecunias nominando personam creditricem,omnino ei credendum est in foro conscientiæ,non enim est verisimile,quod in puncto mortis sit immemor propriæ conscientiæ. In foro externo non tenetur credere,vnde creditori incumbit probatio. Ita plerique *cum Sanchez lib.7.cap.9.num.38.de Lugo disp.3.de Iust.sect.6.num.122.*

Quæres 45.Religiosus moribundus se declarat habere obligationem celebrandi tot missas,an superior teneatur celebrare facere eas missas?
115 Resp.Superior procurare tenetur celebrationem illarum missarum, non solum si extat pecunia,quia certum est illam esse obligatam sed etiam si fuerit confusa cum pecunia reperta apud illum religiosum,vel ab ipso distracta, aut expensa,vnde cum transierit in vsum illius,tenetur superior satisfacere ex bonis apud ipsum repertis. Si nihil repertum fuit apud defunctum,monasterium ad nihil tenetur,quia cum nullum comodum senserit, iustitia non patitur,vt sentiat incomodum.

Quæres 46. An professione testatoris vel instituti rumpatur testamentum contra substitutum? Quæstio hæc plures casus importare potest.*Primo*,an si pater post substitutionem pupillarem profitendo in religione capaci, euanescat

scat

fcat fubftitutio? *Secundo* An inftitutus cumonere, quod fi decedat fine liberis, det hereditatem tertio fubftituto, fi profeffionem emittat in religione capaci, euanefcat fubftitutio, & bona fint monafterij exclufo fubftituto? *Tertio*, an pro feffione excludatur fubftitutum, quando fubftitutio non fuit conditionalis, fed abfoluta?

116 Ad primum refpondetur, euanefcere illam pupillarem fubftitutionem, quia vt illa fuum fortiatur effectum, neceffe eft, quod tempore mortis patris filij fint fub eius poteftate, vt dicitur *l. Coheredi* 41. §. *cum filio ff. de vulgar. l. Quod fi filius* 11. *ff. de Captiuis*, *& poftlim. vbi Glof. V. Exinde*. Certum autem eft, pa-

117 trem profeffione definere habere filios fub fua poteftate, *Rodriq. tom.* 2. *q.* 77. *art.* 6. *Megal. l.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. *Barb. ad cap. Per venerabilem* 13. *qui filij fint legit*. Et ita tenent *Acofta & Couar. apud Sanchez lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 44. contra Anchar. & Florianum quos erraffe ait Couar. Idem Sanch. num. 45. ait, adhuc euanefcere, licet pater dixiffet in fuo teftamento, quod voluiffet valere à die profeffionis fuæ, ex quo lex requirit mortem naturalem in patre habente fub fua poteftate filios. Procedunt dicta refpectu ordinis capacis, refpectu vero incapacis fuccedunt, qui de iure inteftati debent fuccedere.

118 Ad fecundum refpondetur, monafterium fuccedere in bonis grauatis profeffi, & excludi fubftitutum, expreffe *Auth. de fanct. Epifcopis*, §. *Sed & hoc*, *non longe à fine Auth. Nifi rogati C. ad Senatus confult. Trebel. & cap. In præfentia* 8. *de probat*. Cuius decifionis duplex affertur ratio, vna eft, quia ea conditio, *fi fine filijs*, tamquam turpis, & contraria caftitati, & iuræ contemplatiuæ, habetur pro non fcripta; altera eft, quia Monafterium habetur loco filij, vt late tradit Tiraquel. *in l. fi vnquam V. fufceperit C. de reuoc. donat. num.* 42. Vnde teftator in hoc cafu præfumitur diligere monafterium ficut inftitutum, & ficut prætulit filios inftituti fubftituto, ita voluit præferre monafterium. Ita *Rota par.* 3. *decif.* 357. *Magiftrali in hac re*, de hac re fufe *Sanch. lib.* 7. *cap.* 16. *Barbof. ad hoc cap. In præfentia* 8. *de probat* vbi refert ampliationes: & limitationes, quas non piget referre.

119 Procedit primo in foro confcientię contra quofdam afserentes monafterium poft mortem profeffi debere bona tradere fubftituto; fed errant ifti, quia lex vti iufta non intendit lædere quemquam, fed vnicuique dare quod fuum eft. Ita fere omnes cum *Sanchez lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 1. *Barbofa hic num.* 2.

120 Procedit 2. in bigamo profeffo, licet non difpenfato, quia difpenfatio non eft necefsaria ad profitendum, fed ad ordines fufcipiendos, eft enim aptus ad ingrefsum, vt docui *cap.* 3. *de profeff. queft.* 21. *num.* 70. & ad profeffionem *cap.* 18. *num.* 64. Ita *Sanch. lib.* 7 *cap.* 16. *num.* 64.

121 Procedit 3. licet profefsus fit apoftata, *ex Bald. Felino fuper dictum cap. cum alijs Barb. hic*, *& appellat.* 99. *num.* 126. quia ipfo iure conuentus aquifiuit ea bona intuitu profeffionis, non bonitatis vitę profeffi.

122 Procedit 4. etiam in ordinato in facris, modo ea bona det ecclefię vel expendat in pia opera poft mortem fuam, ex allegatis ab eodem Barbofa. Deducitur exprefse ex dicta Auth. ibi: *Monafteria ingrediantur, aut clerici*.

123 Procedit 4. licet teftor vtatur, fimilibus verbis inftituendo, vel fubftituendo filios veros, & naturaliter genitos. Si fine liberis naturalibus, aut legitimis, aut mafculis, aut ex fuo corpore natis: Adhuc fubftitutus excluditur, & admittitur monafterium ob rationes adductas, dum in hoc cafu monafte-

rium

rium fictione iuris recipit omnes denominationes, quas habet filius verus ? Hæc est sententia commnnior Canonistarum, *quos citat Sanch.lib.7. cap.16. num.52.*

124 Excluditur primo conuentus,& substitutus succedit,si est filius testatoris quia certum est,quod pater magis diligit filium, quam monasterium. Ita *Sanchez lib.7.cap.16.num.39.Barb.num.4.& appell.99.num.*142.Contra quosdam.

125 Excleditur secundo,si testator substituerit aliquem de sua familia cum expressione quod vult, ea bona perpetuo in familia conseruari, quia monasterium non est capax conseruandi,& multiplicandi agnationem, cum generare non possit,nec filius in eo habere possit filios legitimos *Rota par.4.tom.2. decis.*438.*num.*33. Ita omnes *cum Sanch.num.44.Barb.num.5.Rota par.3.decis.* 118.4.*& Pey..7.decis.*135.*num.*17.

126 Excluditur 3,monasterium, in quod probatur ingressus grauatus animo defraudandi substitutum,fraus enim,& dolus nemini debet patrocinari in damnum tertij, Ita *Glos.in 5.locum Auth.Nisi rogati,C.ad Trebell.vbi omnes, Rodriq.tom.2.quest.75.art.5.Sanch.lib.7 cap.16.num.54.& seq.* quomodo probetur fraus.

127 Excluditur 4.quando grauatus probatur ingressus blanditijs, & suasionibus religiosorum,quia tunc monasterium nihil consequetur,cap. constituit 2. quest.3.Ita alijs citatis *Sanch.num.62.Barbos.num.7.*

128 Excluditur 5.si grauatus ante professionem testetur ad fauorem extranei,remanebunt tamen bona in monasterio vsq.ad mortem naturalem profes. si. *Sanch.num.47.& 49.Barb.num.8.*

129 Excluditur 5.si testator sic dicat. Si absque liberis decessero substituo Titium,quia ipsemet substitutus videtur institutus. Ita *omnes cum Sanch. num. 66.Barbos.num.10.*

130 Excluditur 6. quando testator adiecit contractum onerosum locum enim habet solum in vltimis voluntatibus,& contractibus gratiosis, *Sanch. num.69. Barb.num.11.*

131 Excluditur 7.si testator instituat filium in sacris constitutum ,vel professum,substituendo ei tertium,si decedat sine filijs,clare enim patet velle excludere ecclesiam,dum memor est status vtriusque *Sanch.num. 73 .Barbos.nu. 12.*

132 Excluditur 8.monasterium in capax, & a die professionis instituti admittitur institutus. *Sanch.num.13.Barbos.num.13.*

133 Excluditur 9. quando Nouitius non profecit,aut mortuus est ante professionem. Ita omnes cum *Sanch.num.26.Barbos.num.15.*

134 Excluditur 10.conuentus, dum repudiat, quia non vult esse heres, nec haberi pro filio. *Sanchez lib.7. cap. 16. num.24. Barbos. hic num.14.* Vnde facta repudiatione statim admittitur substitutus non expectata morte professi.

135 Excluditur 11. monasterium, quando substituta fuit causa pia,vt expresse dicitur in eadem *Auth.de santis.Episcop.§.sed hoc*, in fine his verbis: *Si tamen in redemptionem captiuorum,aut egentium alimenta sub prædictis conditionibus substitutio,aut restitutio fiat,ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus.* Quæ verba repetuntur *in Auth. Nisi Rogati,sub leg.6. ff.ad senatus cons.Trebell.*Et ita tenent plusquam quinquaginta Doctores quos pro se citat *Sanchez lib.7.cap.16.num.34. Barbosa super dictum cap.In presentia nu.*24. Non

est

est dubium hoc verificari etiam in ecclesia, seu monasterio quouis capaci, vt excludat aliud monasterium siue ditius, seu pauperius, vt docent omnes præcitati, ita quod monasterium professi non potest impedire monasterium substitutum ne vtatur hoc priuilegio, iuxta illud axioma, quod priuilegiatus non vtitur priuilegio contra aliud priuilegiatum. Subiungit autem Sanchez, quod monasterium habebit bona vsque ad mortem naturalem professi instituti post cuius mortem ea bona restituenda sunt monasterio substituto.

136 Tertia pars, quod excludatur monasterium, & substituto debeantur bona, quando substitutio est absoluta sine conditione probatur ex oppositis rationibus, nam monasterium tunc non habet rationem filij, nec agitur de procreatione filiorum, ergo nulla ratione monasterium potest excludere substitutum. Ita omnes *cum Fusario quest. 429. num. 89. Sanchez cap. 16. num. 89. Barbosa num. 9. Rota magistralis 357. supra citata ex par. 3. Recent.*

CAPVT IX.

De dispositione bonorum inter parentes, & Filios causa ingressus religionis.

1 *Parentis nomine veniunt omnes ascendentes.*
2 *Parens tenetur prouidere filijs de iure naturæ*
3 *Testari non potest factus professus.*
4 *Diuisio bonorum non est testamentum.*
5 *Actio oritur ex testamento, non ex diuisione*
6 *Auth.* Si qua mulier
7 *Ingressus nomine venit professio.*
8 *Authentica declaratur vsq. ad num. 23.*
9 *Pluralitas comprehendit vnitates.*
24 *Legitima quid? An debita iure naturæ.*
25 *Debetur solum post mortem naturalem inter existentes in sæculo 33.*
26 *Fil ius non habet ius ad legitimam, nisi post mortem patris.*
27 *Ascendentes, & descendentes æquiparantur in legitima.*
28 *A die professionis debetur legitima existenti in seculo.*
29 Recte *idest secundum regulas iuris.*
30 *Diuisio bonorum supponit communione m inter partes.*
31 Debeatur *imperatiuum importans executionem.*
32 *Filij debeat r e præsentare personam patris magis, quam monasterium.*
33 *Legitima filio debetur post mortem patris 25. 37.*
34 *Auth.* Ingressi, & *Auth.* Si qua mulier *quomodo comparentur ad inuicem*, 30.
35 *Filij sucessio potior, quam monasterij.*
36 Auth. Si qua mulier *non est proprie priuilegium.*
37 *Iura de legitima disponunt inter laicos.*
38 *Quæ bona pater professione trans ferat in monasterium.*
39 *Vsufructus sequitur personam vsq. ad mortem.*
40 *Causa productiua potest esse diuersa à conseruatiua.*
41 *Filio professo pater non dat legitimam nisi post mortem.*
42 *Patre mortuo monasterium petit legitimam professi.*
43 *Non vero si filius professus præmoriatur patri.*
44 *Filius professus statim dat parenti legitimam.*
45 *Libri quando transeunt cum filio professo.*
46 *Partem facit professus cum suis fratribus, si non renuntiauit.*
47 *Religiosus non est peioris conditionis.*
48 *Preteritus rumpit testamentum paternum.*
49 *Succedere valens potest testamentum rumpere.*
50 *Statum excludit fæminam etiam fauore professi.*
51 *Frater professus non desinit esse frater, cum non perdat iura Sanguinis.*
52 Agnationem *etiam professus conseruat, licet non producat.*
53 *Agnationem mulier non potest conseruare sicut masculus.*

54 T.

54 *Pater potest instituere filium in bonis, quæ renuntiauit.*
55 *Monasterium succedit in bonis spurij.*
56 *Ingratitudo aboletur professione*
57 *Monasterium habetur loco filij.*
58 *Spurius succedit in bonis maternis quæ transfert in monasterium.*
59 *Non succedit patri de iure ciuili, tamen iure Canonico*
60 *Eidem debentur alimenta, & professus succedit vti legitimatus.*
61 *Pater tenetur facere expensas, & dotare filias ingredientes.*
62 *Matri debetur legitima à filio à die professionis.*

1 Parens est generis communis, & dicitur à pariendo, & dando esse filijs, & licet proprie dicatur de patre, & matre, à quibus proxime originem trahunt, tamen ex vsu etiam legum extenditur vocabulum ad omnes cognatos, & ascendentes per paternam, seu maternam cognationem, vsque ad tritauum, nam vltra appellantur maiores, parentes ergo nostri dicuntur omnes illi, à quibus descendimus vsq. ad tritauos tertiam generationem, & colligitur ex l. 4. ff. de in ius voc. vbi Glosa.

Quæres primo, quid agere debeat parens religionem ingressurus?

2 Resp. Debet prouidere filijs suis, quod si infra annum probationis id non fecit, non potest professus testari nec ad fauorem filiorum sed debet bona diuidere inter eos ad formam *Auth. Si qua mulier C. de sacrof. eccles. relatæ cap. Si qua mulier q. 19. quæst. 3.* approbatæ per Gregorium Magnum in sua Epistola ad Ianuarium Carolitanum Episcopum.

Prima pars, quod pater debeat prouidere filijs suis de alimentis, maxime quando indigent, a natura ipsa suadetur; quæ docet, procreationem, & educationem filiorum complectere etiam eorum sustentationem in vita, vt exigit amor, & pietas parentum in filios, iuxta tradita à S. Thoma 2. 2. q. 101.

3 Secunda pars, quod parens, qui testatus non fuit tempore nouitiatus, non possit facta professione de suis bonis disponere titulo testamenti, probatur, quia eisdem legibus tenetur parens, quibus constringuntur cæteri professi, qui nulla ratione possunt testari, ergo nec parens professus. Ita *Rodriq. tom. 2. Summæ cap. 32. nu. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 82. cum alijs Sanchez lib. 7. cap. 9. num. 10.*

Dices, ex dicta Auth. pater potest diuidere bona filijs suis, quod in re nihil aliud est, quam testari. Probatur, quia quælibet bonorum dispositio per modum quotæ, & vniuersitatis dicitur in dubio testamentum, *ex l. quoties C. famil. Ercifcundæ, & l. Hereditatem C. de Codicill.* Sed diuisio præscripta in dicta Auth. est eiusmodi, ergo est testamentum; Et pro hac opinione Sanchez plures citat. num. 9.

4 Resp. Eam dispositionem non posse dici testamentum, sed simplicem diuisionem a lege parenti concessam, quæ statui religioso non repugnat, experientia enim constet, iudicem, & alios distribuere aliena bona inter proprietarios, & distributores non habere proprietatem, nec dominium rerum distributarum.
5 Adde quod testamentum differt a diuisione, nam ex illo oritur actio, non autem ex diuisione, l. Diuisionis placitum 46. ff. de pactis. Deinde testamentum arguit proprietatem bonorum in testatore, diuisio vero nequaquam. Præterea lex ista defert honorem parenti professo, vt filij recognoscant illum, &

& pietatem monasterij, quod de iure sibi aquisierat illa bona, vnde pars remanet apud Monasterium.

6 *Tertia pars præsefert Auth. his verbis;* Si qua mulier aut *vir liberis non extantibus monasticam vitam elegerit, & Monasterium intrauerit, monasterio, quod intrauerit res eius competere iubemus. Sed si persona liberos habens? antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima nulli diminuta; & quod eis non dederit, monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filijs connumerata, partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet. Sed si post ingressum monasterij moriatur antequam inter eos diuidat, filij legitimam percipient reliqua substantia monasterio competente.* Non nulla circa hanc autenticam sunt inspicienda.

7 Primo, nomine intrationis, & ingressus importatur professio, & non receptio habitus pro primo anno probationis, vt colligitur ex Glos. 5. Intrauerit, non animo scilicet orandi, sed manendi ibi perpetuo. Parens ergo Nouitius nõ comprehenditur sub hac Auth. quia potest more aliorum nouitiorũ, disponere, sed iam professus diuidere debet iuxta illius formam, & non aliter.

8 Secundo, hæc Authentica non habet locum in monasterio in capaci bonorum, vnde professione per parentem emissa, filij succedunt immediate in bonis paternis, ac si pater esset naturaliter mortuus. Ita omnes cum *Sanchez lib. 7. cap. 9. num. 2. Castropal. disp. 3. de Voto obed. p. 13. num. 1. Less. lib. 2. cap. 41. num. 86.*

9 Tertio, diuisio locum habet, licet parens professus vnicum habeat filium, non obstante, quod Auth. loquatur pluraliter, quia non est sine liberis, cui
10 vnus filius, vel filia est *l. 148. ff. de reg. iur.* pluralitas enim constat vnitatibus, ac proinde continet in se singularitatem; & quandoq; pluralitas resoluitur in singularitatem *Glos. V. Et perpetuo, cap. 2. de reser.* Ita Nauar. *to. 2. Com. 2. de Regular. num. 47 Rodriq. tom. 2. quest. 80. art. 2. Sanchez lib. 7. cap. 9. nu. 12. Barbos. hic num. 7. Castropal. disp. 3. p. 13. num. 5.*

11 Quarto, nomine liberorum, & filiorum veniunt masculi, & feminæ non solum legitimi, sed etiam legitimati non alij, quibus successio interdicitur. Ita *Iason hic num. 45. Nauar. num. 47. Sanchez num. 17. Rodriq. quest. 80. §. Notandum, Castropal. num. 6.*

12 Quinto, nomine liberorum veniunt etiam nepotes, & alij descendentes, *ex l. Liberorum 220. ff. de verb. signif.* Ita Sanchez *num. 13. Castrapal. num. 6. Barbosa hic num. 9.*

13 Sexto, deficientibus descendentibus Authentica locum habet etiam in ascẽdentibus ex paritate rationis, quia ascendentes non sunt minus heredes necessarij, quam descendentes, l. Nam & si parentibus ff. de inoff. testam. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 9. num. 19.* citans pro se plusquam 40. Doctores *Rodriq. cit. §. Ponderandum.*

Contra quosdam excludentes ascendentes, quia monasterium habetur loco filij, vnde cum non desint descendentes, quod est monasterium, excluduntur ascendentes. Sed hæc ratio non sustinetur, nisi in casibus à iure expressis.

14 Septimo, filius professus erga ascendentes non potest vti hoc priuilegio diuisionis, quia Authentica expresse loquitur de parente, quo nomine filius venire non potest. Ita *Suarez tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 16. num. 7. Sanch. lib. 7. cap. 9. num. 20. Castropal. disp. 3. p. 13. num. 9.*

15 Octauo, non solum pater, sed etiam mater professa facere potest hanc diuisionem, quia textus expresse loquitur de vtrisque sic enim incipit: *Si qua mulier, aut vir monasticam elegerit vitam*.i. fecerit professionem. Deinde vero ne eadem verba repetat vtitur nomine *persona*, quæ vtrunque comprehendit. Ita omnes præcitati.

16 Nono, hæc diuisio facienda est à parente.i. patre, seu matre, sine licentia superioris, quia iam habet à iure potestatem diuidendi. Ita *Gusier lib.2.Canon. cap.1.num.96.Sanch.lib.7.cap.9.num.3*. Ex vrbanitate, & reuerentia debita Superiori petatur.

17 Decimo, professus diuidet inter filios legitima sine vlla diminutione, vt dicitur in textu. Quod si omnia vult diuidere inter illos, connumerabit etiam monasterium, cuius debet esse pars æqualis, ac si esset filius diuidentis, & sic in hoc casu Monasterium est loco filij, dum cum illis suam recipit legitimam. Vnde opinio eorum qui dicunt, non extantibus descendentibus loco eorum venire Monasterium, & sic excludere ascendentes, non est improbabilis, quam supra §. Contra, retulimus, respondentes cum Sanchez Monasterium non haberi loco filij, quia textus si non loquitur, sed tantum dicit: *Sed si omnem substantiam inter eos diuidere voluerit sua persona filijs connumerata partem sibi retineat, quæ Monasterio competere debet*. Vbi patet, Monasterium non connumerari, sed parentem, qui partem sibi retinet, intellige quo ad vsum quo ad proprietatem remanet in bonis monasterij.

18 Vndecimo, si parens totam substantiam diuidat inter filios æqualibus portionibus, pars, quæ obuenit monasterio debet esse æqualis alijs partibus. Quod si partitio est inequalis pars danda Monasterio debet esse æqualis maiori parti. Ita *Glos.V.Personas, & V.connumerata, eiusdem Auth.* cum Doctoribus allegatis *à Sanch.lib.7.cap.9.num.26.Suarez tom.3.lib.7.de Relig.cap.16.num.5. Barbosa hic num.16*. Sed quis preferendus est in receptione partium? Minor ætate. Et Monasterium debet esse vltimum, quia est extraneus heres, filij vero intranei, & necessarij.

19 Duodecimo, parens non potest diuidendo assignare filijs tutorem, quia illos amplius non habet sub sua potestate, ex æquitate potest. Ita *Sanchez lib. 7.cap.9.num.37.*

20 Decimo tertio, parens præter hanc diuisionem alio modo de bonis disponere non potest, sufficit enim, quod hoc modo prouideat filiorum indigentijs, cum amplius non sit dominus bonorum, sicut erat ante professionem, vnde lex ista illi concedit hanc administrationem bonorum fauore filiorum. Ita *Nauar.tom.2.num.45.Less.lib.2.cap.41 Sanchez num.11 Castropal. disp.3.p.13. num.4.*

21 Decimo quinto, si parens professus moriatur ante diuisionem, omnia sunt monasterij, præter legitimam, quæ filijs danda est. Ita expresse Auth. *Nauar. num.50.Sanch.num.39.Barbosa ad cap.Si qua 9.19.quest.3.num.8.* Magnum argumentum, quod monasterium haberi censetur loco filij, dum succedit in bona parentis professi, qui nullam fecit diuisionem. Dici potest, succedere monasterium, non vt filius, sed vigore Auth. *Ingressi*, per quam possessionē omnia dedicantur monasterio.

22 Decimo sexto, non potest parens peractam diuisionem reuocare, nec alterare, aut retractare, quia per diuisionem bona ipso iure aquiruntur filijs, &

pa-

parenti expirat facultas, cum iam functus sit officio. *Sanchez lib.7. cap.11. num.11.*

23 Decimo septimo, parens testamentum ante professionem factum reuocare non potest prætextu huius diuisionis, quia sicut professus testari non potest, ita nec reuocare testamentum, vt latius dixi in preced. capite. Tum quia in tantum conceditur parenti á lege diuisio, in quantum ante professionem non disposuerat, ergo si disposuit per viam testamenti, vel alio modo, sufficienter prouidit domui suæ, & sic cessat diuisio, & reuocatio testamenti. Ita Sanchez lib.7.cap.11.num.5.contra quamplures ab eo ibidem citatos, qui nullo nituntur solido fundamento.

Quæres 2. An pater dum viuit in religione teneatur statim post professionem tradere legitimam filijs suis morte naturali non spectata? Difficultas locum non habet respectu monasterij incapacis, quia cum in illud bona professi non transeant cum professo, statim aquiruntur ijs, quibus de iure competunt, vt omnes fatentur, nullo contradicente. Remanet ergo difficultas respectu monasterij capacis. Est autem quæstio valde controuersa, & celebris propter leges, & canones sibi inuicem aduersantes, vt volunt Doctores existentes quamplurimi pro vtraque parte, asserentes Legistæ deberi legitimam solum post mortem naturalem professi, Canonistæ vero deberi statim ac peracta est professio. Ita fuse *Sanchez lib.7.cap.10.per totum, Castropal.disp.3.p.14. Barbosa ad cap. cum simus.14. de Regular.* Qui rationes, & Doctores recensent pro vtraq. parte. Antequam concludam.

24 Præmitto, legitimam esse tertiam partem bonorum omnium; quando filij non excedunt numerum quaternarium, aliter est dimidia pars assis.i. totius hereditatis. Expresse Auth. *Nouissima, post leg.6. C.de inoffic.testam. Surd.lib.3. consf.341. num.30. Pereg.de fideicom.art.29.num.47.* Ea autem nullum recipit grauamen, sed quodcunque excludit, *l. Quoniam 32. l.scimus 36. C.de in off.testam.* Est autem debita filijs á parentibus, & his ab illis iure naturæ in quantum respicit necessaria alimenta, aliter quo ad quotam, taxationem, & respectu non indigentium est de iure positiuo, Duranus apud Sperellum decis.32. num.4. decisio Durani habetur extensa per Rubeum par.5.tom.1.decis.62. ex qua inspectione diuisiua possunt reconciliari contrariæ opiniones dicentium legitimam de iure naturæ esse debitam ab ascendentibus descendentibus, non è contra, quorum opiniones videre potes apud dictum Sperellum, & Gratianum cap.448. His præmissis.

25 Resp. Legitima extra casum ingressus religionis debetur solum post mortem naturalem inter ascendentes, & descendentes; in casu vero religionis ingressus debetur statim ac quis est professus in religione capaci bonorum.

Prima pars extra casum religionis probatur per *l.1. §.si impuberi ff. de Collat.bonor.l.Lex Cornelia 28.ff.de vulgar.& pupill.substit.l.scimus 36. C.de inofic.*

26 *testam.* Quia filius ante mortem patris nullum habet ius in legitima viuente patre, cui solum debetur post mortem. Ita omnes *cum Merlino de legit.lib.5.tit.3.quest.1.cum alijs Paulus Rubeus ad decis.29.par.8.Recent.num.24.Sanch. lib.7.cap.10.num.2.M.Anton.lib.2.resol.54.num.6.* Et quod dicitur de vno

27 intelligitur de alio, quia in hoc æquiparantur, nam in petitione legitimę inter ascendentes, & descendentes militat eadem ratio, secundum omnes *cum Surdo lib.3.consil.388.num.17.& 22.Gabriel.lib.1.consf.101.num.9. Molina de* pri-

primog.lib.2.cap.15.num.16.Gargiar.lib.1.consf.95.num.3. Quod si pater sit capite damnatus, filius habet ius, & actionem ad legitimam à puncto confiscationis bonorum. *Rota par.1.Colect.à Farinac.decis.479.nu.4.* Vnde illius mors non est expectanda.

28 Secunda pars, quod à die professionis debeatur à professo legitima manenti in seculo, ac proinde e.g. à patre professo filio existenti in seculo, probatur *primo* ex cap. Cum simus 14. de Regulár. *Et bona paterna, quæ ipsi ex successione prouenient postulare.* Hæc autem non postularet filius à patre professo, si actionem non haberet, ergo filio legitima paterna debetur statim post professionem. *Secundo* ex cap. Si qua mulier 9.19. quest. 3. vbi parenti professo, qui antea non prouidit, præscribitur diuisio facienda filijs, quod signum est euidens, bona filiorum, & maxime legitimam non transire in monasterium, ergo eis debetur à die professionis. *Tertio*, ex Auth. de Monachis §. Si quis autem, Vers. *Si vero filios habuerit, si quidem contigerit iam eum res aliquas donasse eis, aut per antenuptialem donationem, aut per dotis occasionem contulisse, & faciunt hac quartam ab intestato eius substantiæ, nullum in reliquis rebus habeant participium filij; sint autem nihil eis donauerit, aut minus quarta, post quam ab renuntians conuersatus fuerit inter monachos, nihilominus quarta debeatur filijs, aut supplementum, si contigit, eos iam aliquid accepisse.* Nihil clarius dici potest, illis verbis: *Nihilominus quarta pars debeatur filijs*, scilicet statim post professionem, quod insinuant illa verba: *Postquam abrenuntians conuersatus fuerit inter monachos* .i. professionem emiserit, nam abrenuntiare idem est, quod profiteri, & id supponitur, tum ex titulo de Monachis, quo veniunt professi, tum ex V. Ingredientibus, relato ad professionem, quæ in iure ciuili appellatur Ingressus & Auth. Ingressi. *Quarto*, ex contraria opinione sequitur magnum inconueniens, & incommodum monasterio, si hoc cum sit in possessione omnium professi bonorum debeat alimenta prestare filijs suis professi, vt reuera tenetur, & quod sit inconueniens patet, quia religiosi non debent se occupare in cura laicorum, dum mundo abrenuntiarunt, vnde sacri canones prohibent eis etiam leuare de fonte baptiza tos, à fortio ri habere curam prestandi eis alimenta; incommodum quoque hoc illis est, quia quandoque monasterium ex proprijs bonis deberet filios alere, si legitima non sufficeret, & sic sua obligaret bona. *Quinto*, professus nulla habet bona, sed omnia transtulit in monasterium, vt notum est, frustratorium ergo est, quod filij expectent mortem naturalem patris professi, dum illis non potest augere patrimonium. *Sexto* demum, ratio fundamentalis, per quam professione bona aquiruntur monasterio est sola lex Authenticæ *Ingressi*, quæ certe non comprehendit legitimam, quæ cum sit debita filijs iure naturæ, non includitur in Auth. hac, cum ius positiuum nō possit destruere ius naturę.

Hanc opinionem vti probabiliorem sequuntur Canonistæ, & alij, quos numero circa octoginta recenset pro se Sanchez *lib.7.cap.10. num.3. & sequitur Rota Romana par.5.tom.1.decis.116.223.267.&* 306. in quibus monasterium S. Pauli Barnabitarum Mediolani, coactus fuit tribuere legitimam D. Paulæ matris duorum eius filiorum ibidem professorum, quas decisiones extendit Donatus Antonius Marinus lib. 1. Resol. Quotid. cap. 253. & sic illud caput de legitima danda matri statim post professionem filiorum, absoluit solo calamo materiali.

Ca-

Castropalaus, qui sequitur contrariam opinionem disp.3. de oblig. relig. p. 14. respondet num.4. præfatis argumentis. Et etiam Gratiani cap. 102.

Ad primum fundatum in cap. *Cum simus*, dicit, ex illo textu non colligi, illum filium petijsse legitimam viuente patre, sed potius eo mortuo, non enim legitima petitur ex successione, nisi patre defuncto; cum ergo eam petat ex successione, supponitur pater mortuus, hoc enim modo nullus petit legitimam, nisi mortuo patre vt notat Glos. in cap. 1. 18. q. 1. & firmat ex illis verbis. *Et bona paterna, quæ ipsi recte ex successione proueniunt postulata*, obser-
29 uando illud aduerbium *Recte.i.* secundum regulas iuris quæ scilicet non admittunt filium ad legitimam ex successione, nisi mortuo patre. Verisimiliter præsumitur mortuus, quia erat leprosus, & ex eo etiam quia si vixisset eo tempore quo filius petebat legitimam, non ausus fuisset exire à religione, ob timorem patris.

30 Contra est, quia cum non constet de eius morte, presumitur viuere, mors enim probanda est *l. fin. C. de sacrosanct. eccles. Sanch. lib. 2. disp. 46. §. num. 1. Vnde, Marc. Anton. lib. 1. resol. fin. casu 65.* posita ergo ea presumptione, filius petebat suam legitimam. Quod autem esset pater eius leprosus non dicitur in textu, nec præsumitur, quia leprosi repelluntur à religione, *ex Donato par. 4. Rerum Regul. tract. 3. q. 25.* non est verisimile, lepra infectum fuisse recepturos, ergo cum illum receperint, erat sanus. Illud aduerbium *Recte* in textu non exprimitur, ergo ab eo, quod extra textum est non est desumenda ratio definiendi difficultatem. Ad illa verba, *bona paterna, quæ ipsi ex successione proueniunt*. Respondetur verbum *successionis* non tantum referri ad mortem naturalem, sed etiam ad ciuilem patris, per religiosam professionem, & in casu nostro ob eius indifferētiā rationabilius est, quod referatur ad mortem magis ciuilem, quam ad naturalem, cum supponatur pater viuere ex textu verborum, iuxta superius dicta, quia mors non præsumitur, sicut vita.

Assignat deinde disparitatem, quare detur ratio successionis respectu conuentus incapacis, non vero respectu capacis, quod nos negamus, esse eam, quia prioris datur successio, ne bona maneant suspensa, & absque domino, secus vbi Monasterium est capax, quod succedit in bona professi. Ego autem dico, in hoc non differre, quia nec Monasterium capax succedit in bonis debitis filijs, sed tantum in portione professi patris, cui ideo prescribitur diuisio facienda inter filios, & monasterium, hoc indicans, quod omnia bona non transierunt in proprietatem, & dominium monasterij.

Ad secundum argumentum de diuisione ex Auth. dicit. ex illa diuisione potius colligi monasterio bona competere, & non filijs quibus facta diuisione conceduntur. Neq. obstat in hac diuisione monasterium aliquo modo præiudicari bonis aquisitis illud priuando, quia id fit ex indulgentia, & priuilegio à iure concesso parenti in fauorem filiorum.

Contra est, quia ea diuisio arguit solum partim bonorum transisse in monasterium, & partim in filios, dum ipsa diuisio vtrunque respicit, neque enim datur diuisio sine aliqua communione bonorum inter partes, quibus fit, l. Familiæ 9. C. Communia vtriusque &c. Non competunt ergo omnia bona monasterio ex illa diuisione, quæ sit causa, vt deinde monasterium det aliquam portionem filijs. Res enim potius è contra se habet, diuisionem tribuere monasterio portionem dependenter à filijs, nam in gratiam locum

ema-

emanauit Auth. quæ est quædam exceptio, & limitatio prioris Auth. *Ingressi*, vnde Glos. Auth. *Si qua mulier* dicit, patre filios non habente, seruandam esse Auth. *Ingressi*, est scilicet omnia eius bona transeunt in monasterium; habente vero, seruandam esse Auth. *Si qua mulier* vt scilicet non transeant in monasterium bona filijs debita, ex quibus patet responsio, per eam diuisionem non colligi omnia bona, non competere monasterio, & ab eo per diuisionem deriuare ad filios, aliter hæc Auth. non differret a priori. Deinde diuisio esset facienda á monasterio, non á patre professo, vt vult legislator, si ipsum monasterium haberet sub suo dominio omnia bona ingressi. Et sic tollitur obiectio, & eius responsio, nam nullum fit præiudicium monasterio, cum ex vi professionis pater intulerit monasterio solum portionem sibi debitam, & alia obuenerit filijs ab intestato de iure naturæ, cum sint necessarij heredes patris vt professi ex hoc mortui. Neque hæc facultas diuidendi dicitur priuilegium, quia per illud nulli legi derogatur, nam Auth. *Ingressi* non loquitur de omnibus ingredientibus, sed tantum de non habentibus filios, vt colligitur ex citata Glos.

Ad tertium respondet, legitimam filijs deberi solum post mortem, neque aliud velle Auth. de Monachis.

Contra est, quia ea Auth. clare loquitur, legitimam deberi filijs á professione patris, illis verbis *Postquam ab renuntians conuersus fuerit inter monachos, ni-*
31 *hilominus quarta debeatur filijs*. Vrget enim illud verbum *debeatur*, cum sit imperatiuum, & præsentis temporis inducens pro tunc executionem.

Ad quartum concedit, posse filios petere alimenta á monasterio, quod tenetur ea illis præbere, si non habent, vnde viuant; sed hæc obligatio non est ex natura, sicut in patre, sed ex bonis patris receptis oritur, & vltra ea obligatio extendi non potest ex Abbate, Siluestro, & Molina.

Contra est, quia filij petunt non solum alimenta, vt indigentes, sed quod suum est retentum iniuste á monasterio, in quod non omnia bona transierunt, sed tantum portio debita illi ex Auth. *Si qua mulier*. Non potest ergo monasterium bona filijs debita retinere sibi vsque ad mortem naturalem patris professi. Præcitati ab eo Abbas *in cap. In presentia, de probat. num. 77. & Silu. V. Religio 8. quest. 3.* nihil ad propositum, lege illos.

Ad quintum negat non dari successionem professi, nam esto in sua persona bona non habeat, habet tamen in monasterio, quod ipsum repræsentat. Alias religioso habenti maioratum, & fideicommissum succederet substitutus á die professionis contra superius dicta.

Contra est, quia sicut succedit monasterium representans professum quod non nego respectu suæ portionis, Ita á fortiori debent succedere filij quorum successio est naturalis, & necessaria, non legalis, sicut illa monasterij, & filij
32 magis debent in bonis representare personam patris, quam monasterium, cum sit extraneum, filij vero successores necessarij. Quod autem substitutus in maioratu succedat á puncto professionis excluso monasterio docet ipse Castropal. ibidem p. 4. §. 3. num. 3. de quare infra. Et hæc sufficiant.

Contraria opinio, quod legitima filijs non debeatur nisi post mortem naturalem patris professi in religione capaci, est multorum *apud Sanch. lib. 7. cap. 10. nu. 2. Barbosam ad cap. diem simus 14. de Regular. quam sequitur Castropal. disp. 3. p. 14.* putans eam veriorem in puncto iuris. Probatur autem *primo*

Q ex

ex Auth. Si quã mulier, in qua patri professo permittitur, bonã omnia inter filios diuidere legitima non diminuta, quam pater facere nullo iure cogitur, est enim priuilegium ipsi concessum in fauorem filiorum, quo vti potest, quando sibi placuerit, sed debet pater ad hanc bonorum diuisionem, seu translationem in filios retinere, vel monasterium eius nomine, ergo filij à die professionis non succedunt in bonis patris. *Secundo* iure statutum est legitimam filijs deberi post mortem naturalem patris, *l. 1. §. Impuberi ff. de collat. bon. l. Lex Cornelia ff. de vulgar. & pupill. subst.* Sed ab generali regula recedendum non est absq. manifesto textu, vel ratione, de quibus non constat. *Tertio*, iure firmatum est, omnia bona professi à die professionis aquiri monasterio capaci, de quibus antea non disposuerat, *ex cit. Authent. Si qua mulier. Auth. ingressi, item §. Si qua mulier Auth. de sanct. Episcop. Item Auth. de Monachis, §. Illud quidem, & cap. Quia ingredientibus*. Sed ab his iuribus legitima non est excepta, sed comprehensa, ibi: *Sed si post ingressum moriatur antequam inter eos diuidat, legitimam filij percipiant, reliqua substantia monasterio Competente*. Iudicatur ergo debere filios mortem patris expectare ad percipiendam legitimam. Hæc sunt argumenta huius opinionis, quæ eam faciunt probabilem, sed rigidam, & quasi contra pietatem filijs à patre debitam. Ideo illis est respondendum.

Ad primum argumentum respondetur, ex ea Auth. haberi, patrem habere debitum faciendi illam diuisionem, ne filij patiantur in legitima, vt sciant portionem sibi debitam de iure naturæ, ne Monasterium illam sibi vsurpet. Et hoc manifeste apparet ex tenore verborum textus, nam in prima eius parte filijs, non extantibus, omnia ipso iure statim transeunt in dominium, & possessionem Monasterij, & sic in hac parte non differt ab Auth. præcedenti, *Ingressi*, vt dicit ibi Glos. in reliquis vero partibus præscribitur diuisio bonorum, inter filios, & Monasterium, ergo debet esse par diuisio, vt sicut Monasterium fit dominus suæ portionis à puncto professionis, & diuisionis, ita filij in suum tunc succedant, quia non sunt minoris iuris, immo potioris, quam ipsum Monaste-
35 rium, quod succedit iure legali, illi vero iure naturali. Non est ergo priuile-
36 gium, sed ius positiuum fundatum in iure naturali, quod dictat legitimam esse dandam filijs. Nec illa verba *Liceat ei postea inter eos diuidere*, arguunt libertatem diuidendi, quasi non teneatur, sed indicant licitum vsum diuisionis sine violatione voti paupertatis, dum tenetur adhuc filijs prouidere, cum per professionem non se disobligauerit à pietate erga suos filios.

37 Ad secundum dico, allegata iura nihil disponere de patre professo, sed tantum de patre laico, ex quibus patet, filio deberi legitimam post mortem patris, & non ante. Vnde cum alia iura superius allata disponant in casu nostro legitimam esse debitam filijs tempore professionis, frustra allegantur illa iura tamquam communia vtrique casui.

Ad tertium, licet illa iura loquantur in casu nostro, non tamen sunt pro aduersarijs, cum ex illis aperte colligatur, legitimam filijs deberi a die professionis, vt ostendi supra sub num. 28. de Auth. De monachis, & sub num. 30. de Auth. Si qua mulier. Cuius verba: *Sed si post ingressum moriatur, antequam inter eos diuidat, legitimam filij percipiant, reliqua substantia monasterio competente*. Referunt factum, quod accidere potest ex incuria patris, qui neglexit diuisionem, & præscriptum Authenticæ violauit idcirco ex his verbis nihil iu-

ris

ris colligi potest, sed tantum supplementum eius, quod pater facere debuerat.

Quæres 3. Quænam bona pater transferat professione in Monasterium, & similiter filius, altera remanente in seculo?

38 Resp. Pater transfert omnia bona Castrensia, vel quasi castrensia, & profectitia, & vsumfructum aduentitiorum filiorum in Monasterium quousque ibi vixerit, quo mortuo, vsusfructus sequitur proprietatem filij, ea ratione, quia vsusfructus sequitur vsufructuarium vsque ad mortem naturalem, Instit. de Vsufr. §. I. Si patri 3. C. de vsufr. Ita communiter *Doctores cum Saac h. lib. 7. cap 13. num. 70. Castropal. disput. 3. p. 4. §. 1. num. 6. Barbosa ad cap. Si qua mulier numer. 14.*

39 Filius vero secum transfert bona castrensia, vel quasi castrensia, quo ad proprietatem, & vsumfructum, nihil profectitiorum, aduentitiorum vero solam proprietatem, remanente vsufructu apud patrem, post cuius mortem consolidatur cum proprietate Monasterij, vt patet ex mox dictis, Ratio prædictorum est, quia filius in bonis Castrensibus, vel quasi est dominus proprietatis, & vsufructus, ergo cum sit dominus perfectus secum dicitur transferre, si de illis non disposuit. Bonorum vero profectitiorum nullum habet dominium, ideò ea transire non possunt cum illo in Monasterium, quamuis eorum spem transferre possit, cum filius professus retineat iura suitatis, & sanguinis ad quęcunque bona paterna.

40 Bona vero aduentitia quo ad proprietatem secum transfert, quia ipsorum est dominus, non vero vsumfructum, qui non amittitur patri profitenti in religione relicto filio in seculo, neque aquiritur filio professo relicto patre in seculo, nam semper sequitur patrem ex quo ius ad illud aquisiuit, quando sub potestate sua habet filium, qua ratione non debet auferri per amissionem filij sub sua potestate. Ita fere omnes cum eadem Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 39. Patria ergo potestas est tantum causa aquirendi vsumfructum, non vero conseruandi illum in eodem patre amittente patriam potestatem professione; sicut ignis est causa productiua caloris in ligno non tamen illius conseruatiua, vt experientia docet.

Quęres 4. An pater viuens teneatur tradere legitimam filio statim ac professus est in ordine capaci?

41 Resp. Non debetur, nisi post mortem ex l. 1. §. Si impuberi ff. de collat. bonorum, & alijs allegatis supra sub num. 33. Ita *Decius in cap. In præsentia, de probat. num. 263. Iason in Auth. Si qua mulier num. 56. Sanchez lib. 7. cap. 10. nu. 12.* Vbi ex Tapia in Auth. Ingressi cap. 4. num. 1. dicit, tunc professo esse debitam legitimam è patre, quam illi deberetur existenti in seculo, vt si bona dissiparet.

Dices, in petitione legitimæ eadem militat ratio ex dictis supra sub num. 27. Sed à patre professo debetur filio, statim post professionem ex probatis nu. 28. ergo viceuersa à patre laico debetur filio professo à puncto professionis.

Resp. Esse disparem rationem, quia professus habet alimenta, & vnde viuat in religione ex vi professionis, non vero filius manens in seculo, cui ideò statim debetur legitima à patre professo.

Quæres 5. An mortuo parente, Monasterium nomine professi possit ab heredibus patris defuncti petere legitimam, & bona paterna, quæ sibi obuenissent in seculo ab intestato?

 42 Resp.

42 Resp. Affirmatiue,quia per professionem omnia pietatis, & sanguinis iura transtulit in Monasterium per Auth.*Ingressi*,dum se, & sua per professionem Deo dedicauit. Ita omnes cum Sanchez lib.7.cap.12. num. 5. Neque enim mors patris destruit iura suitatis, & sanguinis,sed ea confirmat, & facit obtinere suos effectus,qui erant in spe.

Quæres *6*. An Monasterio debeatur legitima,& cetera bona paterna, & similiter materna, quando filius professus præmoritur patri?

43 Resp. Negatiue,quia filius professus in Monasterium solam spem succedendi transtulit,quæ cum illo moriente ante parentes extinguitur.Ita *Glos.fin.cap. Vn.18.q.1.Felin.in cap. In præsentia de probat.cum alijs Sanch.lib.7.cap.12.nu.7. de Lugo disp.3.de Iust.num.92.*

Quæres *6*. An sicut dictum fuit sub q. 2. patrem professum debere tradere legitimam filijs post professionem,ita vice versa filius professione facta teneatur tradere eandem patri,quam habet in bonis filij?

44 Resp. Affirmatiue, quia æquiparantur ad inuicem,ita quod dictum de vno intelligatur etiam de alio. Ita Bertrandus *cons.221.Menchiaca de success.creat. lib.2.§. 20.nu.284. Tapia in Auth. Ingressi cap.4.fine,ex illis Sanch.li.7.cap. 10. num,10.*

Quæres *7*. An cum filio professo transeant libri à patre sibi empti?

45 Resp. Transeunt,quando censetur illos donare,vt præsumitur, nisi se declaret,noluisse donare,& tunc computantur in legitimo aliter non, vt alijs citatis docet *Merlin.decis.273.num.14.de Lugo disp.3.de iust.num.196.Gratia.cap. 231. à nu.18.ad 26.*ait tranfire in dominium filij,si doctoretur ante mortem patris, tangit *Sanch.lib.7.cap.13.num.36.& 46.* sed non resoluit. *In l.Filius 61.ff.de pet. tit.hered.*determinatur,quod pater expendens in honorem filij in dubio videtur expendere de bonis,quæ habebat pertinentibus ad filium. Et *in l.Qua pater Si ff.famil.Ercisc.*Expensę, quas pater fecit pro filio in studio, non debent filio imputari tempore diuisionis, nisi animo repetendi fecisse patrem constet

Quæres 8.An professus filius cum alijs numeretur in legitimæ distributione?

46 Resp. Professus in ordine capaci,qui illi non renuntiauit ante professionem facit partem cum alijs suis fratribus,ac si adhuc viueret in seculo,vt colligitur ex Auth.*Si qua mulier*,vbi professus sua iura transfert in Monastrium,ac proinde ius ad legitima, consequenter numerandus est inter suos fratres in diuisione bonorum paternorum. Confirmatur, quia factus religiosus non est peioris,immo potioris conditionis,ergo non est exclusus à legitima,cum sit de iure naturæ debita.

Quæres *9*. An filius professus à patre præteritus in suo testamento rumpat conditum testamentum?

48 Resp. Affirmatiue, quia transtulit omnia iura suitatis, & sanguinis in religionem capacem,*ex l.fin.C.de Episcop.Sanch.lib.7.cap.12.num.5.* Confirmatur, quia qui potest succedere,potest etiam remouere testamētum,& è contra,qui non potest succedere,nec rumpere *l.Suus heres C.de repud.hered.* Sed monasterium capax potest succedere,non incapax,vt patet;ergò potest rumpere testamentum. Ita *Paulus,l.Si filius §. qui in poteste ff. de liber. & posth. Fortunius in l. Gallus,§.Et quid si cautum, ff.Si certum petatur, Sanch.lib.7.cap.12.num.10.*Et de incapaci *cap.3.num.84.*

Quæres 10.quando statutum excludit fœminas à successione parentum,

num-

numquid fœmina dicitur exclusa per professum masculum?

50 Resp. Affirmatiue respectu monasterij capacis, quando nullus extat masculus de agnatione præter professum, qui etiam excludit propriam matrem. Ratio est, quia cum sit fauorabile masculis, non excludit professos, qui professione non perdunt nomen fratris, nec iura sanguinis, sed sunt tales, qua-
51 les masculi seculares, vt docent citandi; immo professus licet non possit producere, & extendere agnationem, quia voluntarie se castrauit, vt Deo ca-
52 ste viueret tamen dum viuit dicitur in seipso conseruare agnationem, dum omnibus superstes viuit vt agnatus, dum nunquam amisit iura sanguinis, ex Rota citanda. Ita multis citatis *Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 86.* Rota in terminis *par. 4. tom. 2. decis. 438. quamplures citant sub num. 4.* in qua excluditur mater a successione filij cui successit patruus professus propter statutum Bononiense
53 excludens fœminas, quæ sine dubio agnationem conseruare non possunt, dum filij eius fiunt alterius agnationis, quam tamen conseruare post professus, licet non extendere, ad quod tamen aptus est, non fœmina, quæ agnationem non est apta producere, nisi alienam ex viro.

Quæres 11. An pater possit instituere filium professum non obstante renuntiatione ab eo illi facta etiam iurata?

54 Resp. Affirmatiue, quia renuntiatio facta intelligitur de successione ab intestato, non autem ex testamento, & nouo iure superueniente; vnde cum renuntiatio sit strictissimi iuris interpretanda est de abdicatione a bonis, quę obuenire poterant ab intestato, & non alio iure; & quando operatur aliquid, non est vlterius aliquid aliud quærendum, *Peregr. de fideicom. art. 52. num. 25.* & faciunt, quæ dixi cap. 7. num. 15. Itaque renuntiatione etiam iurata non obstante, professus potest acceptare, & monasterium pro eo bona alias renuntiata, quia pactum hoc limitatur ad bona ab Intestato. Ita *Bald. in l. Pactum dotali C. de collat. quest. 3. Aretin. conf. 93. col. 5. cum alijs Paulus Rubeus par. 4. tom. 3. decis. 525. num. 56.*

Quæres 12. An monasterium succedat in bonis paternis filij spurij in religione professi.

55 Resp. Affirmatiue, quia filius illegitimus professione legitimatur, sicut filius legitimatur, potest institui à parentibus, & ipsi succedere ab intestato, *ex l. Communium 9. C. de natur. liber.* sicut ergo filius legitimatur per oblationem curiæ principis, ita & oblatus religioni, quæ est curiæ principis cælestis, succedit fauore monasterij. Ita *Rodriq. tom. 1. quest. 13. art. 3. & 5. cum alijs Barb. hic num. 5. Riccius par. 3. resol. 586.* Contrarium docui cap. 18. de professione quest. 39. num. 73. Sed mutata opinione in potiorem, teneo quod sic respondi, quia oblatus religioni non debet esse deterioris conditionis illo, qui offertur curiæ Principis. Et licet aliquod ius expressum in terminis non reperiatur, tamen ex præfato bene deducitur. Et confirmatur, quia sicut illegitimus ex solutis procreatus legitimatur per subsequens matrimonium carnale cap. Tanta 6. Qui filij sint legit. Ita qui profitetur in religione est per professionem legitimatus, valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale. Pariter professione filius habilitatur, ne possit exhereditari à patre ex vitio ingratitudinis, *ex l. Deo nobis 4. C. de Episcop. & Cler. §. Hoc etiam, Auth. de sanctis. Episc. §. Nullam, & in nouella const. 115. sub num. 498.* quos textus retuli versatim *cap. 20. de profess. quest. 19. num. 42.* idem videtur à fortiori

di-

dicendum de illegitimo, qui sine culpa tale vitium incurrit, vt ex proprio ingratitudinis afficitur legitimus,& tamen professione abluitur,ergo E vide infra num.58.

Quæres 13. An Monasterium habeatur loco filij?

57 Resp.Monasterium habetur loco filij non vere, sed fictitie, ad consequendum aliquem effectum ex persona filij professi,dum enim profitetur rationem suæ filiationis transfert in monasterium quod ab ea forma dicitur denominari filius, ex quo ipse professus transfert professione omnia sua iura, si sunt transferibilia, in monasterium,quod aquirit omnia bona, & iura, quæ professus habebat,dum erat in seculo. Quod habeatur loco filij docent *Glos.in Auth. Nisi rogati C.ad Trebell.Gutier.lib.1.Canon.cap. 32. num.1.& 54. Mar. Anton. lib.2.resol.83.num.12.*loco filij,quia succedit nomine filij professi; *Merlin.decis. 62.num.26.& dec.776.num.10.& 11.Sperellus decis.153.* Vide *Sanch.lib. 7.cap. 16.num.3.& 4.*vbi de hac re. Mantica *de tacitis lib.13.tit.46.num.3. 7. & 11.* dicit monasterium haberi loco filij in vltimis voluntatibus non in contractibus.

Quæres 14.An monasterium succedat in bonis maternis filij professi in religione capaci?

58 Resp. Affirmatiue, quia spurius ipse est capax successionis maternæ ab intestato quam ex testamento, vt expresse dicitur *in l. Hac parte 2. l. S. Spurius 4.ff.Vnde cognat.instit.de success.cognat.§.Vulgo,l.Si qua illustris 5. C.ad S.C.Orfi-*

59 *cian*. ergo hoc ius transfert in religionem. Respectu vero patris, licet filius spurius nullum ius habeat ad bona paterna, cum iure ciuili arceatur etiam ab alimentis,expresse *Auth.Ex complexu sub leg.6.C.de incestis,& inutil.nupt.Farinac.quest.149. num.137.cum alijs Barb. ibidem num.* 10. Nihilominus vigore

60 professionis censetur habilitatus ad bona paterna,& ius ad illa transfert in religionem,vt dixi supra q. 12. ex quadam analogia deducta à filio naturali, qui per traditionem curiæ Principis legitimatur ex vi ipsius oblationis, ergo & spurius,qui non minus est capax professionis,quam naturalis,ergo vterque eadem iura transfert in religionem.

61 Vlterius pater volenti spurio ingredi religionem tenetur prouidere de omnibus necessarijs,& filiæ spuriæ tradere dotem,quia hæc spectant ad alimenta, quæ pater tenetur tradere spurijs, *ex cap.Cum haberet 5.de eo,qui duxit*. De dote tradenda filię spuriæ volenti nubere,*Couar.par.2.cad.8.§.6.num.11.Surd. consil.210cum alijs Barb.ad dictum cap.num.*10.Confirmatur,quia si professione censetur legitimatus ad successionem paternam, a fortiori tenetur pater ad prædicta, quæ magis vrgent eius obligationem.

Quæres 15. An legitima à filio professo debeatur matri ab ipso die professionis,an à die mortis naturalis.

62 Resp.A die professionis,vt probaui *ex num.*28.*Ita Glos. V.Paterna cap. cum simus,de regul.ibi Canon.Abbas in cap.In præsentia de probat.num.59. Couar. in cap.2.de testam.num.7.Fachin.lib.6.Castrouers.cap.13.Honded.lib.2.cons.50. nu. 19.cum alijs Barbosa lib.1.Voto 6.num.31.*

C A-

CAPVT X.

Quid Nouitius professione rransferat in monasterium vigore Authenticæ *Ingressi* ?

1 *Iustinianus Cæsar quo tempore edidit Auth. hanc ?*
2 *Refertur verbatim.*
3 *Cum al.a de Monachis.*
4 Ingressus *nomen significat professionem.*
5 Rerum *nomine quid veniat ?*
6 *Auth. prohibet testari.*
7 *Duæ sunt Auth. differentes, prima solutorum, secunda coniugatorum.*
8 *Non datur licentia disponendi, sed tantum admonentur.*
9 *Auth. loquentes de monasterijs capacibus bonorum fortunæ.*
10 *Auth. priuilegium est fauorabile Monasterijs.*
11 *Priuilegium concessum non subdito est irreuocabile.*
12 *Auth. dat ius accessorium in bonis professi, non hereditarium*
13 *Monasterium professione Nouitij statim aquirit dominium, & possessionem personæ, & rerum eius.*
14 *Ecclesia sine apprehensione fit domina rerum sibi relictarum.*
15 *Incorporatio bonorum professi quomodo fiat ?*
16 *Insinuatio non est necessaria in translatione bonorum Nouitij.*
17 *Nec auctoritas curatoris, nec decretum iudicis.*
18 *Mulier sine insinuatione omnia tradit marito.*
19 *Inuentarium non tenetur facere.*
20 *Repudiare potest bona Nouitiorum.*
21 *Transferuntur bona præsentia cum iure ad futura.*
22 *Iura, & actiones.*
23 *Iura facitatis, & sanguinis, cum sint immutabilia.*
24 *Dum viuit ipse professus, si moriatur euanescit omnis spes.*
25 *Succedendi in bonis professorum Monasterium habet ius.*
26 *Aquisita tempore Nouitiatus, cum professo transeunt.*
27 Clerici *nomine veniunt omnes non laici in fauorabilibus.*
28 *Ex vi professionis priuilegiatæ causa mortis nihil aquirit conuentus.*
29 *Vsusfructus transit cum professo.*
30 *Sequitur enim personam, vsq. ad mortem.*
31 *Vnde professum sequitur ad extraneū ordinem.*
32 *Ius est Monasterij, & commoditas professi.*
33 *Legatum annuum cum eo transit.*
34 *Peculium Castrense, & quasi, & proprietas aduentitionum transit.*
35 *Maioratus, & primogenitum transeunt ad* 40.
41 *Principiatus, Ducatus &c. non transit.*
42 *Feudum transit cum professo.*
43 *Non in quatuor casibus.*

44 *Em-*

1 IVstinianus catolicæ religionis benefactor ex Sorore Nepos Iustini Imperatoris designatus fuit Cæsar Calendis Aprilis anno Domini 526. ex Annalibus Baronij ad dictum annum. Multas fanciuit leges pro rebus, & personis ecclesiasticis, non propria auctoritate, sed tamquam executor sacrorum canonum, & illorum custos, vt dicit in Nouellis const. 3.6.123.133. & 137. quæ omnia fecit de consensu Episcoporũ, ex eodem Baronio, ad annum 528. & sequenti anno 529. suum Codicem ab eius nomine appellatum Iustinianum ex Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano collectum confirmat, & promulgat. Et nostram Auth. *Ingressi*, registratam in C. de sacros. eccles. sub leg. 12. excerptam ex Auth. de Monachis transmisit Epiphanio suæ vrbis regiæ Patriarchæ Constantinopolitano decimo quarto Calendas Aprilis anno Domini 535. tunc consule Belisario. Refero verba tam celebris Authenticæ, & valde religionibus proficua.

2 *Ingressi Monasteria ingressu, se, suaque dedicant Deo. Nec ergo de his testentur, vtpote nec domini rerum.* Paucis verbis constringitur, sed pregnantibus, & fæcundis. Modo subijciam textum ex quo sunt desumpta dicta verba ex Auth. de Monachis, sequentis tenoris.

3 *Illud*

3 *Illud quoque determinus, qui in monasterium introire voluerit, antequam monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quo voluerit modo. Ingredientem namque simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit; & non erit dominus earum vlterius vllo modo. Si vero filios habuerit, si quidem contigerit iam eum res aliquas donasse eis, aut per antenuptialem donationem, aut per dotis occasionem contulisse, & faciunt hæc quartam ab intestato eius substantiæ, nullum in reliquis rebus habeant participium filij. Si autem nihil eis donauerit, aut minus quarta, postquam abrenuntiant conuersatus fuerit inter monachos, nihilominus quarta debeatur filijs, aut supplementum, si contigit eos iam aliquid accepisse, aut etiam quatenus totum eis detur. Si autem vxorem habens, deinde eam reliquens in monasterium ingrediatur, & dos mulieri seruetur, & ex morte pactum, quod in alia nostra sancimus constitutione, omnibus, quæ super monachis de his dicta sunt, & in mulieribus in monasterium ingredientibus valituris.*

Non nulla sunt præmittenda pro explicatione verborum antequam deueniamus ad questiones.

4 Præmitto primo nomine ingressus, & introitus in religionem non venire primum ingressum, quo quis probat, & experitur, an sibi placeat vita regularis, is enim primus ingressus vocatur nouitiatus, & tempus probationis, qui regulariter est vnus annus, quo finito nouitius dicitur ingressu in religionem efficaciter, & irreuocabiliter per emissam professionem, nomine igitur ingressus venit professio, cum per eam vouendo obedientiam, castitatem, & paupertatem, quæ dicit abdicationem proprij, non sit amplius dominus rerum, quæ erant suæ, quia transierunt sub dominium monasterij, non autem primus ingressus, quia nouitius infra annum probationis est dominus rerum suarum. Et ita docet omnes *cum Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 12. Gutier. lib. 2. Canon. cap. 1. num. 20. Peregr. lib. 6. Variar. num. 69. Petrus Cenedus lib. 1. pract. quest. 6. num. 17. cum Barbosa ad Auth. Ingressi num. 3. ego cap. 11. de profess. num. 50. & cap. 18. initio Megal. l. 2. lib. 2. cap. 27. num. 20.*

5 Præmitto 2. nomine rerum, quas professione nouitij Deo dedicant, veniunt quæcunque cum sit nomen generale, vt dicitur l. 1. in fine, ff. si cert. petat. Quare venit *primo* hereditas *l. Nam quod §. fin. ff. ad seru. consi. Trebell. l. licet C. de pactis, num. 13. Rebuff. ad l. Rei appellatio 5. de verb. signif. fol. 42.* Venit secundo pecunia *Alex. lib. 2. consi. 185. num. 26. Thuschus lit. V. conclu. 104. num. 5.* Seruus quoque venit nomine rei, *l. omnia §. cum ita ff. de legat. 2. Tiraquel in l. Si unquam V. Donatione lagitus C. de donat. 323.* Farina, vinum, & similia *Menoch. consi. 1061. num. 37.* Fructus continentur sub nomine rei *l. Rei appellatione, l. Rom. ff. de aquir. rerum dom. Mar. Anton. lib. 1. resol. 48. nu. 9.* Rei appellatione veniunt iura, & actiones & causæ, *l. Rei appellatione 23. ff. de verb. sign. Alex. consi. 185. nu. 26. Surd. consi. 470. num. 4. Tuschus lit. V. Concl. 104. num. 3. M. Anton. lib. 2. resol. 57.* Veniunt mobilia, & immobilia, *Menoch. consi. 758. num. 14.* Barbosa in presenti appellatione.

6 Præmitto 3. professione peracta non posse amplius testari, quia dominus rerum non est. Hoc dicit, quia in textu antecedenti dicebatur, quod religiosi testamentum faciebant, eo quod licet votum facerent paupertatis, tamen quia nundum habebat adnexam solemnitatem, quæ incapacem facit ad testandum, professus testabatur ex permissione iuris, post modum efficaciter

interdictum per hanc Auth. & confirmatum per solemnitatem voto adiunctam à summis pontificibus, iuxta dicta cap. 8. de testam.

7 Præmitto 4. in hac Authentica de tribus prouideri. *Primo* de ingredientibus, qui non habent filios, qui omnia sua transferunt in Monasterium. *Secundo*, de habentibus filijs, inter quos diuidere debent, iuxta dicta præcedenti capite, & sic seruatur *Auth. Si qua Mulier*, non autem Auth. *Ingressi*, hoc est, per hanc omnia bona professi dedicantur Monasterio, non autem per illam, quia legitima debita filijs non transit sub dominium Monasterij, vt dixi præced. cap. nu. 30. & 24. *Tertio* prouidetur coniugibus transeuntibus ad secunda vota.

8 Præmitto 5. per hanc Auth. non dari licentiam volentibus ingredi religionem vt de suis bonis disponant, ex quo illam iam habent, quisque enim testari potest masculus post decimum tertium annum, & fæmina duodecimo completo, l. qua ætate 5. de testam. sed admoneri de libertate, quam habent, disponendi suo modo, & arbitrio de suis bonis, quia post professionem non possunt amplius testari sicut faciebant ante dictam Authenticam, fuit ergo necessarium illos admonere de hac prohibitione.

9 Præmitto 6. Authenticam locum habere in Monasterijs capacibus bonorum, vt erant omnia illis temporibus; nã postmodum resurrexerunt religiones Mendicantium, quarum aliquæ nihil habent in communi, ideo professione peracta eorum bona, de quibus non disposuerunt recto tramite fiunt eorum, qui veniunt ab intestato, cuiusmodi sunt Minores de Obseruantia, & Capucini *ex cap 3. sess. 25. & Domus, ac Collegia Societatis, ex Cardin. de Lugo disp. 3. de iust. nu. 189. Sanch. lib. 7. cap. 12. initio, & cap. 25. num 4. Castropal. st. de oblig. relig.* Ingredientes ergo Monasterium incapax bonorũ, professione reputantur mortui ciuiliter, & hoc sensu mors ciuilis operatur eosdem effectus, quos efficit mors naturalis ita quod eius bona quæcumque recto tramite transeunt ad eos, quibus competerent, ac si ille ante professionem in seculo mortuus esset. Et his nullus contradicit.

10 Præmitto 7. hanc Authenticam de dedicatione bonorum facta Monasterio professione Nouitij importare priuilegium, & fauorem, ex quo ipsa mediante professus transfert omnia sua bona in dominium Monasterij, ita quod licet proueniat à iure ciuili, tamen ab eodem reuocari non potest, ex citatis cap. 4. num. 53. Ratio est, quia hoc priuilegium iam est factum ecclesiasticum ab ecclesia acceptatur, & fundatur in iure naturæ, quæ dictat bona debere sequi patronum suum, cum sint ipsius vita, sine quibus viuere non potest. Confirmatur, quia priuilegium concessum non subdito, & ab eo acceptatum est ir-

11 reuocabile, nisi subsit grauissima causa *Sanch. lib. 8. disp. 33. num. 5. Bonac. de legib. disp. 1. q. 13. p. 8. §. 3. num. 4.* quæ in re hac non est dabilis, cum pro fessus translatione suorum bonorum nulli præiudicet communitati, nec suis, dum illorum est dominus absolutus. His præmissis deueniamus ad quæstiones.

Quæres igitur primo, quo iure Monasterium succedat in bona sui professi, iure ne hereditario, an alio titulo?

12 Resp. Iure ciuili, & Canonico succedere non heredit ario, sed per modum cuiusdam sequelæ naturalis aquisitionis, & accessoriæ persone profitentis, vt plane colligitur ex Auth. *Ingressi*, illis verbis. *se, suaque dedicat Deo*, res ergo personam sequuntur, cuius sunt. Quod adhuc clarius dicitur in Autth. de Monachis ibi; *ingredientem namque simul sequuntur omnino res*. Et in hoc omnes

Do-

Doctores conueniunt paucis exceptis non intelligentes difficultatem. Ita sep emdecem Doctores,quos pro se citat *Sanch.lib.7.cap.12.num.21.Castropal. disp.3.p.3.*Iure ciuili ex allegatis Authenticis;iure vero Canonico ex cap. quia ingredientibus 19.q.3.

Quæres 2. An secuta professione bona profitentis ita aquirantur monasterio, vt transeant sub eius dominium, & possessionem sine traditionis facto.

13 Resp. Monasterium ipso professionis puncto aquirit dominium, & possessionem omnium bonorum, quæ erant ante professionem sub dominio, & possessione ipsius nouitij, sine eorum apprehensione. Tum quia cessauit proprietas, & possessio ex parte nouitij,ergo in his successit monasterium professi personam ræpræsentans. Tum quia sicut bona arrogati per arrogationem statim transeunt cum persona in ipsum arrogantem, ex l.Si adoptauero 16. ff.de precar.Ita bona profitentis per votum professionis ipso iure cum persona transeunt in ipsum monasterium. Tum quia bona sequuntur personam, & eodem modo dedicantur monesterio,sicut facit persona; sed persona subijcitur dominio,& possessioni monasterij, *ex Lessio lib.2.cap.41.num.67.ego cap. 20.num.24.*de possessione personæ *ibidem num.43.ex Rota par.4. tom.2. decis. 265.*ergo & illius bona transeunt sub dominium, & possessionem monasterij. Nec necessarium est ad possessionem obtinendam,vt apprehendantur, quia

14 ecclesia habet speciale priuilegium aquirendi sine aliqua traditione, *ex l. C. fin.de sacrosf.eccles.*Ita quadraginta Doctores,quos citat *Sanch.lib.7.cap.12.nu. 23.Gratian.cap.118.num.33.& 34.*vbi ait,monasterium non posse sibi præiudicare,cum bona sint iam quæsita, & non quæ renda,vnde nequit à se ea abdicare sine solemnitate, *ex Paulo in Auth.num.9.Sanchez num.26.* Possessio autem huiusmodi vocatur ciuilissima, & ficta, atque in ea locum habent remedia possessoria adipiscendæ,retinendæ,& recuperandæ possessionis, vt docent *Couar.lib.3.Variar.cap.5.num.6.Menoch.Remed.1.num.386.Tapia hic num.* 18. *cum Sanchez num.29.*

Quæres 3. An bona professi sic transeuntia in dominium, & possessionem monasterij dicantur incorporata,itaut alienari non possint?

16 Resp. Non incorporari per solam professionem, sed requiri aliquem actum,eiusmodi sunt apprehensio, vel descriptio in libro, vel collectio fructuum facti per conuentum,per ea, quæ dicunt *Riccius par.2.resol.75.num. 9. Rota par.4.tom.3.decis.627.num.9.* Videtur obstare Gratianus, Paulus, & Sanch.ex mox dictis. Sed dic tu,requiri possessionem ex facto,& non sufficere ciuilem sine apprehensione, ali ter non datur incorporatio, quæ facto inducitur. Faciunt, quæ dixi *Resol.53.num.16.& seq.& hic cap.4.num.48.*

Quæres 4. An requiratur insinuatio, vt bona transeant cum professo?

17 Resp. Negatiue, quia quod iure prescribitur non eget insinuatione, nec examine ad bene,& prudenter agendum, hoc enim fine petitur insinuatio;sed ex prescripto iuris iam examinati,dum lex huiusmodi edita fuit,bona transeunt,ergo non est opus insinuatione, cum transitus sit legitimus. Confirmatur,quia sicut mulier sine insinuatione tradit omnia sua bona marito, l. Nulla 4.ff.de iure datur. Ita & religiosus. Valet enim argumentum ab vno ad aliud,*Vecchius disp.12.dub.1.num.6.Nauar.cons.4.de offic.ordin.ego late cap. 18.quest.27.de profess.regul.*Ita docent Alberic.*hic num.10.fine, Sanchez lib.7. cap.12.num.30.*

Quæres 5. An requiratur auctoritas curatoris,& decretum iudicis,vt bona transeant cum professo minoris ætatis?

18 Resp. Neutrum requiri,quia huiusmodi dedicatio,& translatio bonorum de se est pure legalis,& legitima, alio non egens examine, nec protectione, dum à lege ipsa præscribitur,quę vices gerit curatoris,& decreti. Ita omnes,quos magno numero refert. *Sanchez lib.7.cap.12.num.31.*

Quæres 6. An monasterium debeat facere inuentarium omnium bonorum?

19 Resp. Negatiue,quia monasterium non succedit iure hereditario,sed iure legali,& accessorio ex dictis quest.1. Quare non tenetur ad debita ingressi vltra uires bonorum professi,quia cum non sit heres, non censetur cum creditoribus contraxisse obligationem satisfatiendi illis. Ita omnes cum *Sanchez lib.7.cap.12.num.33.*

Quæres 7. An conuentus ante professionem possit repudiare bona ingredientis?

20 Resp. Vtique,quia beneficium non confertur in inuitum l.Inuito 70. ff. de reg.iur. Id autem expresse facere debet, quia nemo præsumitur iuri suo renuntiare,nisi id exprimat,vt colligitur *ex l.Si quando,§.Et generaliter C. inoff. testam.Mar.Anton.lib.1.resol.102.num.9.* Ita Sanch.*lib.7.cap.12.num.27. Seraphin.decis.*1198. Nullo verbo facto cum nouitio.

Quæres 8. An professione secuta transferantur non solum bona,quæ Nouitius possidet actu, sed etiam spes ad alia aquirenda futuro tempore?

21 Res. Affirmatiue,quia spes ad illa sua dicitur ibi: *Se,suaq.dedicant Deo* spes, enimeius est non alterius. Ita *ex Beroo in cap.In præsentia,de prob.n.516.Sanch. fine lib.7.cap.12 nu.22.* Spes autem euanescit,si moriatur professus, quia nullam actionem tribuit,vt dixi præced.cap.9.num.43.

Quæres 9. An transferat iura,& actiones?

22 Resp. Affirmatiue,quia veniunt nomine rei,ex dictis supra sub num. 5. non solum iura quo ad extranea,sed etiam iura suitatis, & sanguinis, vt docent omnes cum *Nauar.q.3.de Reddit.num.27.Rodriq.tom.2.q.78.art.12.§.Nec minus,Sanch.lib.7.cap.12.num.13.Peyrin.de Prælato q.2.cap.2.num.56.Vecch.disp. 13.num.9.Ego cap.20.de profess.num.44.*

23 Colligitur hinc monasteria capacia successionis succedere in bonis suorum professorum non solum ex testamento, sed etiam ab intestato, quia,vt dixi, Nouitius per professionem non perdit iura suitatis,& sanguinis,quia sunt immutabilia,*l.ius agnationis 35.ff.de pactis*, & nullo iure dirimi possunt *l.8. ff.de regul.iuris* sed ea conseruat pro Monasterio,quod tamquam heres succedit in omnia eius bona actu,vel potentia,& in spe, *l.fin.§.Hoc etiam, C.de Episcop. & cler.* Ita omnes *cum Gomez tom.1.cap.3.num.20.Surd.de alim.tit.7.q.1.num.58. Sanchez lib.7.cap.12.num.5.Pasqualig.q.251.Barb.ad dictam legem nu.14.*

24 Intellige hæc dum viuit ipse professus, quia Monasterium in tantum succedit, in quantum eius repræsentat personam viuentem cum illa spe, quæ eius morte euanescit,ac proinde Monasterium nihil vlterius prætendere potest,vt dixi cap. præced.num.43.

25 Et quia nonnulli dicebant, huiusmodi successionem ex persona professi competere solis Monachis,non vero mendicantibus,summi Pontifices litem remouerunt,non solum per Tridentinum sess.25.cap.3. concedens illis posse immobilia possidere,verum etiam per speciales constitutiones concessas Domi-

micanis,& Franciscanis Conuentualibus,& Tertiarijs mei ordinis,vt concessit Clemens IV.Bulla 1.in B. N. eisdem Dominicanis,& Conuentualibus;amplio rem gratiam fecit Conuentualibus Sixtus IV.in sua incip. *Dum fructus vberes*, apud Confectium 14. reuocatam à Ioan. XXII. sed restitutã à Paulo IV. quæ est prima apud eundem Confectium , in qua & de Tertiarijs fit mensio.

Quæres 10. An aquisita à Nouitio tempore probationis transeant cum professo in Monasterium ?

26 Resp. Affirmatiue,quia censentur bona quasi castrensia illius propria quo ad dominium,proprietatem,& vsufructum, ergo debent sequi illum, & non alium non habentem ius ad illa. Antecedens probatur, quia Nouitius etiam non clericus habetur pro persona ecclesiastica, ex adductis cap.4. num.54. & cap.7.num.30.Cum ergo sint milites Christi,aquisita per ipsos dicuntur bona quasi Castrensia, ex dictis cap.2.num. 50. Confirmatur, quia in fauorabilibus nomine clericorum veniunt omnes,qui non sunt pure laici,& seculares,vt docent *Angelus,Siluester,Tabiena, & alij V.Clericus cum alijs Sanchez lib. 7. cap. 13.num. 46.* Clericus enim dicitur à tonsura omnes autem religionem ingredientes tonsurantur,ergo sunt clerici.Ita docet idem Sanchez citatus.

Quæres 11. An infra annum probationis ex priuilegio profitens causa infirmitatis secum transferat sua bona ? Pius V.Bulla 109. in B. N. Nouitiatus infirmis indulsit professione infra annum probationis, de qua professione priuilegiata non transmittente bona late egi cap. 6. de profess. q.18. num.42. ad 52.Quæstio hæc non procedit,quando ex priuilegio profitetur ex alio capite, quam ex causa infirmitatis,tunc enim sine dubio locum habet Auth. Ingressi quia ea est professio simplex,& absoluta.

28 Resp. Monasterium non succedit ex vi professionis huiusmodi,siue viuat , siue moriatur ex ea infirmitate. Probatur *Primo*,quia hoc priuilegium limitatur ad consolationem animæ,& lucrum indulgentiæ plenariæ, quam sibi aquirit profitens in articulo mortis,ergo non est extendendum ad alium effectum extra vtilitatem animæ. *Secundo*, leges non se extendunt ad ea,quæ raro accidunt,l.Nam ad ea 5.ff.de legib.casus autem huiusmodi raro accidit,ergo non comprehenditur sub Authentica. *Tertio*, quia huiusmodi professio est potius occasionata, quam ordinaria,& simpliciter facta, non enim seruantur solemnitates,quæ practicantur,dum Nouitius in fine anni probationis admittitur ad professionem de consilio,& consensu capituli,ac proinde nullum videtur parere effectum,nisi illum,qui eius fuit occasio, nempe salus animæ,& lucrum indulgentiæ. *Quarto* ea professio infra annum probationis est speciale priuilegium ipsius Nouitij nullum fauorem Monasterij respiciens. Ita *Rodriq.tom.4.Summæ ca.63.num.4.& 5.& tom.3.quest.15.art.5. cum suo Compend.resol.101.num.40.Homob.par.3.exam.eccles.tract.14.cap.2.quest.14. resol. 3.Moises.in summa tract.9.de legib.cap.12.à num.58.ad 70.Donatus par.4. tract. 9.quest. 17.Barbosa in cap. Ad Apostolicam 16.de Regul.& in Auth.Ingressi, plures citãs num.5.Riccius par.2.resol.493.Beia par.4.casu fin.Sperellus decis.16.Peregrinus Theat.in Compend.V.Nouitius,Vecchius disp.13.dub.11.num.2.Ego ca. 6.de profess.num.50.*

Contrarium,bona aquiri Monasterio per eam professionem priuilegiatam causa mortis,tenent plerique *cum Sanch.lib.5.cap.4.num.16.Magal 1.2. lib. 2. cap.27.num.50.Zanardus in Direct.Theolog.par.2.cap.17.Peyrin. ad const. 8. Pij V.num.*

V num.1. Tambur. de Monialibus disp.4.q.6.num.10. Pelliz. de Monial. cap.9. num. 18. Ciardin. cap.183. num.23. Diana resol.17. de Regul. & par.5. tract.3. resol. 139. de Lugo disp.3. num.191. Ea ratione, quia hæc est vera professio, ergo habet producere eos omnes effectus, quos producit quælibet alia professio facta in fine anni. Sed reuera non est simpliciter professio, sed caualiter tantum, & sub conditione, si decedat, à morte enim illa qualificatur, & non aliter, ita quod si Nouitius infirmus non moritur illa euanescit, & debet iterum profi-cere, vt respondi loco citato.

Quæres 12. An vsufructus profitentis aquiratur Monasterio?

29 Vsusfructus sequitur vsufructuarium professum, & aquiritur Monasterio vsque ad illius mortem, postquam reuertitur ad proprietarium, & consolidatur cum proprietate. Ratio est, quia vsusfructus sequitur personam vsufructuarij vsque ad mortem naturalem, *l. patris C. de Illustr. & habit. & dixi cap.8. num.40. cap. 9. num. 39.* Quod probatur etiam ex ipsis Authenticis *Ingressi*, &, *Si qua milier*. Quæ generaliter loquuntur de omnibus bonis, & rebus ingredientium; sub nomine autem rei venit etiam vsufructus, vt dixi num.5. Ita fere omnes *cum Sanchez lib. 7. cap.13. num.48.* citans circa 40. Doctores, *Barbosa alios allegat. ad cap. Si qua mulier 19. q.3. num.14. Suarez tom.3. de relig. lib. 8. cap.13. num.6. Castropal. disp.3. de obligat. p.4. §.1. num.3. de Lugo disp.3. de iust. nu.197.* Et ita personam sequitur, vt si professus transeat ad aliam religionem,

31 transeat etiam vsusfructus, *ex Sanch. num.63. Castropal num. 8.* Vsusfructus etiam aduentitiorum, *vt dixi cap. præced. num.38.* transit cum patre profitente, & post eius mortem consolidatur cum bonis filiorum.

Contrarium, quod professione vsufructus consolidetur cum proprietate, & non transeat in Monasterium docent nunnulli apud præcitatos, quia vsusfructus extinguitur morte vsufructuarij; mortuus autem censetur professus, ergo in eo extinguitur vsusfructus, cum non sit transmissibilis in religionem. Sed respondetur, professum mori quo ad hunc effectum in religione incapaci tantum, ac proinde sequi professum in Monasterio capaci vsque ad illius mortem naturalem. Monasterium ergo habebit vsumfructum quo ad ius, professus vero eius vtilitatem dependenter à superiore. Alij dicunt Monasterium habere commoditatem, & professum vsumfructum, & ius proprietatis, cuius nullam habeat dispositionem, sicut non est inconueniens coniuge manente vinculo matrimonij fieri religiosum Couar. Gomez & Molin. ex Castrop. n 2. Sed

32 melius est dicere, ius transire ad Monasterium, & commoditatem ad professum hæc enim magis attenditur, quam ius; Proprietas enim siue adiunctam habeat dispositionem, siue non, opponitur voto paupertatis.

Quæres 13. An legatum annuum transeat cum professo in monasterium?

33 Resp. Legatum annuum transit ad Monasterium, cui perpetuo aquiritur, si perpetuo debebat esse in bonis Nouitij. Ex dictis Authenticis, quæ nihil excipiunt ex proprijs ingredientium. Ita *Rodriq. tom.3. quest.16. art.5. Sanch. lib 7. cap.13. num.54. Castropal. disput.3. de obliga. relig. p 4. §.2. num.1.* de Lugo *disput.3. num.198.*

Quæres 14. An peculium filij familias cum eo transeat in monasterium?

34. Resp. Transeunt castrensia, quasi castrensia, & proprietas aduentitiorum, non vero profectitia, quæ spectant ad patrem, cum vsufructu aduentitiorum, vt dixi per ced. cap. quest.3. num.38. Ita docent *Nauar. com.2. de Regul. num.*

55. *Rodriq.tom.3.quest.26.art.4.Castropal.disp.3.p.4.§.2.num.2. Cordin. de Lugo disp.3.de Iust.num.196.*

Quæres 15. An maioratus, seu primogenitura transeant cum professo in monasterium?

35 Resp. Transit,& aquiritur monasterio vsque ad mortem naturalem primogeniti, nisi ab institutore fuerit exclusus conuentus, quia tunc à puncto professionis succedit primo vocatus. Excluditur autem monasterium vel expresse, vel tacite,& quidem *primo* quando institutus fuit ad conseruandam agnationem, & familiam opulentam. *Secundo*, quando habet iurisdictionem. *Tertio*, quando debet deferre arma,& nomen instituentis.

36 Prima pars de transitu vsque ad mortem probatur, quia mens institutoris est nolle excludere monasterium, ac proinde illud vti priuilegio Authenticæ, qua per sona se, & sua dedicat Deo. Ita omnes infra citandi.

37 Secunda pars; quod non aquiratur monasterio, quando expresse excluditur, certa est,& nulla indiget probatione, quia institutor id potuit facere, vnusquisque enim in re sua est arbiter,& moderator, *l.Sed & si §. consuluit ff. de petit.hered.* Ita docent omnes *cum Sanch. lib.7.cap.15.num.4. & 31. Castropal disp.3.p.4.§.3.num.3.de Lugo disp.3.num.207.Rodriq.tom.2. q.78. art.12. Ver. quinto certum est.*

38 Tertia pars, vbi fit mentio de conseruanda agnatione, non transit, probatur quia ex hac coniectura conseruandi agnationem cognoscitur, mentem institutoris fuisse, vt maioratus transiret in personam vocatam excluso conuentu. Ita precitati cum Sanchez num.4.

39 Quarta pars, quod maioratus non transit ad monasterium, quando habet aduinctam iurisditionem, probatur, quia ex capite iurisdictionis presumitur talis voluntas institutoris, vt primogenitura tam conspicua ex iurisdictione non exeat de domo, cum illius sit decus, splendor,& ornamentum, neque transeat ad monasterium; quod tali splendore & ornamento profano non eget, cum monasterium reddatur satis conspicuum ex regulari obseruantia. Ita plerique *cum Sanchez lib.7.cap.15.num.12.de Lugo disp.3.de Iust.num.208.*

40 Quinta pars, quod obligatio deferendi nomen, & arma institutoris arguant maioratum non transibilem in monasterium, probatur, quia monasterium hanc obligationem sustinere non potest cum tanto honore,& splendore, vt decet statum laicalem, dum religiosi status tendit ad humilitatem, & obseruantiam regularem, quæ abhorret seculi vanitates. Ita aliis citatis *Sanch.num.23.Vide Cardin.de Lugo cit.num.208.& seq.vbi plura de hac re*. Contra *Rod,tom.2.quest.78.art.23.Rotam teste Rubeo ad decis.199.par.8.num. 242.* Sufficit enim, quod vtatur sigillo suæ familiæ, vt est in vsu apud eos, qui non mutant cognomen.

Quæres 16. An cum Principe professo transeat in monasterium Principatus, Ducatus, Marchionatus, Regnum &c.

41 Resp. Negatiue, quia Auth. loquitur de rebus priuatis, non publicis, de bonis fortunæ, non de officijs,& magistratibus, Monasterium ergo in his non succedi,. Ita *Glos.V.Digitate cap.Scripsit nobis 27.q.1.ibidem Canonistæ, & alij cum Sanch.lib.7.cap.15.num.12.Castropal.disp.3.p.4.§.3.num.5.*

Quæres 17. An monasterium succedat in feudo professi.

42. Resp.

42 Resp. Succedit, quando institutor expresse, nec tacite exclusit, quia Authentica cum professione feudatarij bona Deo dedicat. Ita omnes *cum Rodriq. tom.1.q.38.art.3.tom.2.q.62.art.10.q.78.ar.12.Sanch.lib.7.cap.15.num.36.Castropal.disp.3.p.4.§.3.num.4.de Lugo.dis.3.de iust.num.213.*

43 Sed raro id accidit, quia solent institutores excludere Monasteria si non expresse, saltem tacite, & quidem *Primo*, si præstandum sit iuramentum fidelitatis Nau.c.1.*de Regul.n.*7.55.*Paris in cap. In præsentia de probat. n.*193. *Decius nu.*292.*Sanchez lib.cap.*15.*num.*41. Excluditur monasterium *secundo*, si feudum adiunctam habeat dignitatem laicalem, iuxta dicta in præcedentibus quæstionibus. *Rodriq.tom.*2.*q.*78.*art.*12.*Vers.Tertio probatur, Sanch.num.*42. Excluditur *tertio*, quando seruitium præstandum est, certum, siue incertum, quia cum sit electa industria personæ, præstari per aliam non potest. *Menoch.lib.*1.*de arbitr.q.*68.*num.*13.*& Vol.*1.*consc.*54.*num.*13.*Sanch.num.*44. Excluditur Monasterium *quarto*, quando feudum fuit datum pro se, & suis filijs, quia censetur locutus de veris filijs. *Abbas in cap. In præsentia, de probat.num.*71.*Aretin.num.*82.*Parisius num.*195 *Sanch.num.*45.*Vide etiam Megalium.*1.2.*lib.*2.*cap.*27.*num.*28.

Queres 18. An emphiteusis transeat cum professo in Monasterium?

44 Resp. Emphiteusis tam ecclesiastica, quam profana transit cum professo, quando est concepta com clausulis. *Ad habendum*, &c. *Quibus, vel cui dederit* & similibus, expressis in parte dispositiua, transit enim ad extraneos, estque communis opinio vt refet *Rota par.*3 *decis.*26.*à nu.*11.*ex Rubeo, & par.*4.*tom.*

45 2.*decis.*86.*num.*5. Licet de sui natura non sit transibilis ad extraneos heredes, *ex Auth.de non alien.reb.eccl.§.Emphitensim, Berous.vol.*1. *cons.*108. *num.*18. *Menoch.cons.*128.*num.*26. Ab homine ergo potest fieri hereditaria etiam ad extraneos, quia à lege non prohibetur directe, & expresse. Transit ergo ad monasterium tamquam extraneum, successorem vsque ad mortem professi, si in ea alij sint vocati, alias non, Ita *Tapia in Auth.cap.*15.*num.*4. *Molin.tom.* 2. *disp.*482. *Vers.Si vero emphiteutis Sanch.lib.*7. *cap.*15. *num.*58.*&* 59.*Castropal. disp.*3.*p.*4. §.3. 8. 9. *&* 10. Vbi facit difficultatem, quia in casu præsenti monasterium non succedit vti heres, nec vt habitus pro filio, ergo non transit emphiteusis hereditaria ad monasterium, sed remanet apud eos, apud quos fuisset si professus fuisset mortuus in seculo. Respondetur esto sermo sit de emphiteusi hereditaria, tamen adhuc in casu nostro dicitur transire iure legali accessorio ad personam, non obstante, quod dicatur hereditaria ratione suæ fundationis, respectu cuius non dicitur transire in Monasterium, sed ab ea tantum habere, vt sequatur personam, cum qua extinguitur in eius morte naturali.

46 Quando est sermo de eius transitu perpetuo, quia in professo extinguitur institutio emphiteutica, ne patronus directus deinceps priuetur perpetuo spe laudemij, quia ecclesia nunquam moritur, praxis seruat, quod monasterium, seu ecclesia cogatur vendere rem subiectam emphiteusi infra biennium post professionē emphiteutæ, seu quouis alio modo conuētus successerit. Pro qua re vide Megalium *l.*2.*lib.*2.*cap.*27.*num.*29.*Rota par.*6.*decis.*211.*per totam, & par.* 7. *decis.*40. *quindennio num.* 30. quomodo bona remanent apud ecclesiam cum pacto, vt singulis quindecim annis soluatur laudemium, in hoc enim melioratur conditio domini, qui certificatur de suo laudemio crebrio ri,

&

pinguiori, quam si bona venderentur ab ecclesia laico.

Quæres 19. An contractus liuellarius, præcarius, & Affictus transeant cum professo in Monasterium.

47 Resp. Affirmatiue, quia non desinunt esse ipsius, ergo ea transmissit cum sua persona in Monasterium. Ita *Bartol. in dicta Auth. num. 18. Salicetus nu. 9. Iason num. 46. Sanch. num. 60.*

Quæres 20. An fideicommissum transeat cum professo in Monasterium?

48 Est autem fideicommissum illud omne, quod alicui relinquitur cum onere, vt post mortem instituti, & grauati, cuius fidei commissum fuit, tradatur tertio expresso in dispositione. Fideicommissum, idem quod legatum, nam id committitur ab herede soluendum legatario, sicut fideicommissum substitu-
49 to. In eo differunt, quod bona fideicommissa restituuntur substituto post mortem instituti, legata vero dantur per institutum heredem viuentem.

50 Resp. Transit fideicommissum conditionale *Si sine liberis*, non vero transit sed substitutus succedit, quando fideicommissum est absolutum sine ea conditione. De hac re fuse dixi cap. 8. 9. 46. ideo illuc remitto lectorem. Iterim vide Castropal. disp. 3. p. 4. §. 4. per totum.

Quæres 21. An possidens aliquid cum prohibitione alienandi professione illud transferat in Conuentum?

51 Resp. Transferre illud in monasterium ad minus dum ipse vixerit, quia id non est proprie alienare, sed illud apud se conseruare, monasterium enim possidens repræsentat personam professi, prohibitio enim intelligitur facta ad extraneos, quale non est Monasteriū, cuius membrum, & pars est ipse professus. Intellige, nisi prohibitio referatur ad finem conseruandi illa bona in familia, quia tunc post mortem bona redeunt ad familiam. Ita *Tapia in Auth. cap. 12. num. 38. Canon. in cap. In præsentia, de probat. Innoc. num. 5. Host. num. 8. Abbas num. 73. cum alijs Sanch. lib. 7. cap. 15. num. 67.*

Quæres 22. An patrimonium, quo clericus suscepit sacrum subdiaconatus ordinem, transeat cum professo in Monasterium?

52 Resp. Transire, quia est illius proprium bonum, vnde iure authent. se, suaq; transfert sub dominium superioris regularis. Nec obstat, quod Tridentinum sess. 21. cap. 2. dicat, illud sine licentia Episcopi non posse alienari, aut extingui vel remitti Quia id intelligitur de clerico in seculo viuenti, ne pauper effectus
53 sine patrimonio cum ordinis dedecore cogatur mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; qui finis cessat in professo, qui alitur à Monasterio, ergo & ea prohibitio. Præterea non dicitur professus illud à se alienare, dum secum illud portat in Monasterio, & vtitur illius commodo dependenter à voluntate superioris.

Quæres 23. An beneficiarius transeat cum suo beneficio in Monasterium?

54 Resp. Negatiue, quia ex dispositione iuris cap. Beneficium 4. de Regul. 6. per professionem vacat, ergo non transit in Monasterium. Ita omnes nullo contradicente. Ita quod statim emissa professione censeri potest, fructus tamen sunt ipsius Nouitij vsque ad punctum professionis. Nomine autem beneficij venit quodcunque siue maius, siue minus, siue simplex, siue curatū, siue ius patronatus. Vide Barbosam super hoc caput. Vacat etiam parochiale professione militari, *Merlinus decis. 203. num. 1. Ludouis. decis. 382. Pasqual. ad Franch. q. 45. Sanch. lib. 7. cap. 29. num. 1. Castrop. de honest. disp. 6. p. 2. §. 7.*

S Quæ-

Quæres 24. An pensionarius professione transferat pensionem in Monasterium?

55 Resp. Nouitius vsque ad punctum professionis exigit fructus suæ pensionis, & deinceps vacat, & si non transit in Monasterium in hoc enim comparatur beneficio, cuius filia est. Ita Sanchez *lib.7.cap.4.num.3.& cap.29.num.2.Gigar de pens.q.57.num.5.Pasqualig.q.45.ad Franchum, nu.2.Barb.ad cap. Beneficium, de Regular.num.2.*Castropal.*tract.13.de benef.disp.1.p.11.§.10.num.*8.

Quæres 25. An habens ius præsentandi illud professione transferat in Monasterium?

56 Resp. Illud transferre in religionem si in seculo erat proprietarius, & non pars alicuius communitatis, seu collegij, aliter non; & translato iure præsentandi in Monasterium, tunc necessarius est consensus, seu licentia Monasterij, vt professus possit præsentare nomine conuentus, qui tale ius aquisiuit, alias sine licentia præsentans nihil facit, si vero aliquis religiosus de mandato patroni præsentat valide agit, licet non habeat licentiam sui superioris. Dixi q. 13.de profess.q. 77.

57 Primum de translatione iuris proprietarij præsentandi singulariter probatur, quia Nouitius professione transfert omnia sua iura non tantum prætio æstimabilia, quam inæstimabilia, tum actiua, tum passiua, *ex Abbate in cap. quia nos de testam.num.2.Socino Sen.consil.183.Rota par.5.tom.1.decis.336.num. 10.ad rem nostram.*Ergo & ius præsentandi. Ita Glos.*V.conferendum Cap. Beneficium de regul.in 6.ibi Ioan.Andr.Domin.& Franc.Sanchez lib.7.cap.14.num. 2.*Spectat ergo ius præsentandi ad Monasterium, *Lambert pa.1.de iurep.lib. 2. q.2.art.11. num.20.Seraphin.decis.1328.& 1371.num.4.Rota par.5.tom.1.decis. 336.num.11. Viuian. lib.4. cap.2.num.62.* de Lugo *disp.3.de iust.num. 206. Rodriq.tom.2.q.112.art.2.*Remanet autem perpetuo in religione, nisi sit gentilitium, & familiare, quia tunc extinguitur cum professo de familia, *Viuian. num.64.*

58 Secundum de licentia Monasterij necessariam ad præsentandum ipsi professo, probatur, quia dum professione illud à se abdicauit, propria auctoritate ad illud redire non potest, aliter præsentatio nulla est, *ex eodem Lambert.cit.ar. 11.fine, Sanchez num.10.*

59 Tertium, quod solus superior sine consensu conuentus, non possit præsentare, probatur, quia quæ pendent à communitate capitulariter expedienda sunt aliter non valent, *Lap.Nascitur, de ijs, quæ fiunt à prælatis*, deest enim aliorum consensus, qui est de forma rei agendę. Ita *Lambert.cit.art.12.num.6.cum alijs Sanch.lib.7.cap.14.num.6.*

60 Quartum, quod ius præsentandi commune collegio, aut communitati non transeat in monasterium, probatur, quia nouitio competit ius præsentandi cum alijs in quantum est pars communitatis, seu collegij, sed hanc rationem non potest transferre in monasterium, cum desinat professione esse pars, ergo neque transfert ius præsentandi. Ita *Ioan. Andr. & alij Ianon.cum Glos. V. Conferendum dicti cap.Beneficium, deRegul.in 6.cum Sanchez lib.7.cap.14. num.1.*

61 Quintum, quod valeat præsentatio commissa professo à patrono, etiam inscio superiore, probatur, quia talem nominationem religiosus facit nomine patroni, & non iure proprio, ergo carentia obedientiæ, seu licentiæ superio-

ris

ris obstare non potest,cum pro valore non faciat, sed dependeat solum à patrono,qui solus id commitere potest. Ita *Sanch.lib.7.cap.14.num.12.*

Quæres 26.An habens beneficium iuris patronatus nouitius professione illud transferat in religionem?

62 Resp.Negatiue,quia est proprie beneficium,*cap.Relatum 21. de iure patr.* & sub nomine beneficij venit, *ex allegatis à Viuiano lib.6.cap.6.num.8.* ergo cum professione vacet,*ex cap.Beneficium, de Regul.in 6.vt dixi quæst.24.* illud transfere,non potest in monasterium, dum illud amisit. Ita Viuianus *lib.5. cap.5.num.49.* Ius ergo præsentandi transit,sed non beneficium ipsum.

Quæres 27.An Doctor vtriusque iuris,& Theologus professione vtrunque gradum secum transferat in monasterium,cum suis iuribus?

63 Resp.Prefatos gradus honorificos secum professione transferre in religionem,quia statui religioso non repugnant, cum etiam professi ad eos possint promoueri de licentia suorum superiorũ, vt asserunt *Nau.conf.2.Ne cler.vel mon.Rodriq.tom.2.q.74.art.1.Lezana tom.2.cap.13.num.42.sanch.lib.6. cap. 14.num.45.alios refert Barb.ad cap.fin.Ne cler.vel.mon.* Ergo & hos gradus secum portare intra ordinem. Confirmatur, quia si bona temporalia transeunt professione in monasterium,quare perdi debent gradus honorifici, qui sunt bona incorporalia non disconuenientia statui religioso? immo ex his religioso illustratur & extollitur. Transeunt ergo Doctores nouitij non solum cum suis gradibus,& honoribus, sed etiam iuribus, quæ habent in collegijs suis, cum emolumentis, vt patet experientia, nam religiosi Theologi suam portionem recipiunt, dum alij doctorantur,& eis suffragantur, & eliguntur Priores collegij,sicut cæteri,de collegio,quia non renuntiarunt iuribus suis, nec desinunt esse membra, & partes collegij,non enim repugnat,eundem simul esse membrum plurium collegiorum. De hoc re dixi cap.20.de profess. q.22.num.47.ad 49.

Tambur.tom.3.disp.3.quest.6.num.38.negat promotionem ad ius ciuile per cap.3.& fin.Ne cler.vel mon.quia id prohibetur ibidem,& gradus seculares professione clericali perduntur,Glos.1.cap.Præsens 4.20.q.3.

64 Resp.in dictis capitibus non prohiberi principaliter audire leges,sed exire, & manere extra claustra, nam qui eas audiunt in propria ciuitate statutis oris, & postea reuertuntur quotidie ad sua monasteria, extra quæ de licentia exierant,non ligantur censura ex communicationis,vt docent *Nauar.cap. 27.num.107.Toletus lib.1.cap.38.num.6.Sayris.lib.3.cap.23.num.2.Sanctar. de Apost.cap.2.num.19.Barb.ad dictum cap.3.num.6.* Ergo audire leges proprie non prohibentur, sed ex causa apostasiæ, & mansionis extra claustra, ergo nec prohibentur recipere gradum Doctoratus, experior enim cognitionem legum esse ne dum vtilem,sed valde necessariam religiosis in ordine ad moralem Theologiam. Quare & publice leges addiscere possunt, & gradum recipere; sicut lauream Theologiæ assequuntur,& etiam consilia in scriptis dare petentibus.

65 Vnum obseruo, quod collegiatus in vniuersitate legum Doctorum potest accedere pro laureandis,& alijs actibus, de licentia superioris, non tamen exercere officium,quod solet distribui Doctoribus collegiatis, cum id sit mere laicale requirens occupationem ex munere suo, quod non decet statum religiosum,vnde bene dixit S.Bonauentura in opusculo ad Magistrum Inno-

minatum. *Damno pomposum, sed commendo studiosum*. Et sic neque decet splendidam vestem propriam Doctorum legum deferre in collegio, vel extra. Theologis vero licet, quia ecclesiastica est, non inconueniens statui religioso. Mortificandi ergo sunt actus inutiles cum pompis suis, & virtutes cum honoribus honestatis amplectendæ.

Quæres 28: An habens ius, seu priuilegium legitimandi illud professione secum transferat in religionem.

66 Resp. Affirmatiue, & ita dicit Seraphin. decis. 1331. accedente tamen licentia sui superioris, & hoc verum, licet profiteatur inter Fratres Minores, inquit Vecchius disp. 13. dub. 9. num. 4. Non est autem necesse, quod concurrat consensus Monasterij, sed sufficit sola licentia superioris eius etiam localis, quia id ius non aquiritur immediate Monasterio, sed trãsit inherens personæ quousq; viuat; cum non repugnet statui religioso, dum non est ius prætio æstimabile, sed honorificum consequens personam, sicut Doctoratus.

Quæres 29. An executor, testamẽtarius secũ trãsferat id munus in religionẽ?

67 Resp. Affirmatiue, quia sicut non repugnat iam professo ex dictis cap. 8. à num. 94. ita neq; ingredienti. Vnde post professionem illud exequi potest, sicut quilibet alter professus.

Quæres 30. An Canonicus professione conseruet ius, quod dat Capitulum, itaut factus professus possit obire munus cum cæteris Canonicis?

68 Resp. Negatiue, quia professione vacat Canonicatus, & quodlibet eius beneficium, ex cap. Beneficium, de Regul. in 6. Ergo & quodlibet munus, & officium, atque ius fundatum in Canonicatum. Ita *Rodriq. tom. 1. q. 37. art. 1. Sanch. lib. 9. disp. 33. num. 19. Barb. ad dictum cap. num. 6.* qui num. 13. cum alijs dicit neque tempore probationis vocandum est in negotijs capituli, nec ad electionem Episcopi, licet adhuc sit Canonicus, quia censetur absens, & legitime impeditus, multo minus citandus est professus, cum nullo modo sit pars capituli, ex quo caret canonia. Nouitius vero si compareat est admittendus, cum reuera adhuc sit Canonicus, in quo vigent iura canonica, ac si non intrasset.

Quæres 31. An bona incerta, quæ debentur pauperibus Deo dedicentur cum ipso professo, an adhuc sint debita pauperibus? Incerta non solum dicuntur, quorum dominus ignoratur inuenta casu; sed etiam furto paulatim sublata, quorum domini clare ignorantur.

69 Resp. Cum professo transeunt sub dominium Monasterij, nam succedit loco pauperum, cum ipsum sit pauper, non ex vi huius Authent. quia illius verba, *Suaq. dedicat Deo*, verificari non possunt, cum incerta non sint sua, sed aliena. Transeunt autem in Monasterium quia pauper, & creditor est incertorũ ex concessione Sixti IV. in suo Marimagno §. XXVII. apud confect. in Sũmario.

Quæres 32. An confessarius regularis professione secum transferat in religionem hoc spirituale munus exercendum.

70 Resp. Affirmatiue, non ex vi Authenticæ, quæ præscribit dedicationem solum bonorum fortunæ, vt colligitur ex illis verbis: *Se, suaq. dedicat Deo, ne ergo de his testentur*. De temporalibus autem fit testamentum, non de mere spiritualibus. Dixi *resol. 36. num. 87. & cap. 12. de profess. num. 62.*

Quæres 33. An dicta de nouitijs sua bona, & iura transferentibus in monasterium locum habeant in nouitijs monialibus profitentibus?

71 Resp. Affirmatiue, quia id expresse dicitur in Auth. de Monachis, §. Illud quo-

quoque hic supra num. 3. Quod ergo monasterium monialium succedat in bonis suarũ professarum, sicut virorum certi iuris est, & docetur ab omnibus.

Quæres 34. An mulier habens ius præsentandi illud transferat in monasterium per suam professionem?

72 Resp. Transferre, ac proinde illa iam professa de consensu Abbatissæ, & monasterij potest præsentare ad beneficium, iuxta dicta superius sub quest. 25. Ratio est, quia id non repugnat statui religioso, nec voto paupertati, cum nihil sibi pretio estimabile vsurpet, nec facit contra votum obedientiæ, cum de licentia conuentus præsentat. Confirmatur, quia ex cap. Ex liberis 7. de iure patr. supponitur id ius in Abbatissa, monasterinm enim est capax iuris patro-
73 natus. *Rodr. tom. 2. q. 49. art. 7. Leo in Thesauro fori eccles. par. 2. cap. 6. num. 25. Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 13. num. 4.* Ita Glos. V. Iurisdictioni, cap. Dilecta 12. de maior. Vide supra q. 25. Confirmantur, prædicta, quia fœmina laica potest præsentare, *cap. fin. de præbend. Rocchus de Corte l. Competens, Viuian. lib. 5. cap. 1. num. 9. & lib. 2. cap. 6. num. 3. &* 5. Sicut ergo fœminæ, & earum monasteria capacia sunt iuris patronatus, ita & transferre possunt dum ingrediuntur. Nec est necessaria licentia Episcopi, vt iuspatronatus aquiratur loco pio, & monasterio, *ex cap. Vn. de iurepart. in 6. Abb. in cap. Illud, eod. num. 5. & in cap. de monachis, de præbend. num. 3. cum alijs Ciarlin. c. 1. num. 22.*

Quæres 35. An maritus consumato matrimonio, lucretur dotem, si de eius licentia vxor professionem emittat? An vero illam secum transferat in religionem? Vide *l. fin. C. de episcop. & cleric. & Auth. de monach. §. Si quis autem.*

74 Affirmat Roman. *in l. Si cum dotem ff. solut. matr. num. 15. Barbos. l. 2. part. 1. num. 154. quos refert alter Barbos. in dicta l. fin. C. de Episcop. & cler.* Crederem, eam secum deferre dotem in monasterium, quia licet constante matrimonio dos non possit restitui vxori, & si restituatur, non ideo maritus liberatur, *l. Vn. C. si dos const. matrim.* tamen quia datur ad sustinenda onera matrimonij, quibus non grauatur maritus, sed conuentus, ideo ratio suadet, vt eam secum deferat. Quod vxor professione suam perdat dotem non est rationabile, sed quid turpe, cum retrahat à religione, ergo dotem perdere non debet, sed secum portare in monasterium. Vxor ergo professa secum trahit in monasterium dotem suam vsque ad mortem suam naturalem, & deinde redit ad maritum, & filios eius, & si illis superuiuat remanet in monasterio.

Quæres 36. An læsus in seculo proficiens in religione secum transferat actionem iniuriarum?

75 Resp. Affirmatiue ex Auth. eadem ibi: *Suaq.* iniuria enim afficit læsum, ideo dicitur esse sua, & sub nomine rei veniunt quæcunque actiones. Et licet dum erat in seculo potuisset agere, tamen post professionem dare de iniuria non potest proprio nomine, sed id spectat ad eius superiorem. *Glos. V. Possidere cap. Non dicatis 9. 12. quæst. 1 Glos. V. in Monachos cap. Parochianos 9. de sent. ex com.* Et si superior eam remiserit, iniuriatus vlterius agere non potest,
76 *Glos. V. Passus, cap. Cum illorum 32. de sent. excom. Belasius in suo Prompsuario Religios. V. Inniuria num. 2. Ego capit. 20 quæst. 23. num. 49.* Procedit,
77 quando agitur de vindicanda iniuria proxima, non vero consanguineorum, quia licet iura sanguinis transeant in monasterium, nontamen retinent iura prosequendi actiones suorum, quia non spectant ad conseruationem monasterij, ex allatis à Rota part. 5. tom. 1. decis. 267. in fine.

CA-

CAPVT XI.

An, & quomodo monasterium succedat in bonis relictis suis Fratribus professis?

1 *Conuentus omnes capaces successionis, exceptis Obseruantibus, & capucinis.*
2 *Religiosi singulariter spectati incapaces successionis pro se ipsis.*
3 *Quid quid aquirit, non sibi, sed monasterio suo aquirit.*
4 *Monasterium succedit in omnia bona, iura, & actiones sui professi.*
5 *Etiam monialium.*
6 *Successio est aquisitio relictorum post mortem consequendorum.*
7 *Legitima successione est à patre naturalis à matre.*
8 *Axiomata in causa successionis.*
9 *Successio ab intestato dicitur esse à lege, ex testamento vero ab homine.*
10 *Successio ab intestato cessat, vbi est testamentum.*
11 *Ordo successionis ab intestato inter consanguineos.*
12 *Succedit monachus ab intestato.*
13 *Transtulit enim omnia iura agnationis in monasterium.*
14 *Vbi vsque ad mortem conseruat agnationem.*
15 *Ratione cuius succedit, non obstante statuto excludente.*
16 *Reseruata legitima ascendentibus, & descendentibus.*
17 *Monasterium succedit intuitu professi.*
18 *Aquiruntur immediate eius monasterio, quod adit hereditatem.*
19 *Monachus adiens hereditatem auctoritate propria nihil facit.*
20 *Heres succedit in omnia iura defuncti tum actiua, tum passiua.*
21 *Possessio non aquiritur nisi aditione.*
22 *Postmodum dicitur patrimonium, non amplius hereditas.*
23 *Non obstante professo adhuc monasterium adit hereditatem.*
24 *Pater adit hereditatem filij inuiti, vel ignorantis.*
25 *Cogi potest monachus adire hereditatem.*
26 *Clausula:* quod monachus adeat hereditatem, aliter fit alterius turpis est.
27 *Aditio non est necessaria in legatis. nec fideicommissis.*
28 *Repudiare & renuntiare sunt diuersa.*
29 *Repudiari potest hereditas.*
30 *Prælatus præiudicare potest in aquirendis, non inquæsitis.*
31 *Incorporatio fit per aditionem rei.*
32 *Legatum aquiritur immediate, immo ignoranti legatando.*
33 *Incorporatio perfecta consistit in apprensione rei.*
34 *Repudians sine causa peccat contra iustitiam.*
35 *Repudiare non potest vtile professo*
36 *Monasterium mortuo professo adit hereditatem iam delatam ante eius mortem.*
37 *Morte testamentarij rumpitur testamentum.*
38 *Si moriatur ante testatorem non defertur Monasterio.*

39 *Siue sit simplex, siue habeat adnexum fideicommissum.*
40 *Hereditas transmittitur à parentibus filijs non extranea.*
41 *Hereditas non potest adiri à domino, mortuo seruo.*
42 *Monasterium non vtitur iure transmissionis, cum habeat iura ex Auth.* Ingressi.
43 *Voluntas professi potest durare in Monasterio post mortem eius.*
44 *Opinio Legistarum de hereditate adeunda à professo videtur improbabilis.*
45 *Statuta excludentia religiosos à successione sunt iniqua, & inualida.*
46 *Sunt directe contra ius Canonicum, & immunitatem ecclesiasticam.*
47 *Statuere non possunt laici contra ecclesiasticos.*
48 *Testator præsumitur magis diligere Monasterium quam Collaterales.*

IN præcedenti capite actum est de rebus, quæ vigore Authenticæ *Ingressi* per professionem Nouitij transeunt in Monasterium, nomine eius ille facit professionem; in præsenti tractandum est de illis bonis, quæ iam professus aquirit suo Monasterio, vel ab intestato, vel iure testamenti, aut titulo donationis etiam inter viuos, aut alio quouis modo. Pro cuius intelligentia præmittenda sunt nonnulla.

1 Primo, non omnes conuentus esse capaces hereditatis, & successionis, sed tantum illi, quorum religiones sunt capaces, cuiusmodi sunt omnes ordines Monachales S. Benedicti, seu alterius institutoris, Canonicales non solum Lateranenses; sed etiam cuiusuis alterius ordinis Canonicis Regularis, & omnes fere ordines Mendicantium, exceptis Minoribus de Obseruantia, & Capucinis, iuxta dicta sub cap. 5. per totum. Et de his in præsenti capite agendum est, an, & quomodo eorum professi aquirant monasterio capaci relicta eis immediate?

2 Secundo, quoslibet religiosos professos, esse incapaces aquirendi sibi ipsis, obstante voti paupertatis solemnitate, quæ eos reddit inhabiles, & incapaces ad aquirendum sibi ipsis, de quo nulla est difficultas, quia aquirere sibi est actus proprietatis cuius se fecit professus incapacem. Ne autem mentes piorum, qui ex affectu vel caritate quandoque relinquunt de suis bonis filijs, & alijs consanguineis, licet incapacibus, ex quo sunt professi, frustratoriæ sint, interpretantur, quod aquisitio relictorum sit penes ipsum Monasterium, quod
3 deinde relictum subministret professo, in cuius gratiam relictum fuit, hinc originem habet illud commune axioma, quod *quicquid aquirit Monachus suo, monasterium aquirit.* Ita quod proprietas, & dominium sit monasterij, vtilitas vero dispensetur à supperiore incommodum professi, intuitu cuius relictum fuit, vt dicam latius cap. 18.
4 Igitur monasterium succedit in omnibus bonis, iuribus, & actionibus relictis suis professis, siue ex testamento, & alio titulo, siue ab intestato, expresse *l. Deo nobis fin. §. Hoc etiam C. de cler. & Monach. cap. Abb. 16. 18. q. 2. Lapus Algat. 101. num. 11. Honded. lib. 2. consf. 76. num. 9. & seq. Rota par. 4. tom. 2. decis. 375. num. 2. de Regul. num. 3. Cenedus quæst. Canon. 20. num. 26.* Nullus contradi-
5 cit, & hoc verum est etiam in monialibus *Rota ex Farinac. par. 2. decis. 480. nu. 4. Carena resol. 209. num. 3. Tambur. de monial. disp. 3. q. 4.*
6 Tertio, successio proprie est aquisitio bonorum, quæ post mortem relinquentis sunt consequenda; viuentis enim non datur successio *l. Heres 54. l. Qui super-*

superstitis 93.ff.de aquir.hered.l.1.ff.de hered.vel aut vend.Rota par.5.tom.2.dec. 267.*num.*11.*Gratian.cap.*102.*num.6.*Successio autem secundnm Glos. in l.Vn.
7 C.vnde vir,& vxor, alia dicitur legitima.quæ procedit à patre,alia naturalis, quæ procedit à matre; & sic hæ successiones sunt inter ascendentes, & descendentes,quę ambæ reperiri possunt in monasterijs, dum in successione se habent quasi vt filij respectu relinquentium bona suis, intuitu quorum relinquuntur. Addamus tertiam speciem successionis ab extraneo scilicet ad extraneum, vt quando quis non habens parentelam relinquit religioso, nam etiam tunc institutus dicitur succedere in bonis sibi relictis, quia extraneus quoque succedit, *Alex. in l. Etiam ff. solut.matrim. Afflict. decis.*386.*Bimius Vol.*3,*cons.*220.*num.*36.Dixi proprie, quia successio largo modo locum hebet etiam in successore singulari, & quandoque donatarius inter viuos dicitur succedere donatori licet viuenti in re sibi donata.
8 Quarto,de successore nonnulla sunt recensenda axioma pro nostro instituto. *Primum* Successor non capit,quod auctor non habet. *l.Traditio ff. de aquir. rer.dom.Peregr.lib.*1.*consf.*46.*num.*12.*Rota par.*6.*tom.*1.*decis.*222.*num.*22.Axioma *secundum*,Non est melioris conditionis,quam eius fuerit auctor,*l.*136.*ff.de reg.iur.* quia nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habeat *l.*55.*de reg.iur.& cap.*76.*eod.in* 6.Axioma *Tertio*,Auctori, quod non nocuit, nec successori ipsius nocere debet,l.Inuitus 199.de Reg.iur. *Quartum* successos eodem iure vtitur,quo vteretur auctor, si viueret,*l.*138.*ff.de reg.iur.&* 46. *in* 6.Denique *Quintum* est, quod successor representat personam sui antecessoris *Glos.V.viueret cap.significauit* 36.*deRescript .Glos.V.contra c. Dilecti* 17.*de foro compet.* Et ita monasterium repræsentabit personam relinquentis intuitu personæ,cui relictum fuit,quasi ambo vna sint respectu testatoris, seu aliter disponentis.
9 Quinto,successio ab intestato differt à successione ex testamento,in eo qnod illa non defertur ab homine,sicut hæc,sed ex dispositione legis *l.*3.*§. de illo ff. pro soc.vbi Glos.V.ad legitimata,l.obuenire ff.de verb.signif.Alex.lib.*5. *cons.* 44. *Rota par.*4.*tom.*2.*decis.*155.*num.*14. Vnde cessat successio ab intestato, quan-
10 docunque est locus successioni ex testamento, *l.Quamdiu ff.de aquir. hered. Rota par.*4.*tom.*2.*decis.*338.*num.*4.His præmissis.

Quæres 1.An monasterium succedat ab intestato respectu religiosi sui pro
11 fessi? Præmoto ordine in succedendo ab intestato inter consanguineos, quibus proprie competit huiusmodi successio secundum leges *C. de legitim. heredit. hered.C.de suis,& legit. & Auth.de hered. ab intestat.collat.*9. *Primo* loco ab intestato succedunt legitimi tam masculi, quam fœminæ de iure communi descendentes filij, & nepotes, alijs exclusis, filij quidem æquis portionibus,tot sunt partes quot eorũ capita; nepotes vero succedunt non in capita vt filijs,sed in stirpes, idest, in eam partem, quam pater eorum habuisset si vixisset. *Secundo*, si desunt descendentes, succedunt ascendentes vt pater,auus, ab auus &c, cum fratribus, & sororibus ex vtroque parente coniunctis defuncto,vel eorum filij,quod si non habet fratres,sorores,nec filios,ascendens proximior succedit, omnibus alijs exclusis,vnde pater præfertur auo &c. Et sic de ascendentibus venit solum, qui est defuncto proximior cum fratribus si sunt capita, sed cum filijs fratrum in stirpes, exclusis fratribus ex vno parente tantum. Et si dicti ascendentes sunt in æquali gradu,puta, ex parte patris in

pri

primo, vel secundo, & ex parte matris similiter in eisdem gradibus, & sic equaliter paterni pro dimidia, & materni pro alia dimidia succedunt, quamuis sint plures personæ ex parte vna, quam ex alia. *Tertio* defectu ascendentium, & descendentium succedunt collaterales & *primo* fratres, & filij fratris præmortui, qui scilicet erant coniuncti ex vtroque parente defuncto, diuerso tamen modo, nam fratres succedunt in capita, dicti vero filij in stirpes, & prædicti fratres, & filij præferuntur fratribus tantum ex vno parente coniunctis. *Secundo* prædictis non existentibus, vel aliquo eorum veniunt fratres ex vno tantum latere, & eorum filij, qui præferuntur patruis defuncti. *Tertio* prædictis non existentibus præferuntur gradu proximiores defuncto, & si pares sunt, ex æquo admittuntur. Demum defectu omnium ascendentium, descendentium, & collateralium, coniuges succedunt alter alteri *ex l.Vn. C. Vnde vir, & vxor*. Hæc rescripti ex Angelica, Tabiena, & Siluestrina Summis, quæ faciunt ad præsentem quæstionem. Ad successionem ergo in bonis paternis admittuntur gradatim consanguinei, habito semper respectu ad proximiores, & à descentibus ad ascendentes, istis enim illi præferuntur.

12 Resp. Monasterium succedit ab intestato in bonis sui professi, quæ illi obuenirent, si esset in seculo, exceptis bonis, quæ renuntiauit. Ita expresse l.fin. C.de Episc.& cler. quia professione etiam inuito patre non amisit, sed retinuit,

13 & conseruauit sibi, & suo Monasterio iura suitatis, sanguinis, & agnationis, ita quod huiusmodi iura secum transtulit in Monasterium, cui aquiruntur ea omnia bona, quibus successisset, si secularis in mundo ille vixisset, vt patet ex dictis præcedenti capite. Ita omnes, *Anton.Gomez tom.1.cap.3.num.20. cap.9. num.10.Surdus de Alim.tit.7.q.1.num.38.Molina disp.179.Vallascus tom.1. Allegat.29.num.112.Sanchez lib.7.cap.12.num.5. apud Barb.ad hanc leg.num.* 14.

14 Confirmatur id, quia religiosus vsque ad mortem conseruat in Monasterio suam agnationem, vt *ex Rota docet Paulus Rubeus par.8.decis.199.num.234.&*

15 *dixi cap.9.num.52.&* 53.& licet non possit eam propagare, eius tamen iura retinet, per quæ concurrere potest ad successionem statutam reseruatam solis agnatis, *Bald. in l.11.C.de sum.Trin.num.55.& Vol.1.cons.30.num.2.Lapus allegat.101.num.4.Alberic.de statuto exclus.fæm.art.12.princip. quest.11.num.165.* In casu nostro ad effectum succedendi at intestato, *Decius in Auth.Ingressi nu. 7.Bart.in Auth.Si qua mulier, n.5.Bald. n.10.Angel.in l.sub conditione ff. de liber & posth.vbi Alex.n.3.& Castrens.n.2.Iason in l.Patre furioso ff.de his, qui sunt sui nu.46.ex eodem Rubeo num.238.*

Dixi, professum succedere per suum Monasterium in bonis, quæ non renuntiauit, nam ad ea non datur regressus, quamdiu manent affecta renuntiatione & sint eorum, in quorum gratiam fuerunt renuntiate. Monasterium ergo succedit in bona sui professi non renuntiata salua etiam legitima ascendentibus,

16 descendentibus. Ita omnes *ex Auth.Ingressi, Auth.Si qua mulier l.fin.C.de Episcop.& Cler.cap.Quia ingredientibus 19.q.3.Innoc. in cap. In præsentia de probat num.4.Ioan.Andr.num.13.ad 21.Bald.num.4.Abbas num.2.Nauar.com.2.de Regul.num55.Molin.lib.2.disp 140.Sanch.lib.7.cap.12.num.4.Rota par.9.tom.2.decis.450.fine* De successione ab intestato Monasterij monialium extant plures decisiones, *vt videri potest decis.375.part.4. tom.2. & decis.480. & 543.part. 5 tom.2.*

Quæres 2. An Monasterium succedat in bonis relictis suo professo ex titulo

testamenti,donationis,aut alio actu positiuo hominis,sicut succedere ab intestato sine facto hominis dictum fuit præcedenti quæstione.

17 Resp. Affirmatiue ex eadem l.fin.C.de Episcop.& cler. & alijs iuribus mox citatis sub num.13.& in hoc nulla est difficultas,*Sanchez lib.7.cap.12.num.4. de Lugo disp.3.de Iust.num 98*.de succesione ab intestato, & à testamento, seu alio modo,*Castropal.disput.3.de obligat.relig.p.8.Rodriq.cum suo Compend.resol. 72.initio,Tambur.tom.3.disp.11.q.4.Farinac.par.2.decis.128.num.3.Gratian.cap. 568.nu.62.Lezana in* Marimagno *Carmelit.nu.411. Donatus par.2.tract.11.q.3.* et alij omnes apud præcitatos.

Quæres 3. An bona ex testamento delata professo aquirantur immediate Monasterio intuitu personæ institutæ,ac proinde superior sine ipso eam hereditatem adire possit?

18 Resp. Bona immediate aquiruntur Monasterio intuitu illius, ac proinde ad ipsum Monasterium spectat adire hereditatem,& non ad professum cui dicitur delata. Probatur ex Auth. *Ingressi*, quia vt visum fuit in præcedenti capite,Nouitius professione transtulit omnia sua iura,& actiones in Monasterium. ergo & ius adeundi hereditatem, ac proinde id ius spectat ad conuentum, in quod fuit translatum. Confirmatur, quia huiusmodi actio adeundi hereditatem est actus proprietatis, sicut & acceptatio legati, seu rei donatæ prohibitus professis, ergo in his nihil potest. Ita *Rodriq.tom.2.q.77.art.1. Castropal.disp.3.p.5.num.3.de Lugo disp.3.de Iust.nu.94.Gratiau.cap.363.uum.18. & cap.568.num.62.Sanchez lib.7.cap.12.num*.40.innumeros citans,*Farinac.p. 2.decis.128.num.3.*

Contrarium, quod aditio hereditatis pertineat immediate ad professum, cuius mediate persona aquiritur subsequenter Monasterio,docent nonnulli legistæ relati à Sanchez lib.7.cap.12.num.35. probantes ex l.fin. C. de Episc. & cler. vbi dicitur,Monachos tamquam suos heredes succedere in omnem parentum substantiam,non obstante monastica professione, ergo illis hereditas immediate aquiritur,& ab illis est adeunda. *Confirmatur*,quia Monachum carere propria voluntate nihil aliud significat,quam ipsum indigere licentia superioris ad euitandum proprietatis vitium, non tamen arguit eius consensum non esse necessarium, cum actus aditionis respiciat personam, cui defertur hereditas.

Resp. Textum citatæ legis non distinguere de mediata, an immediata successione Monachi, an Monasterij, vnde is textus venit interpretandus iuxta Auth.*Ingressi*,in qua dicitur,quod Deo ingressus se, suaque dedicat per professionem,nihil excipiendo, ac proinde etiam dedicat, & transfert in Monasterium ius adeundi hereditatem, ergo eodem modo intelligenda est dicta lex finalis. *Ad confirmationem* dico,professum indigere licentia adeundi hereditatem non solum ad euitandum proprietatis vitium,sed etiam ad hoc, vt actus aditionis sit validus,quia reuera caret hoc iure adeundi,dum illud professione transtulit in Monasterium.

Quæres 4. Quid si professus institutus auctoritate propria adeat hereditatem, valeat iste actus?

19 Resp. Negatiue, quia vt dixi, caret hoc iure, dum illud professione transtulit in Monasterium, ergo sine eo nihil operari potest. *Confirmatur*, quia in ijs, quæ possunt esse præiudiciali a conuentui consensus religiosi priuati

in

præstitus est nullius valoris; aditio autem hereditatis potest esse præiudicialis quia heres cum repræsentet personam heredis, ex num. 8. ac proinde succedat
20 in omnia eius iura tum actiua, tum passiua, & teneatur ad omnia eius onera, & debita, *Aretin. consf. 123. M. Anton. lib. 2. resol. 59. casu 26. & colligitur ex l. Cum heredes 23. ff. de aquir. vel amiss. possess.* vbi, per aditionem hereditatis omnia iura, quæ erant apud defunctum, & per mortem non fuerunt extincta, ip-
21 so iure transeunt in heredem, sed possessio non, quia licet illa sit ius, tamen per mortem defuncti cum fuerit extincta, necesse habet heres iterum possessionem apprehendere per eam aditionem, & sic erit noua possessio, & non vetus, quæ erat apud defunctum iam extincta. Aditio autem operatur hunc effectum, vt bona apprehensa dicantur heredis propria, ita quod hereditas non amplius repræsentat personam defuncti, quem repræsentabat ante aditionem, *ex Paulo de Castro l. Heres 22. de Vsucapt.* & post aditionem fit patrimonium adeuntis, nec amplius dicitur hereditas, *l. Sed si plures §.*
21 *Filio impuberi ff. de Vulgar. & pupill. l. Eius, qui in Prouincia §. fin. ff. si cert. pet. Bard. in Rub. ff. solut. matrim. p. 4. num. 19. & 20. Modernus Barbosa ad Auth. Ex testamento C. de secund. nupt. nu. 4.* sequitur ex his posse conuentui præiudicare, ac proinde talem aditionem esse nullam. Neque confectio inuentarij operatur, vt actus alias inualidus fiat validus, cum seipsum non possit habilitare; sed omnino sit necessaria licentia. Ita *Nauar. com. 2. de Regul. num. 65. fine Castrop. disp. 3. p. 5. num. 4. Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 37.*

Quæres 5. An monasterium delatam hereditatem adire possit non obstante ignorantia, aut repugnantia professi, ad quem hereditas dicitur delata?
23 Resp. Potest, quia tota potestas adeundi illam est penes Monasterium, & non apud professum, vt patet ex dictis, vnde parum refert ignorantia, vel repugnantia professi, quæ sicut non dat potestatem, ita nec tollere, aut impedire potest. Deinde religiosus est membrum, & pars Monasterij, ergo debet sequi maiorem partem aliorum, & cum illis concordare, & non contradicere in præiudicium Conuentus, cui benefacere debet, & non præiudicium illi afferre, ergo pro nihilo habenda est eius contradictio. Confirmatur,
24 quia sicut pater filio ignorante, aut contradicente potest adire hereditatem delatam filio, l. fin. C. de bonis, quæ liber. Ita Monasterium potest adire hereditatem delatam Monacho filio Conuentus. Nec obstat, quod filius sibi acquirat, non vero patri, quia sufficit comparatio in modo aquirendi, nam vterque aquirit per aditionem paternam naturalem, & spiritualem. Ita fere omnes cum *Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 40 referens plusquam quinquaginta Doctores Rodriq. tom. 2. q. 77. art. 1. cum suo Compend. resol. 72. num. 1. Castropal. disp. 3. p. 5. num. 5.* Qui dicitur procedere non solum in simplici hereditate, sed etiam in ea, quæ adiunctam habet emphiteusim, seu fideicommissum. Demum siue sit contentus, siue non, Monasterium potiri poterit hereditate, cum illius sit, non Monachi incapacis proprij. In huiusmodi causis laudabile est, & conueniens, professo cum altero religioso dare mandatum adeundi hereditatem, cum ipsius intuitu, & relatione dicatur aquiri Monasterio.

Quæres 6. An Superior possit cogere professum repugnantem consentire, vel adire hereditatem?
25 Res. Vtique, quia Superior ius habet præcipiendi ea, quæ sunt vtilitatis suo Monasterio. Ita præcitati *cum Sanchez. lib. 7. cap. 12. n. 41. cū Castropal. n.*

5. Et hæc compulsio licet non sit necessaria, est tamen vtilissima ad vitandas lites; & si enim opinio contraria sit valde debilis, & quasi improbabilis, facit tamen pro aduocatis, & litigatoribus, quibus adhærere non debet ob eius improbabilitatem.

Quæres 7. Quid si testator exprimat, vt professus institutus adeat hereditatem, aliter impeditus, succedat extraneus, seu aliud Monasterium?

26 Resp. In hoc casu Monasterium ne perdat, & sibi præiudicet, debet dare ei licentiam adeundi hereditatem, debet enim Superior consulere suo conuentui. Quod si testator vellet, institutum adire propria auctoritate, & independenter à voluntate Superioris, in eo casu conditio tamquam turpis vtpote contra votum paupertatis, & obedientiæ reijcienda est, & pro non scripta habenda est, vnde si non est expressa, præsumenda non est in testatore, cum vitium non sit præsumendum. Vide infra cap. 18.

Quæres 8. An aditio necessaria sit in legatis, & fideicomissis aquirendis?

27 Resp. Negatiue. *Ita Parisi us in cap. In præsentia, de probat. num.* 206. *Benedictus in cap. Raynutius il* 2. *Vers. Si absq. liberis, de testam. num.* 82. *ex illis Sanc. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 38. Aditis tamen illis, etiam sine licentia, tenet acceptatio, quia præiudicium ferre non potest, *ex Sanch. num.* 37. *Nauar. com.* 2. *de Regul. num.* 65. cum alijs.

Quæres 9. An hereditas, & legata repudiari possint antequam adeantur?

28 Dico Repudiari, & non Renuntiari, ex differentia lata inter vtrumque nam Repudiatio est abstinentia ab hereditate sibi delata, sed nondum adita, vnde habet pro obiecto aliquid querendum *ex l.* 1. *C. de repudiat. hered.* Renuntiatio vero est de iure quæsito restitutio, vt multis explicat *Rota part.* 6. *decis.* 323. *per totam, Ciarlin. cap.* 150. *num.* 21.

29 Resp. Non est prudentis hæc repudiare, nisi in casu quo hereditas, seu legatum probabiliter crederentur valde præiudicialia. Ratio, quia non agitur vtiliter negotium Monasterij, vt deberet fieri. Nihilominus facta repudiatio etiam à solo Superiore sine consensu legatarij, seu instituti, valet; peccat tamen contra iustitiam, cum priuet spe illius emolumenti Monasterium, institutum, seu legatarium, quando nulla subest causa repudiationis.

Prima pars de repudiatione facta à solo superiore probatur, quia de iure repudiatio locum habet in hereditatibus C. de repud. vel abstin. hered. ad

30 quod facit illud axioma, quod Prælatus potest præiudicare ecclesiæ in aquirendis, non in aquisitis, apud *Riccium par.* 1. *resol.* 82. *num.* 1. *& par.* 2. *decis.* 49. *Glos. V. meliorem cap. fin. de in interog. testat. & V. Non debet cap.* 2. *de donat. Sanch. lib.* 6. *disp.* 4. *num.* 12. *fine.* Non est autem necessaria solemnitas Paulinæ, neque Decreti de reb. eccles. non alin. quia repudiatio non est species alienationis, cum hæc sit abdicatio rei iam quæsitæ, & incorpotatæ Monasterio. Hereditas autem delata, sed nondum acceptata per aditionem.

31 non dicitur incorporata, cum per aditionem dicatur incorporari, & per acceptationem legatum, & licet legati dominium recta via transeat ad le-

32 gatarium *l. A Titior* 66. *ff. de furtis*, immo & aquiratur ignoranti, *l. Cum pater* 79. §. *Surdo ff. de leg.* 2. tamen vt habet Glos. *V. Recta via dicta leg.* 66. legatarius nunquam dicitur habere perfectum dominium, nisi per incorpo-

33 rationem factam illius apprehensione, & posita quoque aditione hereditatis. Ita communissima sententia *cum Bonac. disp.* 2. *de alienat. p.* 2. *num.* 33. *Ge-*

nuens

nuens in Practicab.q.151.Barbosa Alleg.95.num.51.Compend.Theatin.V.alienatio dub.8.Puteus lib.2.decis.519.Megal.in suo prompt.V.Repudiatio num.17.Sanch.lib.6.disp.4.num.11.& 12.Gratian.cap.568.à num.51.ad 66.

34 Secunda pars, quod peccet contra iustitiam, sine causa repudiando, probatur, quia ex officio suo Prælatus tenetur bene administrare, quod non facit refutando hereditatem. seu legata sine causa. Quare illatum damnum resarcire debet, *ex cap.quicunq.12.q.4.Ita docent Berous decis.44. num.14. Paulus Comitulus lib.1.Respons.Moral.q.85.Sanch.lib.6.cap.4.num.15.*

35 Notandum autem est, quod Prælatus non debet repudiare hereditatem, neque legatum relictum particulari religioso, maxime, in illis religionibus, in quibus non est confusio bonorum, sed vnusquisque professus recognoscit peculium sibi designatum, seu concessum à superiore, dum enim conuentus non potest suis religiosis in omnibus subuenire, debet eis indulgere, vt ex licita industria sibi reliqua necessaria comparare possint. Nec id est contra votum paupertatis, cum dicatur religiosus contrectare, & habere de licentia superioris; & cum eius officium sit prouidere indigentijs suorum subditorum, non potest eorum legata, & hereditates repudiare, sed eas adire debet pro eorum vtilitate.

Quare supradicta intelligenda sunt de relictis ipsis Monasterijs immediate, & etiam professis illorum ordinum, quorum bona confuduntur, & Monasterium illis de omnibus necessarijs prouidet. Quotidie procurantur reformationes religionum, sed inutiliter, quia defectus bonorum fortunæ, vt experientia docet, est in causa, ne reformatio sortiatur fortunæ, vt experientia docet, est in causa, ne reformatio sortiatur suum effectum, bona enim abundantia facit optimam obseruantiam, sublatio bonorum non potest inducere reformationem, sed potius allicere ad relaxationem, vt omnes modo experti sunt in nouis reformationibus suppressione Conuentuum, & subtractionem bonorum. Ego bonum non video finem in his religiosis, qui quærunt reformationem, non prætextu obseruantiæ melioris, sed vt hac occasione honores ambiant, & alijs dominentur.

Quæres 10. An mortuo professo, cui relictum siue ab intestato, siue ex testamento, Monasterium possit adire hereditatem?

36 Resp. Si professurus præmoriatur illis, quibus successisset ab intestato, si vixisset, nihil aquirit Monasterium. Quo vero ad relicta ex testamento, si testamentarius, vel legatarius moriatur ante testatorem, nihil agere potest; at vero post delatam hereditatem hoc est, post mortem testatoris monasterium, non obstante illius morte, potest adire hereditatem.

Prima pars ab intestato probata fuit Cap. 9. num. 43. quia solam spem transtulit in Monasterium, quæ cum ipso euanuit. Quod si prius moriatur parens, & deinde filius professus, antequam Monasterium quærat eius hereditatem, adhuc eam quærere potest, quia est dominus herædítatis ab intestato à puncto mortis parentis, à quo quasi continuatur dominium in veniente ab intestato *ex Instit.de hered.ab intestato* §.*Sui autem heredes*, eodem enim modo defertur hereditas ab intestato, quo defertur ex testamento, nempe morte.

37 Secunda pars, quod Monasterium non possit adire hereditatem nondum delatam præmortuo, cui defertur ex testamento patet, quia testamentum-

rumpitur moriente instituto ante testatorem, *Instit. quibus modis testam. infirm. §. Posteriore, l. Vn. C. de caduc. tollend. §. Et cum triplici* Vnde cum Monasterium nullum ius aquisierit in testamento, cum non sit, illud adire non potest. Ita *Vinus tom. 2. coram opin. de instit. num. 158. ex eo Barbos. ad l. fin. C. de Episcop. & cler. num. 14.*

Tertia pars, quod Monasterium eam adire possit post mortem professi in-
38 stituti morientis post testatorem, probatur, quia per eam delationem Monasterium immediate aquisiuit ius ad aditionem intuitu ipsius professi, qui cum Monasterio sub vnius nomine reputatur vnicus heres, firmata ergo delatione per vtrumque Monasterium adire potest hereditatem, non obstante, secuta morte professi, cuius persona non est necessaria ad hunc aditionis actum, vt patet ex dictis. Quod verum est respectu cuiuscunque hereditatis
39 siue à parentibus, siue ab extraneis delatæ. Ita *Rodriq. to. 2. q. 77. art. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 87. Sanch. lib. 7. cap. 12. nu. 47. Castropal. disp. 3. par. 5. nu. 6. Gabriel lib. 1. consf. 121. num. 21. apud Rotam par. 6. decis. 215. num. 6.* vbi lite etiam pendente transmittitur hereditas suorum.

Contrarium, quod Monasterium non possit adire hereditatem delatam, professo instituto postmodum mortuo, docent nonnulli Legistæ cum Bartolo allegati à Sanchez num. 44. probantes *primo*, qui a licet Monachus comparetur filio familias in aquisitione, quia id est Monasterio vtilius, tamen cum filius non trasmittat hereditatem nondum aditam nisi suorum ascendentium,
40 non autem extraneorum nisi infans, *l. Si infans C. de iure deliber.* neque professus poterit transmittere hereditatem extraneo, nec Monasterium eam adire. Si professus comparetur seruo, Monasterium non poterit eam adire,
41 quia nec dominus mortuo seruo potest adire hereditatem seruo relictam, l. 3. ff. de hered. instit. *Secundo* hereditas in tantum defertur Monasterio nomine professi, in quantum eius velle suum non est, sed in Monasterium hæres solum viuente ipso, ergo eo mortuo, Monasterium caret illo velle, sine quo non potest adire hereditatem licet delatam.

42 Resp. Monasterium in adeunda hereditate non vti iure transmissionis, sed iure legali, quo professione posita, Monasterium aquisiuit omnia eius iura ad aquirendum quodcumque, quæ à se abdicauit, & transtulit in Monasterium. Et sic tollitur primum argumentum cum Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 47. concludente, in hoc casu professum non comparari nec cum filio, nec cum seruo. Secundum destruitur, quia voluntas professi adfuit in ipsa delatione,
43 quod sufficit, non necessaria in actu aditionis, cum ipso etiam repugnante adiri possit à Monasterio, vt dictum fuit sub q. 5. vel dic, eam priorem voluntatem perseuerare virtualiter cum voluntate Monasterij, dum ambo pro vno instituto reputantur.

Aduertit idem Sanchez num. 50. opinione contraria admissa, tunc posse
44 Monasterium vti remedio restitutionis in integrum, quia censetur læsum non ex morte professi, sed ex negligentia superioris. Sed opinio contraria non videtur vrgere, quia ex ea sequitur absurdum, nempe professum ex actu aditionis propria auctoritate esse proprietarium, quod repugnat statui religioso, ergo ea opinio parum aut fere nihil probabilitatis habet, dum fouet actus proprietatis in Monacho.

Quæres 11. An statutum excludens ingressuros à successione sit iniquum, & in-

& inualidum? Solent huius generis ſta tuta concipi à laicis poteſtatibus terminis tantum laicalibus comprehendentibus proprios ſubditos vtendo exquiſitis verbis, ad effectum ſubterfugiendi cenſuram eccleſiaſticam, quam nihilominus incurrunt, quia prauum finem habent, ne eccleſiæ locupletentur, dum ipſi hac ratione ditiores fieri exoptant.

45 Reſp. Hæc ſtatuta ſunt iniqua, & inualida. Iniqua quidem, quia auferunt ingreſſuris ius, quod habent à iure communi l. fin. C. de Epiſc. & Cler. ſuccedendi ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento. Conſequenter etiam eiſdem tollunt iura ſuitatis, & ſanguinis, per quæ iure neceſſario ſuis ſuccedunt. Magnum quoque inferunt præiudicium Monaſterijs impeditis, ne vtantur iuribus ipſius ingreſſi, quæ profitendo Nouitij transferunt in Monaſterium, dum priuantur per huiuſmodi ſtatuta. Ex his patet eorum iniquitas.

46 Nullitas vero probatur. Tum quia ſunt directe contra ius Canonicum, cap. Quia ingredientibus 19. q. 3. diſponendo, vt omnia bona, & iura, de quibus Nouitius non diſpoſuit, tranſeant in Monaſterium, dum talis tranſitus

47 prohibetur huiuſmodi ſtatutis. Tum quia laica poteſtas inualide ſtatuit contra eccleſiaſticam libertatẽ *l. caſſa 13. C. de ſac. ecc. c. Eccleſia 10. de conſt. Grammaticus deciſ. 100. num. 7. Perez in Rubr. tit. 2. Gloſ. 1. verſ. quæri poteſt lib. 8. ordinat. Mor la in empor. iuris par. 1. tit. 1. q. 16. Caldas Pereira de nomin. emphit. q. 12. num. 22.* Non eſt dubium hæc ſtatuta eſſe contraria libertati eccleſiæ - dum per ea Monaſteria priuantur iure aquirendi bona ingredientium Et ita in his terminis Megal. l. 2. lib. 2. cap. 27. num. 36. & 37. vbi ſub ext ndit Bullam Pontificiam Clementis VIII. reuocantis ſimile Statutum Ciuitatis Ferrariæ. *Bartol. lib. 1. conſ. 1. & ex eo Bernard. Landrianus Mediol. apud Gatticum Dominicanum in ſua Catena Aurea de immun. eccl. vol. 1. fol. 349. Ioannes Paulus Nazarius cremon. ordinis S. Dominici apud eundem Gatticum vol. 2. fol. 547. ibidem à fol. 564. Alexander Moneta Mediol. in.* ambo contra Statutum Mediolan. excludens Monaſteria à ſucceſſione.

Quæres 12. An Monaſterium ſit preferendum extraneis, & tranſuerſabilibus.

48 Reſp. Vtique in cauſa filij profeſſi, quia diſponens præſumitur magis diligere Monaſterium, quam extraneos, & etiam collaterales, dicit enim S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 7. & 8. quod ordo caritatis poſtulat, vt plus diligamus nobis coniunctos, quam alios, ſed profeſſus eſt magis coniunctus Monaſterio, quam ſuis collateralibus, & à fortiori extraneis, cum quibus nullam habet coniunctionem, eſt enim profeſſus filius Conuentus, membrum, & pars illius, & non illorum, ac proinde ex hac coniunctione præſumitur diligere magis Monaſterium, quam alios præfatos. Ita alijs citatis Paſqual. quæſt. 283. num. 5. Vnde pleriq; apud Sperellum deciſ. 153. num. 2. dicunt, Monaſterium ex perſona ingreſſi excludere ſubſtitutum, quia teſtator præſumitur Monaſterium non minus diligere, quam filios heredis inſtituti dilexiſſe, & ideo ſicut filios inſtituti prætuliſſet ſubſtituto, ita illis deficientibus, vel non extantibus, præpoſuiſſet Monaſterium. Vide ſupra cap. 8. à nu. 116. ad 136.

CAPVT XII.

Cuiusnam sint bona transeuntium ad secunda vota?

1 *Vocatio prima permanens suadetur ab Apostolo*
2 *Transitus ab vno ordine ad alium perficitur professione.*
3 *Transitus ad strictiorem necessario petit licentiam, sed non eius obtentionem,*
4 *Quæ solum est necessaria cum sit transitus ad laxiorem, vel æqualem.*
5 *Nouitius professionem transit sub dominium, & p ossessionem superioris.*
6 *Licentiam transeundi dat etiam superior localis,*
7 *Licentia ad laxiorem petitur à Papa.*
8 *Bonorum varia sunt discrimina.*
9 *Prima opinio docet professum transire cum omnibus bonis suis.*
10 *Secunda, proprietatem remanere, & solum vsumfructum transire,*
11 *Tertia, nihil transire, sed omnia remanere in priori conuentu.*
12 *Adoptatus alitur ab adoptante.*
13 *Relicta testamento non transeunt, licet relicta sint intuitu personæ.*
14 *Liuelli, & annui redditus transeunt cum persona.*
15 *Relictum cum conditione, ne monasterium se ingerat transit.*
16 *Legatum semel soluendum tansit*
17 *An transeat dispositio conditionalis!*
18 *Conditio alia casualis, alia potestatiua.*
19 *Cur bona ex contractu statim aquirantur, non ex testamento*
20 *Relicta contemplatione monasterij non transeunt, sicut relicta contemplatione personæ.*
21 *Quid sit relinquere illis modis!*
22 *In dubio relictum dicitur contemplatione monasterij,*
23 *Quæsita ex industria non fert secum.*
24 *Manuscripta sua secum portat.*
25 *Libros vero nequaquam.*
26 *Nec pecuniam, aut vestes nisi necessaria ad transi*
27 *Triplex tempus in hereditate spectandum est.*
28 *Spes sola transit ad secundum monasterium.*
29 *Hereditas delata, licet non adita, non transit.*
30 *Hereditas delata primo non potest adiri à secunda.*
31 *Dominus non potest adire hereditatem sine consensu serui.*
32 *Hereditas sola delatione dicitur aquisita, & aquisitio perficitur aditione.*
33 *Transiens ab incapaci ad capacem nihil secum fert.*
34 *Responsum S.C. quod translatus ad capacem non recuperat.*
35 *Transfert solum spem ex testamento, & ab intestato.*
36 *Spes successionis non obstat voto quandiu remanet sine aquisitione*
37 *Testamentum factum tempore inhabilitatis professi valet suis.*
38 *Tempora tria spectantur in aquirenda hereditate extraneis, non suis.*

39 Ex-

39 ***Extraneus institutus heres tempore inhabili non habet hereditatem factus habilis.***
40 *Licentia Papæ ad transeundum, non est ad recuperandum.*
41 ***Ius tertio quesitum non tollit Papa sine expressa mentione.***
42 *Dispensatio non retrahitur in præiudicium tertij.*
43 *Bannitus habilitatur ad bona, non religiosus, & cur.*
44 *Hereditatem adire potest debitam in seculo à Capucino facta Dominicano.*
45 *Ius adeundi hereditatem stare potest cum professo ordinis incapacis, cum solo habitu, sine actu.*
46 *Substitutus tempore incapacitatis fit capax in alio ordine, si tunc grauatur moriatur.*
47 *Sufficit, quod grauatus superuiuat, dum est professus substitutus in posteriori conuentu capaci, licet testator antea sit mortuus.*
48 *Reseruatio bonorum in casu transitus ad conuentum capacem valet.*
49 *Statum excludens fœminas fauet Capucino translata, si non adiuit.*
50 *Capucinus præteritus à parente rumpit testamentum translatus.*
51 *Capucinus institui potest heres pro eo tẽpore, quo erit professus in ordine capaci*
52 *Bona transeuntis à capaci ad incapacem, remanent in capaci.*
53 *Bona existentis in conuentu incapaci aquiruntur venientibus ab intestato.*
54 *Professus aquirit conuentui suæ professionis, quamuis moretur in alio.*
55 *Translatus in anno probationis aquirit priori conuentui, si est capax aliter venientibus ab intestato.*
56 *Monialibus applicantur dicta de iuribus religiosis.*
57 *Dotem secum defert quocunq. vadit.*
58 *Non vero translata, vt regimen habeat.*
59 *Testandi licentiam dare potest Papa.*
60 *Sed non reuocandi testamentum.*
61 *Transfertur ius presentandi.*
62 *Transfertur vsusfructus.*

1 PAulus Apostolus scribens ad Corinthios in sua prima Epistola cap. 7. n. 20. fideles sic hortatur, *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. Ratio est, quia omnis vocatio à Deo procedens, bona est, & eam acceptans errare non potest, quia Deus neminem decipit. Nec obstat transitus ab vna ad aliam religionem, siue fiat ascendendo à laxiori ad strictiorem, vel descendo à strictiori ad laxiorem, modo fiat bono fine, & ex causa, non ex animi leuitate, aut passione, vel aliquo interesse, iuxta doctrinam sacrorum Canonum, *ex cap. Mandamus* 2. *cap. Statuimus* 3. 19. *q.* 3. *& cap. Virgines* 1. 20. *q.* 4. *cap. Sane* 10. *cap. Licet* 18. *de Regular.* Quoniam autem in hoc capite agendum est, an bona quæsita primo Monasterio, cum professo transeant ad secundum Monasterium alterius ordinis, ideo aliqua sunt premittenda circa licitum, & validum transitum, vt discerni possit, cuiusnam sint bona transeuntis.

2 Vt ergo valeat transitus ad secunda vota, & professus dicatur cum effectu transisse, necesse est, quod professionem emittat in secunda religione, per eam enim incorporatur, & fit membrum secundæ, & à priori excorporatur, nam sicut Nouitius fit religiosus eius ordinis, cui nomen dedit, per professio-

nem,ita noua professione fit religiosus alterius,cui tota nuncupat,nam primo voto desinenti succedit posterius in alio ordine.Et in hoc nulla est difficultas omnes ita docentes,*cum Miranda t.1.q.31.art.21.cum alijs Barb.ad hoc c.n.25.*

3 Præterea vt huiusmodi professio fit valida respectu transeuntis ad arctiorem, requiritur petitio licentiæ, eius tamen obtentio non est necessaria,*cap. Licet 18.de Regul.S.Thom.2.2.q.89.art.4.Rodriq.tom.3.q.52.art.3.Barb.hic nu. 2.* Quod si licentiam non petijt, reuocari potest, ex allegatis à Barbosa,num. 31. quod arguit, professionem non tenuisse, si enim esset valida, non posset reuocari, quia non amplius esset eius subditus ex illa excorporatione facta per secundam professionem va lidam ,ex adductis *à Sanch. lib.6. cap.7. num. 89.& 96.*

4 Ad valorem vero professionis ad laxiorem, vel æqualem non solum est necessarium petere licentiam, sed etiam obtinere illam, vt id esse manifestum

5 docet Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 93. Ratio huius, & præcedentis conclusionis est, quia professione prima Nouitius se constituit sub dominio, & possessione superioris,*Glos.V.Possidere, cap.Non dicatis 11.12.q.1.& alijs allatis à Merlino decis.18.num.*11.Vt ergo se eximat ab eodem licentiandus est, vt egitima professione posit se subijcere alteri. Confirmatur, quia licentia lest de valore huiusmodi actus,*ex Auth.Licentiam C.de Episcop. & cler. Sanch. lib. 3. disp.35.num.*18.Nam idem numero in solidum à duobus dominis possideri non potest,*l.Sicut certo 5.§.Si duobus vehiculum ff.commod.*ergo si vult transiri à primo ad secundum, vt fiat sub eius dominio, necesse est, quod per licentiam se eximat à primo.

6 Hanc autem licentiam transeundi quilibet superior localis dare potest ad formam Decretorum de Eiectis,nempe si transiturus exhibeat fidem beneuoli receptoris. Et in hoc omnes conueniunt de iure communi, nisi obstet aliquod ordinis statutum,quod tunc obseruandum est.

7 Volenti vero transire ad laxiorem necessaria est licentia Pontificis,quia hæc præsefert aliquam speciem dispensationis ex maiori obligatione contractu in professione strictiori . Quamuis probabilis sit opinio asserentium,iuxta existente causa posse superiorem regularem dare hanc licentiam *ex allatis à Sanchez lib.6.cap.7.num.42.&* 44.Nulla vero existente iusta causa solius est Papæ dare hanc licentiam,vt omnes docent *cum Rodriq.tom.3.q.52 art.10.Miranda tom.1.q.31.art.5.Gratian.cap.434.num.6.Peyrin.q.1.de subd.cap.24.concl.6.cum alijs Barb.ad cap.Licet,num.27.*

Notandum autem est pro intelligentia dicendorum, cum hic sit inquirendum, cuiusnam debeant esse bona quæsita per professum,prioris ne, an posterioris conuentus alterius ordinis,ad quem transit excorporatus à priori,in sequentibus sermo erit tantum eorum conuentuum, qui sunt capaces bonorum,nam inter incapaces procedere non potest quæstio, dum ambo carent bonis,vnde quæstio fieri nō potest inter Capucinos,& Obseruantes,quia eorū Monasteria bona non possident.Potest vero esse difficultas si transitus fiat ab incapaci ad capacem,vel è contra pro annoNouitiatus,vt infra patebit in propria quæstione.

8 Obseruandum est,bona,quæ Monasterio aquiruntur,spectari posse ex triplici tempore,vel ante professionem,vel ex tempore professionis,vel post professionem. Quæ Monasterio aquiruntur ante professionem sunt in triplici differentia;

rentia; sub prima continentur bona, quæ Nouitius ex testamento, seu donatione tradit Conuentui. Sub secunda continentur bona; quæ Nouitius sibi reseruat ad vsum post suam professionem, vt sunt annui census, pensiones, seu liuelli, qui singulis annis illi soluuntur à consanguineis, vel alijs, aut etiam à Conuentu, qui capitale habuit. Sub tertia comprenduntur certa bona semel danda professo pro tali tempore, vt cum Missam primam cantabit, vel doctorabitur &c.

Quæ vero tempore professionis, seu ex vi professionis aquiruntur, Conuentui, vel de præsenti sunt aquisita, quia actu erant sub dominio profitententis, vel quærenda, quia sunt in spe mortis futuraq; eius, qui bona possidet, vt sunt bona consanguineorum; vel talia bona, quæ sunt sub dominio Conuentus, sed alijs obligata, vt substituta, & fideicommissa, alijs restituenda.

Tertij generis bona sunt ea, quæ religiosus iam professus quærit Monasterio ex sua industria, ex labore, pictura, cantu, lectura &c. vel spirituali prædicationis, administrationis Sacramentorum, &c. De his omnibus quærendum est an transeant cum professo in secundum Monasterium.

9 Suppono de huiusmodi bonis in communi, & indistinste triplicem esse opinionem. Prima dicit, omnia bona quo ad proprietatem, & vsumfructum transire cum professo in secundum Conuentum, quam probabilem faciunt decem octo Doctores relati *à Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 2. & Barbosa ad cap. 3. de cler. coniug. num.* 4. vbi glos. princeps huius opinionis habetur, & probatur, tum quia transeunt ex vi professionis cum ea tacita conditione, vt sint Monasterij, quousq; in eo perseuerauerit. Tum quia bona sunt accessoria personæ, dum ea tacite intulit ex vi professionis, ergo personam sequuntur. Hæ duæ rationes sunt Glosæ, quæ loquitur de tacite illatis, non de datis expresse, & sic ante professionem.

10 Secunda opinio tenet, proprietatem remanere apud Monasterium primum, vsumfructum vero transire cum professo ad secundum Monasterium, ne huic Monasterio sit onerosus, & ita docent vndecim citati à Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 7. aliqui limitantes, si posterior Conuentus est inops, & hæc opinio fundatur in cap. *De lapsis 16. quæst. 6. cap. Si quis irapuerit 27. quæst. 5. & Auth. de Sanct. Episcop. §. penult.* dicentia talem professum alendum esse ex bonis prioris Conuentus, ne illi sit onerosus.

11 Tertia sententia, quæ est magis communis docet, omnia transeuntis bona remanere in priori Conuentu, & habet pro se multo plures, nempe viginti nouem, quos pro se nnumerat *Sanchez lib. 7. cap. 32. num.* 8. Quibus adde Mirandam *tom. 1. q. 31. art. 24. Megalium l. 2. lib. 2. cap. 27. num. 38. Portellus V. Bona transf. Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 13. cum alijs Ponatum par. 2. tract. 5. q. 57. num.* 1. Probatur exprese ex Auth. de Monachis §. *Si vero relinquens Monasterium, in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat, etiam si quidem eius substantia maneat, & vendicetur à priori Monasterio, vbi abrenuntians hec reliquit.* decisio hæc clara est, ergo transiens nihil secum deferre potest. *Secundo*, quia nullo iure probatur, bona sub conditione perseuerantiæ illata fuisse in primum Conuentum, cui nec obstat, illa esse accessoria personæ, quia absolute illata sunt in primum Conuentum, cui absolute dedicata fuerunt ex Auth. Ingresi, & hoc argumentum tollit fundamentum primæ sententiæ. *Tertio*, secundo Monasterio

non dicitur onerosus, dum illi inseruit, & libere receptus fuit cum obligatione illum alendi, & sic tollitur fundamentum secundæ sententiæ cuius auctoritates loquuntur de transmissis causa pænitentię,quos sequuntur aliena ta ne sint onerosi conuentui. *Quarto* adoptans extraneum sibi in filium, is,
12 non pater naturalis, tenetur alere, l. Onera ff. de adopt. ergo similiter secundus Conuentus tenetur alere professum, primus vero ad nihil, dum se eximit ab eius dominio.

Ex his opinionibus sequar tertiam relictis duobus prioribus, quia firmioribus rationibus firmatur, & vitium proprietat is magis, extirpatur, cui videntur fauere priores opiniones, dum per transitum bonorum cum persona videatur supponi aliqua proprietas in persona secum deferenre bona, quasi non fuerint priori conuentui appropriata, & incorporata, atque sua non facta, adhuc sub dominio ipsius profitentis.

Sed quoniam varia rerum,& bonorum per Nouitium inseruatur in priori conuentu videndum est, an aliquid secum transire possit in posteriorem.

Quęres igitur primo,an quæsita Monasterio per testamentum,aut donationem intuitu ingressus, vel aliter ante vel post professionem, ita sint propria illius,vt nequeant transire ad posteriorem?

13 Resp. Nequaquam transeunt nec quo ad proprietatem, nec quo ad vsumfructum,contra primam,& secundam opinionem,quia illi absolute, & simpliciter sunt aquisita,licet intuitu personæ,quæ cum professione inhabilitetur ad agendum, illa secum trahere non potest, quocunque vadit. Ita omnes allegati in tertia opinione,quos etiam recenset *Barbosa in cap. Quod à r e,de cler.coniug.cum Castropal.disp.3.de obligat.relig.p.17.§.2.num.2.Portell.V.Religiosi bona transf.Bonac.q.2.de clauf.p.9.§.4.diffic.2.Pellizar.tract.3.cap.5.num.*153.

Quæres 2.An liuelli,& annui redditus, quos Nouitij sibi reseruarunt in suis renuntiationibus pro occurendis suis indigentijs transeant cum ipsis ad posteriorem conuentum?

14 Resp. Transeunt cum professo in posterius Monasterium, quia talium vsusfructus est proprie accessorius, & ambulatorius cum persona quocunque vadit,dum respicit propriam eius indigentiam,vnde habent adnexam eam tacitam conditionem, *si permanebo in hac religione*. Confirmatur, quia isti liuelli sunt vitalitij, ergo sunt in consequentiam personæ eius durante vita. Ita *Sanchez lib.7.cap.13.num.6.Bonac.q.2.de clausura p.9.§.4.diff.2.num.9. Peyrin. de Trælato q.3.cap.1 nu.* 213. Procedit si solutio fiat à parentibus vel alijs extraneis religioso professo. Vel etiam si soluatur à Monasterio, quod habuit capitale,quod post eius mortem remanet in priori conuentu, & in posteriori transeunt solum fructus pro vtilitate Monachi,dum in eo viuit,& ita practicatur.

Quæres 3. An secum deferat sibi derelicta cum ea conditione, ne Monasterium in illis se ingerat?

15 Res.Transeunt in posteriorem conuentum quo ad proprietatem,& vsumfructum,quia satis est expressa mens testatoris,vt sequantur professum quocunq; vadit Ita Megalius *l.2.lib.2.cap.27.num.*48.*Donatus par.2.tract.5.q.61. num.3. Sanchez lib.7.cap.32.num.*14.*Pellizar.tract.3.cap.5.num.*167.*Bonac.de cluaf.q.2.p.9.§.4.Diffic.2.num.*11.

Quæres 4. An transiens secum ferat legatum semel soluendum, dum cantabit

bit primam Missam, vel promouebitur ad lauream doctoratus?

16 Resp. Affirmatiue, quia hoc nullo modo aquisiuit prior conuentus, dum conditio nondum fuerit purificata, ac proinde reseruatur posteriori, conuentui, si in eo purificabitur conditio. Confirmatur, quia in his attenditur tempus adimpletæ conditionis, tunc enim aquiruntur. Ita *Bonac. cit. num.* 21. *Vers. Secundo Sanch. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 42. *&* 43. Patebit magis in sequenti.

Quæres 5. An dispositio conditionalis, & non pura, aquiratur secundo Monasterio, quando adimpletur conditio post professionem transeuntis? An vero sit prioris?

17 Resp. Si conditio est casualis, hoc est, independens à voluntate hominis; vt, promitto sibi censum si cras pluuet, si nauis venerit ex Sicilia &c. in promissionibus, donationibus, & contractibus pertinet ad priorem conuentũ si vero est
18 conditio potestatiua, quæ scilicet potest adimpleri ab homine, tunc sequitur secundum Monasterium, si ante professionem in secundo non fuit adimpleta conditio adiecta testamentis, & Legatis. Ratio vtriusque est, quia in casualibus ad aquirendum attenditur tempus initæ dispositionis, in potestatiuis vero attenditur tempus adimpletæ conditionis, ergo bona disposita sub conditione casuali sunt aquisita priori conuentui, alia vero sub conditione potestatiua aquiruntur posteriori. Primum colligitur *ex leg. Si filius familias* 78. *ff. de verb. obligat. & l. Quæ legata* 18. *ff. de regul. iur.* Vnde conditio casualis dum adimpletur retrotrahitur ad tempus initi contractus, *l. Qui balneum* 9. *& l. Potios* 11. *ff. Qui potior in pignore habeat*. Ita allegati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 42. & 43. Secundum colligitur ex l. Si cum heres 4. ff. quando dies leg. ced. Ita docent Archid. *in cap. Vn.* 18. *q.* 1. *Cardin. in Clem. fin. de elect. q.* 16. *num.* 18. *Couar. de testam. cap.* 1. *num.* 20. *Natta vol.* 1. *cons.* 180. *num.* 5. *Rodriq. tom.* 2. *Summæ cap.* 31. *num.* 10. *cum alijs Sanchez num.* 41. Pelliz. tract. 3. cap. 5. *num.* 169. *Bonac. q.* 2. *de clauſ. p.* 9. *§.* 4. *Diffic.* 2. *nu.* 21. *vers. Idem dicendum Castropal. disp.* 3. *de obligat. relig. p.* 17. *§.* 1. *num.* 13. Vbi assignat differentiam, cur
19 in contractibus ab initio promissum aquiritur, non autem in testamentis, nempe, quia ex testamento nullum ius aquiritur instituto, & legatario nisi post mortem instituentis, cum ante possit variare, & mutare voluntatem, ex contractu vero statim aquiritur ius ad bona cum non possit resilire à promissione, ideo ad aquirendum non est necessarium expectare euentum conditionis, nisi in apprensione bonorum.

Quæres 6. An bona prioris Monasterij quæsita titulo professionis, & ingressus ex Authentica *Ingressi*? transeant cum professo in posteriorem conuentum?

20 Resp. Sunt prioris illata tamen contemplatione Monasterij? non vero si sint relicta contemplatione professi, quæ cum eo transeunt in posteriorem conuentum. Probatur vtrumque ex differentia vtriusque nam relicta contemplatione Monasterij dicũtur absolute & simpliciter relicta iuxta dicta q. 1. ideo cũ nullum dicant respectum ad secundum, non est, cur transeant ad illud. Relicta vero contẽplatione professi cũ ipso transeunt, quia non erant perfecte aquisita priori conuentui, sed tantum sub conditione, *si in eo permanserit*, ipsum igitur professum ad secunda vota transeuntem sequuntur bona, cum sint relicta in eius vtilitatem. Ita omnes cum Romano *in l. Si seruus eius ff. de aquir. hered. nu.* 6. *Tapia in Auth. Ingressi cap.* 6. *nu.* 12. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 32. *nu.* 41.

21 Du-

21 Dubitatur quandonam dispositio dicatur facta contemplatione Monasterij,an personæ? Resp. Tunc dicitur contemplatum Monasterium non persona, quando nulla fit mentio de commodo, vtilitate, alimentis, aut subleuanda indigentia personæ. Tunc vero dicitur relictum contemplatione personæ,quando dispositio exprimit relictum fuisse in commodum,& vtilitatem persone ad subleuandam eius indigentiam, vel quod Monasterium non se ingerat in
22 huiusmodi bona. Vide *Bonac.q.2.de clauf.p.9.§.4.Diffic.2.num.*10. Vbi in dubio præsumitur esse Monasterij. Quare vbi non est institutus consanguineus,dispositio dicitur facta contemplatione Monasterij,vt creditur etiam, cum Monasterium venit ab intestato, tunc bona sunt Monasterij simpliciter, & non transeunt, quia non potest dici considerata persona, sed ipsum Monasterium,quod iure legali succedit ab intestato intuitu professi viuentis,iuxta dicta cap.præced.q.1.

Quæres 7.An secum transferat quæsita ex industria e.g.legendo predicando &c.præsertim si ex illis creauit censum,liuellum,&c.

23 Resp. Negatiue, quia hæc absolute,& simpliciter quæsiuit suo Monasterio, dum de illius licentia peculium lucratus fuit, & pariter de eius consensu censum constituit. Ita omnes *cum Miranda tom.1.q.31.art.fin.Portellus V. Religionis transitus* secundum tertiam sententiam, quæ negat omnium bonorum perfecte quæsitorum priori Monasteriotransire ad posterius,*cum illis Donatus par.2.tract.5.q.61.num.7.Pelliz.tract.3.cap.5.num.*153.

Queres 8.An Manuscripta propria secum deferre possit? An remaneant in priori conuentu?

24 Resp. Sequuntur personam,in illis enim duo spectantur scriptionis certa, & partus mensis, id est principale, illud accessorium, sed principale est proprium ipsius professi, ergo quo vadit principale,eo tendit accessorium. Ita docent *Valerus V.Munera num.*106.*& V.Religiosus diff.8.num.2.Caramuelis in Reg.S.Benedicti num.831.quos recenset Diana par.1.tract.6.resol.*25. Alij cum Nauar. *Rodriq.Sanchez lib.7.cap.32.n.*13.dicunt,transferre,quando Manuscripta sunt inutilia priori Monasterio.Sed magis placet respõsioCaramuelis,quę est speculatior. Confirmatur, quia ex eorum amissione magnam incurreret iacturam, sunt seminarium memoriæ conseruatiuum ergo memoriam sequi debent.

Quæres 9. An libraria ad proprium vsum destinata ex peculio propria industria quæsito empta transeat cum ipso professo?

25 Resp.Negatiue,quia super illam certum ius absolutum quæsitum fuit priori Monasterio,quod illi nullatenus anferendum est. Ita tenere debent Auctores tertiæ,quæ negat transitum quarumcunq. rerum in secundum Monasteriũ. In terminis Portell.*V.Religionis transitus.Suar.tom.lib.6.de Voto cap.13.num.2. & ex illo Pelliz.tract.3.cap.5.num.*154.

Quæres 10. An secum portare posit pecuniam, quam habet ex consuetudine sui ordinis.

26 Resp. Non potest, nisi de licentia saltem præsumpta sui superioris,quia illius dominus non est, sed Monasterium. Quare si petitam pecuniam pro transitu superior deneget, vti negatio illicita, & iniusta poterit secum afferre eam pecuniam, quæ necessaria est ad iter agendum, victum, & vestitum emendum in secunda religione, non enim solent recipi cum expensis po-

sterio-

Retioris, cuius superiores dicere possunt, eme de pecunijs tui ordinis vestitum, quia sufficit liberalis receptio extraneorum. Dum ergo superior dat licentiam transeundi censetur ei concedere tot pecunias, quot sunt necessariæ ad ingressum. *Rodriq.tom.2.qu.79.art.2.fine. Sanchez lib.7.cap.32.nu.* 13. limitant, quod nihil secum deferre potest, præter solas vestes, & has quidem ex tacita licentia, quippe concedens facultatem ad transitum, censetur concedere ea omnia, sine quibus transitus fieri non potest, l. pen. ff. de vsufr. Ego autem subinfero, quod respondi, etiam aliquas pecunias esse necessarias, sine quib. non potest obtinere suum intentum, dum superior secundi ordinis non vult recipere, nisi sibi emat vestes &c.

Quæres 11. Vtrum hereditas cum professo transeat ad secundum Monaste-
27 rium? In ea potest spectari triplex tempus. Primum, dum est in spe, quando scilicet testator nondum est mortuus. Secundum à puncto mortis, cum hereditas dicitur delata. Tertium deniq; cum post mortem auctoris aditur. Quæstio procedit siue hereditas procedat ex testamento, siue ab intestato, & quando supponitur pertinere ad Monasterium contemplatione ipsius Monasterij.

28 Resp. Spes hereditatis sequitur professum in secundo conuentu spectata pro primo tempore; remanet vero in priori conuentu pro secundo tempore, & pro tertio tempore pariter, adeo quod sola spes transit cum professo in secundum conuentum.

Primum de spe transeunte probatur, quia per eam nihil primo conuentui fuit aquisitum, cum ea spes pendeat à morte patroni non sortiens effectum, nisi tempore mortis patroni, ergo nihil prohibet, quin transeat. Ita Glos. V. Restituat cap. V. n. 18. q. 1. Quia ea spes veram non dat aquisitionem, quæ à morte auctoris pendet, euanescit ergo spes, quæ pendebat ab illo professo, qui amplius non est in eo conuentu, vbi desijt esse per nouam professionem in posteriori.

29 Secundum, quod non obstanre defectu aditionis remaneat in priori monasterio, probatur, quia illi absolute aquisita fuit in ipso mortis testatoris puncto independenter ab actu aliquo ipsius professi, sine quo adiri potest ex probatis cap. præced. q. 3. ergo cum super eam nullum ius relictum sit professo, per eum transferri non potest in secundum monasterium. Ita *Abbas in cap. In præsentia, de probat. num. 77. ibidem Berous num. 560. Couar. cap. 1. de testam. num. 21. Molina lib. 1 de primog. cap. 13. num. 36. & 37. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 88. ex illis Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 18. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 8. Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 17. §. 1. num. 3. Donatus par. 2. tract. 5. q. 69. Ego resol. 29. q. 27. num. 88. & de profess. regul. cap. 13. q. 41.* solam ergo spem secum portat, si nondum mortuus est patronus.

Quæres 12. An primo conuentu hereditatem non adeunte secundus illam adire possit, & suam facere?

30 Resp. Non posse, quia ius plenum iam aquisitum est priori Conuentui, ergo posterior nulla ratione eam adire potest, vt patet ex mox dictis. Et ita tenent omnes præcitati cum eodem *Castropal. num. 5. Pellizar. tract. 3. cap. 5. num. 159.*

Contrarium, quod ea hereditas nondum adita, à secundo monasterio adiri possit, tenent plerique cum Bartolo relati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 17. eo quod monasterium sine facto monachi non potest adire hereditatem, in hoc enim

31 enim comparatur seruo, cuius dominus sine ipso non potest adire hereditatem dum mutauit alium dominum, *ex l.2.§.si duo Vers.si seruus ff. de bonor. possess.secund.tabul.* Ratio est, quia magis inspicitur tempus aditionis, quam delationis *ex Instit.de hered.qualit.§.In extraneo*; sed tempore aditionis amplius non est ille religionis prioris religionis, dum exfiliatus est filius posterioris per nouam professionem, ergo.

32 Resp. Aquisitionem hereditatis ipsa delatione esse obtentam, perfici vero, & absolui per aditionem, faciendam ab eo, qui iam ius aquisitionis obtinuit, excluso quocumque alio. Ad aliud de seruo dico esse disparem rationem, quia sine consensu serui nullus dominus, nec primus, nec secundus potest adire hereditatem, vtique monasterium sine consensu monachi, quia per solam delationem omne ius aquisiuit in hereditate.

Quæres 13. Quid dicendum si fiat transitus à religione incapaci ad capacem; an aliquid secum transferat in capacem?

33 Resp. cum nihil detulerit facto suo, nec ex vi professionis in religionem incapacem, nec quidquam deferre potest in capacē, quia nemo dat, quod non habet. Confirmatur id, quia bona profitentis tunc aquiruntur ijs, quibus renuntiauit, vel aquiruntur venientibus ab intestato. Ita docent omnes *cum Sanch. lib.7. cap. 32. num. 20. Donatus par. 2. tract. 5. q. 67.* quia non datur actio in ius extinctum, referendo declarationem S. C. factam 17. Iunij 1617. his verbis *Sacra Congregatio &c. censuit, si orator in religione incapaci, nulla facta dispositione bonorum, validam professionem emiserit, bona ipsa fuisse aquisita venientibus ab intestato, ac proinde, nec successioni secundæ religionis capacis, ad quam fuit translatus esse amplius locum, nec bonorum renuntiationi*. Eam transcripsit ex Nouario in Lucerna regul. V. Translatio post num. 26.

Quæres 14. An professus in religione incapaci transeundo ad capacem transferat in hanc ius successionis ex testamento, vel ab intestato, quod habebat ante professionem in ordine incapaci e. g. quia fuerat institutus heres, vel legatarius, quod contingere potest duobus modis, ante professionem, aut post professionem, viuente adhuc testatore, vel auctore, quando profecit in ordine capaci? Quæstio supponit, quod nec huic spei renuntiauerit facto suo, sed ingressus sit religionem incapacem nullatenus disponendo, aut non disponendo nisi de præsentibus bonis, quæ habebat tempore professionis.

35 Resp. Transfert hanc spem secum in Monasterium capax, ac proinde adueniente morte defertur hereditas ex testamento, vel ab intestato huic secundo Monasterio, licet ille fuerit institutus heres, vel legatarius tēpore incapacitatis, quando erat Frater Minor de Obseruantia, aut Capucinus, modo sit heres suus, idest suorum consanguineorum; respectu vero extraneorum debet esse incapax tempore institutionis, & mortis instituentis.

36 Prima pars, quod spem, & ius successionis tranferat n secundum Monasterium capax, probatur, quia ius successionis non obest statui paupertatis, dum consistit in sola spe sine vlla aquisitione, ergo nihil prohibet id remanere in professo ordinis etiam incapacis, vnde si eueniret tunc effectus successionis per mortem testatoris, aut intestati, ob incapacitatem professi, & Monasterij, illud ius omnino extingueretur, quia tunc bona aquiruntur heredibus necessarijs, qui dicuntur venire ab intestato, si vero testator superuiuat etiam tem-

pore

pore, quo ille professus est in ordine capaci, ea spes, quæ dicebatur dormire & suspensa in priori ordine incapaci in quo non poterat sortiri suum effectum morte testatoris fauore primi Monasterij ob eius incapacitatem, incipit, euigilare non amplius manens in suspenso expectans suum effectum tempore mortis testatoris. *Confirmatur* à simili, quia in l. 1. §. Filio, qui mortis ff. Ad Tertull. statuitur, quod ius succedendi filio existenti in seruitute non omnino perditur, sed mortificatur, & suspenditur pro eo tempore, quo pœnæ seruit, facta autem gratia per Principem restituitur ad illud ius consopitum per illam pœnam. Ergo idem dicendum est in casu nostro, & à fortiori, cum illud ius non fuerit mortificatum per aliquam illius religiosi pœnam. Ita *Rodriq. tom. 2. qu. 58. ar. 7. & qu. 79. art. 1. §. quid vero. Angel. V. Religiosus num 34. fine Silu. 4 qu. 10. Tabiena qu. 28. num. 29. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 26. Bonac. q. 2. de Clausf. p. 9. §. 4. Diffic. 2. num. 20. Ego cap. 13. de profess. quæst. 43.*

37 Secunda pars, quod hereditas deferatur secundo Monasterio capaci, licet testamentum fuerit factum tempore inhabili, quando erat Capucinus, vel Obseruans, probatur, quia esto *ex l. Si alienum 49. §. In extraneis ff. de hered. instit. & Instit. de heredum qualit. & differ. §. In extraneis*, tria tempora requirantur,

38 in quibus institutus debet esse habilis, nempe tempore conditi testamenti, mortis testatoris, & aditionis hereditatis, tamen, respectu suorum sufficit habilitas tantum tempore mortis testatoris, & aditionis, cum lex illa quo ad habilitatem tempore confecti testamenti, loquatur tantum respectu extraneorum, hi enim non possunt venire ab intestato, sicut suus, qui abiecto testamento, potest succedere bonis ab intestato, & sic ea inhabilitas, tempore confectionis testamenti non videtur attendenda, dum adhuc adire potest bona ab intestato. Ita *allegati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 29. & 30.*

39 Tertia pars, de professo ab extraneo instituto tempore, quo erat professus in Monasterio incapaci, probatur ex dictis legibus requirentibus habilitatem illis tribus temporibus. Ita Baldus *in dicta l. Si alienum 49. §. In extraneis ff. de hered. instit. ad finem, imola num. 10. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 28. & 32.*

Colligitur ex dictis, Fratrem de Obseruantia, vel Capucinum, quorum Ordines sunt incapaces, legitime translatos, & professos in religione capaci hereditatis succedere in bonis relictis, si testator, moriatur, vel ab intestato decedat postquam heredes fuit professus in religione capaci. Ita *Iason. in l. Ex pacto ff. de vulgar. num. 10. Vers. Adde etiam, Tamb. tom. 3. disp. 6. qu. 6. num. 7. Barbosa lib. 1. de iure eccles. cap. 42. num. 92.* Vbi refert responsum S.C. pro meo ordine his verbis: *In causa Neritonensi. An Regularis ex indulto à religione Fratrum Minorum Obseruantiæ ad Tertium Ordinem S. Francisci ex legitima causa translatus recuperet ius succedendi in bonis sibi ex testamento de latis post trãslationem? Die 22. Ianuarij 1628. proposito supradicto dubio, vnanimiter Illustrissimi Patres Sacri Concilij Tridentini Interpretes censuerunt recuperare ad commodum secundi Monasterij.*

Nota autem differentiam inter vtrunq. responsum, quæ videntur aduersari ad inuicem, quod tamen verum non est quia primum, quod extendi sub q. 13. loquitur de bonis vel iam renuntiatis vel quæsitis iam tertio ab intestato, & de hoc extat *decisio 576. Burati extensa per Tamb. tom. 3. decis. 121. vltima, & decis. 42. per me profess. regul.* Et de bonis renuntiantis, quod ad ea non detur regressus, si renuntiatio fuit amplissima, *decis. 109. relata par. 5. tom. 1. Recent. per*

X Pau-

Paulum Rubeum. Secundum vero loquitur de bonis, quæ semper remanserunt in spe vsque post professionem in Monasterio capaci, hoc enim tempore, si moriatur testator diuturna spes transit in effectum & actum suum per aditionem hereditatis. Et licet loquatur de delictis ex testamento, non tamen id restringendum est, quia responsum fuit congruum suæ interrogationi, sed eadem responsio data fuisset simili interrogationi ab intestato, quod scilicet recuperat bona prouenientia ab intestato, sicut venientia ex testamento, cum mors auctoris idem operetur, quod mors testatoris, cum successio in vtroque dependeat à morte.

Queres 15. An de Monasterio incapaci transiens ad capax de speciali licentia Summi Pontificis, quæ forsan non erat necessaria, quia sufficiebat illa Generalis, numquid recuperabit bona quæsita tertio, quæ erant sua ante primam professionem?

40 Resp. Non recuperabit, quia illa sunt iam quæsita simpliciter tertio, ergo ab eo auferri non possunt, cum omne ius, quod ad illa habebat omnino sit extinctum, ergo sine illo transit ad secunda vota. Ita *Bart.lib.4. de min.dist.3.c.2. Bald.in Auth.Ingressi num.64.Feder. cons.26.Natta cons.180.nu.4.cum alijs Buratus cit.decis.576.num.3.*

Nec illi quidquam prodest licentia, cum sit tantum pro transitu, & non pro recuperatione bonorum, beneficium enim Principis nunquam tollit ius
41 tertio quæsitum, nisi de eo fiat specialis mentio. *Sarn.super Reg. De iure quæsito non tollendo q.15.num.7.Seraph.decis.182.num.7. Cesar de Grass.decis.1. de*
42 *verb.signif.num.10.ex eadem decis.nu.6.* Neque dispensatio retrotrahitur in præiudicium tertij, *Bald.cit.Feder.cons.26.num.3.*

Donatus Antonius Marinus lib.2. Resol.quotid.cap.185. tenet cum multis alijs recuperare bona, quæ ante professionem in seculo possidebat, vel etiam delata, & quæsita tertio, quibus successisset, si mansisset in seculo, argumento deducto á gratia Principis restituentis bannitum plenarie ad omnia sua bona nam quando ius competit alicui ex solo impedimento, vel inhabilitate alterius, si inhabilis à Principe habilitetur, siue restituatur, potest etiam in terrij preiudicium, inhabilitate iam cessante, recuperare, quod suum erat. Et id multis probat Molfesius cons.1.à num.21.

43 Sed non placet hæc opinio, nam quod facere potest Princeps fauore banniti, etiam Papa cum transeunte, quando se declarat. Princeps autem restituendo bannitum condonat illi sua bona, ex quibus viuere possit. Religiosus vero translatus habet vnde viuat in secunda religione, quæ se obligat abere alere, & ipse se illi seruire. Deinde ea similitudo banniti cum religioso non facit ad propositum, quia bannitus fit inhabilis ex suo delicto, religiosus vero voluntarie sine sua culpa vult esse incapax professione religionis incapacis, ac proinde suis bonis absolute renuntiauit, ergo ad ea redire non debet, cum illis priuatus non fuerit inuitus, sicut bannitus, vnde ad illa dicitur restitui, non vero religiosus, qui sponte illa abdicauit. Dum vero transit ad Monasterium capax, in illud transferre non potest nisi quod habet, sed nihil habet nisi solam spem, quam semper habuit in præcedenti religione, & ideo potuit eam transferre in sequentem, ex cuius capacitate corroborauit eam in ordine ad effectum suum. Papa ergo per licentiam ordinariam dicitur habilitare personam ad transitum, non ad recuperandum bona,

bona, nisi de hoc specialem faciat mentionem.

Quæres 16. Secularis non adit hereditatem sibi delatam, sed interim fit Capucinus, & postmodum legitime transit ad ordinem capacem, & in eo profitetur antequam eius heredes illam adeant, nunquid iste illam adire poterit in commodum sui Conuentus?

44 Resp. Poterit illam adire, quia illud ius, quod habuit ante professionem sibi conseruauit in habitu, licet non in actu, cum per acta professione non potuerit exercere actum aditionis in commodum prioris Conuentus suspensum ob incapacitatem illius, quod ius exerceri potest in posteriori ob eius capacitatem, transit enim tunc de habitu in actum. Confirmatur, quia ad aquirendam hereditatem requiruntur tria tempora, iuxta dicta sub num. 38. quæ hic verificantur, ergo eam adire potest pro suo Conuentu. Ita *docent Rodriq. tom. 2. qu. 79. art. 1. Feder. cons. 26. num. 1. & 2. cum alijs Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 27.*

Castropal. dis. 3. p. 17. §. 1. num. 10. tenet oppositum, hunc religiosum non posse adire eam hereditatem, sed eius aditionem competere venientibus ab intestato. Probat cum Fabro super Instit. de heredum qualit. §. in extraneis, quia professione religionis incapacis amisit omne ius, quod habebat adeundi hereditatem aquisitum venientibus ab intestato absolute, & simpliciter, sine vlla conditione, cum assumpserit statum perpetuum, ergo illud ius iam perditum non potest recuperare per professionem in posteriori capace. *Confirmat*, quia professus ordinis incapacis trasfert in heredes illud ius eo modo, quo transtulisset in Monasterium capax, si in eo profecisset; sed non obstante transitu personæ, adhuc illud ius adeundi hereditatem non perditur à primo Monasterio, ergo neque heredes amittent, superueniente capacitate professi.

45 Resp. Illum secularem profitendo in religione incapaci non perdidisse illud ius secundum habitum, sed tantum secundnm actum, in quantum per incapacitatem ordinis non potest eam hereditatem tunc adire, non tamen se priuauit habilitate adeundi illam mutato statu, nec hoc repugnat statui religioso, cum in actu primo nullam dicat actualem rei aquisitionem, sed tantum posse, si casus occurrerit, vt accidit profitendo in secunda religione, capaci. Non dicuntur ergo successisse venientes ab intestato, dum sibi reseruauit illnd ius in habitu, vt aliquando posset exerceri casu occurrente, religio enim incapax illum non inhabilitat, sed tantum prohibet, ne aliquem propietatis actum exerceat contra votum paupertatis, & proprium institutum; sicut enim non potest impedire illius transitum, ita neq; inhabilitare ad actus consequenter alium ordinem, ad quem transit. *Ad confirmationem* dico, cum sic professus secum conseruet illud ius in habitu, dum non repugnat otdini incapaci, non dicitur illud transtulisse in venientes ab intestato, dum hereditatem non adierunt, per suum enim factum debuisent perimere illud ius in habitu, quod cum non fecerint tempore, quo professus permansit in primo ordine, nec possunt deinceps facere, dum est in ordine capaci, qui illi tribuit perficere, quod in habitu habebat.

Quæres 17. An substitus tempore, quo est Capucinus, vel Obseruans, si tempore mortis grauati sit professus in ordine capaci, numquid succedet in fauorem, & commodum sui Monasterij?

rumpitur moriente instituto ante testatorem, *Instit. quibus modis testam. infirm. §. Posteriore, l. Vn. C. de caduc. tollend. §. Et cum triplici* Vnde cum Monasterium nullum ius aquisierit in testamento, cum non sit, illud adire non potest. Ita *Vinus tom. 2. coram opin. de instit. num.* 158. *ex eo Barbos. ad l. fin. C. de Episcop. & cler. num.* 14.

38 Tertia pars, quod Monasterium eam adire possit post mortem professi instituti morientis post testatorem, probatur, quia per eam delationem Monasterium immediate aquisiuit ius ad aditionem intuitu ipsius professi, qui cum Monasterio sub vnius nomine reputatur vnicus heres, firmata ergo delatione per vtrumque Monasterium adire potest hereditatem, non obstante secuta morte professi, cuius persona non est necessaria ad hunc aditionis actum, vt patet ex dictis. Quod verum est respectu cuiuscunque hereditatis

39 siue à parentibus, siue ab extraneis delatæ. Ita *Rodriq. to. 2. q. 77. art. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 87. Sanch. lib. 7. cap. 12. nu. 47. Castropal. disp. 3. par. 5. nu. 6. Gabriel lib. 1. conf. 121. num. 21. apud Rotam par. 6. decis. 215. num. 6.* vbi lite etiam pendente transmittitur hereditas suorum.

Contrarium, quod Monasterium non possit adire hereditatem delatam, professo instituto postmodum mortuo, docent nonnulli Legistæ cum Bartolo allegati à Sanchez num. 44. probantes *primo*, qui a licet Monachus comparetur filio familias in aquisitione, quia id est Monasterio vtilius, tamen cum filius non trasmittat hereditatem nondum aditam nisi suorum ascendentium,

40 non autem extraneorum nisi infans, *l. Si infans C. de iure deliber.* neque professus poterit transmittere hereditatem extraneo, nec Monasterium eam adire. Si professus comparetur seruo, Monasterium non poterit eam adire,

41 quia nec dominus mortuo seruo potest adire hereditatem seruo relictam, l. 3. ff. de hered. instit. *Secundo* hereditas in tantum defertur Monasterio nomine professi, in quantum eius velle suum non est, sed in Monasterium hæres solum viuente ipso, ergo eo mortuo, Monasterium caret illo velle, sine quo non potest adire hereditatem licet delatam.

42 Resp. Monasterium in adeunda hereditate non vti iure transmissionis, sed iure legali, quo professione posita, Monasterium aquisiuit omnia eius iura ad aquirendum quodcumque, quæ à se abdicauit, & transtulit in Monasterium. Et sic tollitur primum argumentum cum Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 47. concludente, in hoc casu professum non comparari nec cum filio, nec cum seruo. Secundum destruitur, quia voluntas professi adfuit in ipsa delatione,

43 quod sufficit, non necessaria in actu aditionis, cum ipso etiam repugnante adiri possit à Monasterio, vt dictum fuit sub q. 5. vel dic, eam priorem voluntatem perseuerare virtualiter cum voluntate Monasterij, dum ambo pro vno instituto reputantur.

Aduertit idem Sanchez num. 50. opinione contraria admissa, tunc posse

44 Monasterium vti remedio restitutionis in integrum, quia censetur læsum non ex morte professi, sed ex negligentia superioris. Sed opinio contraria non videtur vrgere, quia ex ea sequitur absurdum, nempe professum ex actu aditionis propria auctoritate esse proprietarium, quod repugnat statui religioso, ergo ea opinio parum aut fere nihil probabilitatis habet, dum fouet actus proprietatis in Monacho.

Quæres 11. An statutum excludens ingressuros à successione sit iniquum, & in-

& inualidum? Solent huius generis ſta tuta concipi à laicis poteſtatibus terminis tantum laicalibus comprehendentibus proprios ſubditos vtendo exquiſitis verbis, ad effectum ſubterfugiendi cenſuram eccleſiaſticam, quam nihilominus incurrunt, quia prauum finem habent,ne eccleſiæ locupletentur, dum ipſi hac ratione ditiores fieri exoptant.

45 Reſp. Hæc ſtatuta ſunt iniqua, & inualida. Iniqua quidem, quia auferunt ingreſſuris ius, quod habent à iure communi l. fin. C. de Epiſc.& Cler. ſuccedendi ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento. Conſequenter etiam eiſdem tollunt iura ſuitatis, & ſanguinis, per quæ iure neceſsario ſuis ſuccedunt. Magnum quoque inferunt præiudicium Monaſterijs impeditis, ne vtantur iuribus ipſius ingreſſi,quæ profitendo Nouitij transferunt in Monaſterium, dum priuantur per huiuſmodi ſtatuta. Ex his patet eorum iniquitas.

46 Nullitas vero probatur. Tum quia ſunt directe contra ius Canonicum, cap. Quia ingredientibus 19. q. 3. diſponendo, vt omnia bona,& iura, de quibus Nouitius non diſpoſuit, tranſeant in Monaſterium, dum talis tranſitus

47 prohibetur huiuſmodi ſtatutis. Tum quia laica poteſtas inualide ſtatuit contra eccleſiaſticam libertatẽ *L.caſſa 13.C.de ſac.ecc.c.Eccleſia 10.de conſt. Grammaticus deciſ.100.num.7.Perez in Rubr.tit.2.Gloſ.1.verſ.quæri poteſt lib.8. ordinat.Morla in empor.iuris par.1.tit.1.q.16.Caldas Pereira de nomin.emphit. q.12. num.*22. Non eſt dubium hæc ſtatuta eſse contraria libertati eccleſiæ - dum per ea Monaſteria priuantur iure aquirendi bona ingredientium Et ita in his terminis Megal.l.2. lib. 2. cap. 27. num.36.& 37. vbi ſub extendit Bullam Pontificiam Clementis VIII. reuocantis ſimile Statutum Ciuitatis Ferrariæ. *Bartol.lib.1.conſ.1.& ex eo Bernard.Landrianus Mediol.apud Gatticum Dominicanum in ſua Catena Aurea de immun.eccl.vol.1.fol.349.Ioannes Paulus Nazarius cremon. ordinis S.Dominici apud eundem Gatticum vol.2.fol. 547. ibidem à fol.564.Alexander Moneta Mediolan.*ambo contra Statutum Mediolan. excludens Monaſteria à ſucceſſione.

Quæres 12. An Monaſterium ſit preferendum extraneis, & tranſuerſabilibus.

48 Reſp. Vtique in cauſa filij profeſſi, quia diſponens præſumitur magis diligere Monaſterium, quam extraneos, & etiam collaterales, dicit enim S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 7. & 8. quod ordo caritatis poſtulat, vt plus diligamus nobis coniunctos, quam alios, ſed profeſſus eſt magis coniunctus Monaſterio, quam ſuis collateralibus, & á fortiori extraneis, cum quibus nullam habet coniunctionem, eſt enim profeſſus filius Conuentus, membrum, & pars illius, & non illorum, ac proinde ex hac coniunctione præſumitur diligere magis Monaſterium,quam alios præfatos.Ita alijs citatis Paſqual.quæſt. 283. num. 5. Vnde pleriq; apud Sperellum deciſ. 153. num. 2. dicunt, Monaſterium ex perſona ingreſſi excludere ſubſtitutum, quia teſtator præſumitur Monaſterium non minus diligere, quam filios heredis inſtituti dilexiſſe, & ideo ſicut filios inſtituti prætuliſſet ſubſtituto,ita illis deficientibus, vel non extantibus,præpoſuiſſet Monaſterium. Vide ſupra cap.8. à nu.116. ad 136.

C A-

CAPVT XII.

Cuiusnam sint bona transeuntium ad secunda vota?

1 *Vocatio prima permanens suadetur ab Apostolo*
2 *Transitus ab vno ordine ad alium perficitur professione.*
3 *Transitus ad strictiorem necessario petit licentiam, sed non eius obtentionem,*
4 *Quæ solum est necessaria cum fit transitus ad laxiorem, vel æqualem.*
5 *Nouitius professionem transit sub dominium, & possessionem superioris.*
6 *Licentiam transeundi dat etiam superior localis,*
7 *Licentia ad laxiorem petitur à Papa.*
8 *Bonorum varia sunt discrimina.*
9 *Prima opinio docet professum transire cum omnibus bonis suis.*
10 *Secunda, proprietatem remanere, & solum vsumfructum transire.*
11 *Tertia, nihil transire, sed omnia remanere in priori conuentu.*
12 *Adoptatus alitur ab adoptante.*
13 *Relicta testamento non transeunt, licet relicta sint intuitu personæ.*
14 *Liuelli, & annui redditus transeunt cum persona.*
15 *Relictum cum conditione, ne monasterium se ingerat transit.*
16 *Legatum semel soluendum tansit*
17 *An transeat dispositio conditionalis?*
18 *Conditio alia casualis, alia potestatiua.*
19 *Cur bona ex contractu statim aquirantur, non ex testamento*
20 *Relicta contemplatione monasterij non transeunt, sicut relicta contemplatione personæ.*
21 *Quid sit relinquere illis modis?*
22 *In dubio relictum dicitur contemplatione monasterij,*
23 *Quæsita ex industria non fert secum.*
24 *Manuscripta sua secum portat.*
25 *Libros vero nequaquam.*
26 *Nec pecuniam, aut vestes nisi necessaria ad transi*
27 *Triplex tempus in hereditate spectandum est.*
28 *Spes sola transit ad secundum monasterium.*
29 *Hereditas delata, licet non adita, non transit.*
30 *Hereditas delata primo non potest adiri à secunda.*
31 *Dominus non potest adire hereditatem sine consensu serui.*
32 *Hereditas sola delatione dicitur aquisita, & aquisitio perficitur aditione.*
33 *Transiens ab incapaci ad capacem nihil secum fert.*
34 *Responsum S.C. quod translatus ad capacem non recuperat.*
35 *Transfert solum spem ex testamento, & ab intestato.*
36 *Spes successionis non obstat voto quandiu remanet sine aquisitione*
37 *Testamentum factum tempore inhabilitatis professi valet suis.*
38 *Tempora tria spectantur in aquirenda hereditate extraneis, non suis.*

39 Ex-

39 *Extraneus institutus heres tempore inhabili non habet hereditatem factus habilis.*
40 *Licentia Papæ ad transeundum, non est ad recuperandum.*
41 *Ius tertio quesitum non tollit Papa sine expressa mentione.*
42 *Dispensatio non retrahitur in præiudicium tertij.*
43 *Bannitus habilitatur ad bona, non religiosus, & cur!*
44 *Hereditatem adire potest debitam in seculo à Capucino facta Dominicano.*
45 *Ius adeundi hereditatem stare potest cum professo ordinis incapacis, cum sola habitu, sine actu.*
46 *Substitutus tempore incapacitatis fit capax in alio ordine, si tunc grauatur moriatur.*
47 *Sufficit, quod grauatus superuiuat, dum est professus substitutus in posteriori conuentu capaci, licet testator antea sit mortuus.*
48 *Reseruatio bonorum in casu transitus ad conuentum capacem valet.*
49 *Statum excludens fœminas fauet Capucino translata, si non adiuit.*
50 *Capucinus præteritus à parente rumpit testamentum translatus.*
51 *Capucinus institui potest heres pro eo tẽpore, quo erit professus in ordine ca paci*
52 *Bona transeuntis à capaci ad incapacem, remanent in capaci.*
53 *Bona existentis in conuentu incapaci aquiruntur venientibus ab intestato.*
54 *Professus aquirit conuentui suæ professionis, quamuis moretur in alio.*
55 *Translatus in anno probationis aquirit priori conuentui, si est capax aliter venientibus ab intestato.*
56 *Monialibus applicantur dicta de iuribus religiosis.*
57 *Dotem secum defert quocunq. vadit.*
58 *Non vero translata, vt regimen habeat.*
59 *Testandi licentiam dare potest Papa.*
60 *Sed non reuocandi testamentum.*
61 *Transfertur ius presentandi.*
62 *Transfertur vsusfructus.*

1 PAulus Apostolus scribens ad Corinthios in sua prima Epistola cap. 7. n. 20. fideles sic hortatur, *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. Ratio est, quia omnis vocatio à Deo procedens, bona est, & eam acceptans errare non potest, quia Deus neminem decipit. Nec obstat transitus ab vna ad aliam religionem, siue fiat ascendendo à laxiori ad strictiorem, vel descendo à strictiori ad laxiorem, modo fiat bono fine, & ex causa, non ex animi leuitate, aut passione, vel aliquo interesse, iuxta doctrinam sacrorum Canonum, *ex cap. Mandamus* 2. *cap. Statuimus* 3. 19. *q.* 3. *& cap. Virgines l.* 20. *q.* 4. *cap. Sane* 10. *cap. Licet* 18. *de Regular.* Quoniam autem in hoc capite agendum est, an bona quæsita primo Monasterio, cum professo transeant ad secundum Monasterium alterius ordinis, ideo aliqua sunt premittenda circa licitum, & validum transitum, vt discerni possit, cuiusnam sint bona transeuntis.

2 Vt ergo valeat transitus ad secunda vota, & professus dicatur cum effectu transisse, necesse est, quod professionem emittat in secunda religione, per eam enim incorporatur, & fit membrum secundæ, & à priori excorporatur, nam sicut Nouitius fit religiosus eius ordinis, cui nomen dedit, per professio-

nem, ita noua professione fit religiosus alterius, cui tota nuncupat, nam primo voto desinenti succedit posterius in alio ordine. Et in hoc nulla est difficultas omnes ita docentes, *cum Miranda t.1.q.31. art.21. cum alijs Barb. ad hoc c.n.25.*

3 Præterea vt huiusmodi professio sit valida respectu transeuntis ad arctiorem, requiritur petitio licentiæ, eius tamen obtentio non est necessaria, *cap. Licet 18. de Regul. S. Thom. 2.2.q.89. art.4. Rodriq. tom.3.q.52. art.3. Barb. hic nu. 2.* Quod si licentiam non petijt, reuocari potest, ex allegatis à Barbosa, num. 31. quod arguit, professionem non tenuisse, si enim esset valida, non posset reuocari, quia non amplius esset eius subditus ex illa excorporatione facta per secundam professionem validam ex adductis *à Sanch. lib.6. cap.7. num. 89. & 96.*

4 Ad valorem vero professionis ad laxiorem, vel æqualem non solum est necessarium petere licentiam, sed etiam obtinere illam, vt id esse manifestum

5 docet Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 93. Ratio huius, & præcedentis conclusionis est, quia professione prima Nouitius se constituit sub dominio, & possessione superioris, *Glos. V. Possidere, cap. Non dicatis 11.12. q.1. & alijs allatis à Merlino decis.18. num.11.* Vt ergo se eximat ab eodem licenciandus est, vt legitima professione possit se subijcere alteri. Confirmatur, quia licentia lest de valore huiusmodi actus, *ex Auth. Licentiam C. de Episcop. & cler. Sanch. lib. 3. disp.35. num.18.* Nam idem numero in solidum à duobus dominis possideri non potest, *l. Sicut certo 5. §. Si duobus vehiculum ff. commod.* ergo si vult transiri à primo ad secundum, vt fiat sub eius dominio, necesse est, quod per licentiam se eximat à primo.

6 Hanc autem licentiam transeundi quilibet superior localis dare potest ad formam Decretorum de Eiectis, nempe si transiturus exhibeat fidem beneuoli receptoris. Et in hoc omnes conueniunt de iure communi, nisi obstet aliquod ordinis statutum, quod tunc obseruandum est.

7 Volenti vero transire ad laxiorem necessaria est licentia Pontificis, quia hæc præsefert aliquam speciem dispensationis ex maiori obligatione contractu in professione strictiori. Quamuis probabilis sit opinio asserentium, iuxta existente causa posse superiorem regularem dare hanc licentiam *ex allatis à Sanchez lib.6. cap.7. num.42. & 44.* Nulla vero existente iusta causa solius est Papæ dare hanc licentiam, vt omnes docent *cum Rodriq. tom.3.q.52. art.10. Miranda tom.1.q.31. art.5. Gratian. cap.434. num.6. Peyrin. q.1. de subd. cap.24. concl.6. cum alijs Barb. ad cap. Licet, num.27.*

Notandum autem est pro intelligentia dicendorum, cum hic sit inquirendum, cuiusnam debeant esse bona quæsita per professum, prioris ne, an posterioris conuentus alterius ordinis, ad quem transit excorporatus à priori, in sequentibus sermo erit tantum eorum conuentuum, qui sunt capaces bonorum, nam inter incapaces procedere non potest quæstio, dum ambo carent bonis, vnde quæstio fieri nō potest inter Capucinos, & Obseruantes, quia eorū Monasteria bona non possident. Potest vero esse difficultas si transitus fiat ab incapaci ad capacem, vel è contra pro anno Nouitiatus, vt infra patebit in propria quæstione.

8 Obseruandum est, bona, quæ Monasterio aquiruntur, spectari posse ex triplici tempore, vel ante professionem, vel ex tempore professionis, vel post professionem. Quæ Monasterio aquiruntur ante professionem sunt in triplici differentia;

rentia; sub prima continentur bona, quæ Nouitius ex testamento, seu donatione tradit Conuentui. Sub secunda continentur bona; quæ Nouitius sibi reseruat ad vsum post suam professionem, vt sunt annui census, pensiones, seu liuelli, qui singulis annis illi soluuntur à consanguineis, vel alijs, aut etiam à Conuentu, qui capitale habuit. Sub tertia comprenduntur certa bona semel danda professo pro tali tempore, vt cum Missam pr mam cantabit, vel doctorabitur &c.

Quæ vero tempore professionis, seu ex vi professionis aquiruntur, Conuentui, vel de præsenti sunt aquisita, quia actu erant sub dominio profitententis, vel quærenda, quia sunt in spe mortis futuraq; eius, qui bona possidet, vt sunt bona consanguineorum; vel talia bona, quæ sunt sub dominio Conuentus, sed alijs obligata, vt substituta, & fideicommissa, alijs restituenda.

Tertij generis bona sunt ea, quæ religiosus iam professus quærit Monasterio ex sua industria, ex labore, pictura, cantu, lectura &c. vel spirituali prædicationis, administrationis Sacramentorum, &c. De his omnibus quærendum est an transeant cum professo in secundum Monasterium.

9 Suppono de huiusmodi bonis in communi, & indistincte triplicem esse opinionem. Prima dicit, omnia bona quo ad proprietatem, & vsumfructum transire cum professo in secundum Conuentum, quam probabilem faciunt decem octo Doctores relati *à Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 2. & Barbosa ad cap. 3. de cler. coniug. num. 4.* vbi glos. princeps huius opinionis habetur, & probatur, tum quia transeunt ex vi professionis cum ea tacita conditione, vt sint Monasterij, quousq; in eo perseuerauerit. Tum quia bona sunt accessoria personæ, dum ea tacite intulit ex vi professionis, ergo personam sequuntur. Hæ duæ rationes sunt Glosæ, quæ loquitur de tacite illatis, non de datis expresse, & sic ante professionem.

10 Secunda opinio tenet, proprietatem remanere apud Monasterium primum, vsumfructum vero transire cum professo ad secundum Monasterium, ne huic Monasterio fit onerosus, & ita docent vndecim citati à Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 7. aliqui limitantes, si posterior Conuentus est inops, & hæc opinio fundatur in cap. *De lapsis 16. quæst. 6. cap. Si quis irapuerit 27. quæst. 5. & Auth. de Sanct. Episcop. §. penult.* dicentia talem professum a lendum esse ex bonis prioris Conuentus, ne illi sit onerosus.

11 Tertia sententia, quæ est magis communis docet, omnia transeuntis bona remanere in priori Conuentu, & habet pro se multo plures, nempe viginti nouem, quos pro se nnmerat *Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 8.* Quibus adde Mirandam *tom. 1. q. 31. art. 24. Megalium l. 2. lib. 2. cap. 27. num. 38. Portellus V. Bona transf. Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 13. cum alijs Ponatum par. 2. tract. 5. q. 57. num. 1.* Probatur expresse ex Auth. de Monachis §. *Si vero relinquens Monasterium, in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat, etiam si quidem eius substantia maneat, & vendicetur à priori Monasterio, vbi abrenuntians hec reliquit.* decisio hæc clara est, ergo transiens nihil secum deferre potest. *Secundo*, quia nullo iure probatur, bona sub conditione perseuerantiæ illata fuisse in primum Conuentum, cui nec obstat, illa esse accessoria personæ, quia absolute illata sunt in primum Conuentum, cui absolute dedicata fuerunt ex Auth. Ingresi, & hoc argumentum tollit fundamentum primæ sententiæ. *Tertio*, secundo Monasterio

non dicitur onerosus, dum illi inseruit, & libere receptus fuit cum obligatione illum alendi, & sic tollitur fundamentum secundæ sententiæ cuius auctoritates loquuntur de transmissis causa pænitentię, quos sequuntur ali nenta ne sint onerosi conuentui. *Quarto* adoptans extraneum sibi in filium, is,
12 non pater naturalis, tenetur alere, l. Onera ff. de adopt. ergo similiter secundus Conuentus tenetur alere professum, primus vero ad nihil, dum se eximit ab eius dominio.

Ex his opinionibus sequar tertiam relictis duobus prioribus, quia firmioribus rationibus firmatur, & vitium proprietatis magis, extirpatur, cui videntur fauere priores opiniones, dum per transitum bonorum cum persona videatur supponi aliqua proprietas in persona secum deferente bona, quasi non fuerint priori conuentui appropriata, & incorporata, atque sua non facta, adhuc sub dominio ipsius profitentis.

Sed quoniam varia rerum, & bonorum per Nouitium inseruatur in priori conuentu videndum est, an aliquid secum transire possit in posteriorem.

Quęres igitur primo, an quæsita Monasterio per testamentum, aut donationem intuitu ingressus, vel aliter ante vel post professionem, ita sint propria illius, vt nequeant transire ad posteriorem?

13 Resp. Nequaquam transeunt nec quo ad proprietatem, nec quo ad vsumfructum, contra primam, & secundam opinionem, quia illi absolute, & simpliciter sunt aquisita, licet intuitu personæ, quæ cum professione inhabilitetur ad agendum, illa secum trahere non potest, quocunque vadit. Ita omnes allegati in tertia opinione, quos etiam recenset *Barbosa in cap. Quod à re, de cler. coniug. cum Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 17. §. 2. num. 2. Portell. V. Religiosi bona transf. Bonac. q. 2. de clauf. p. 9. §. 4. diffic. 2. Pellizar. tract. 3. cap. 5. num.* 153.

Quæres 2. An liuelli, & annui redditus, quos Nouitij sibi reseruarunt in suis renuntiationibus pro occurendis suis indigentijs transeant cum ipsis ad posteriorem conuentum?

14 Resp. Transeunt cum professo in posterius Monasterium, quia talium vsusfructus est proprie accessorius, & ambulatorius cum persona quocunque vadit, dum respicit propriam eius indigentiam, vnde habent adnexam eam tacitam conditionem, *si permanebo in hac religione*. Confirmatur, quia isti liuelli sunt vitalitij, ergo sunt in consequentiam personæ eius durante vita. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 13. num. 6. Bonac. q. 2. de clausura p. 9. §. 4. diff. 2. num. 9. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 1. nu.* 213. Procedit si solutio fiat à parentibus vel alijs extraneis religioso professo. Vel etiam si soluatur à Monasterio, quod habuit capitale, quod post eius mortem remanet in priori conuentu, & in posteriori transeunt solum fructus pro vtilitate Monachi, dum in eo viuit, & ita practicatur.

Quæres 3. An secum deferat sibi derelicta cum ea conditione, ne Monasterium in illis se ingerat?

15 Res. Transeunt in posteriorem conuentum quo ad proprietatem, & vsumfructum, quia satis est expressa mens testatoris, vt sequantur professum quocunq; vadit Ita Megalius *l. 2. lib. 2. cap. 27. num.* 48. *Donatus par. 2. tract. 5. q. 61. num. 3. Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 14. Pellizar. tract. 3. cap. 5. num. 167. Bonac. de cluas. q. 2. p. 9. §. 4. Diffic. 2. num.* 11.

Quæres 4. An transiens secum ferat legatum semel soluendum, dum cantabit

bit primam Missam, vel promonebitur ad lauream doctoratus?

16 . Resp. Affirmatiue, quia hoc nullo modo aquisiuit prior conuentus, dum conditio nondum fuerit purificata, ac proinde reseruatur posteriori, conuentui, si in eo purificabitur conditio. Confirmatur, quia in his attenditur tempus adimpletæ conditionis, tunc enim aquiruntur. Ita *Bonac. cit. num. 21. Vers. Secundo Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 42. & 43.* Patebit magis in sequenti.

Quæres 5. An dispositio conditionalis, & non pura, aquiratur secundo Monasterio, quando adimpletur conditio post professionem transeuntis? An vero sit prioris?

17 Resp. Si conditio est casualis, hoc est, independens à voluntate hominis; vt, promitto sibi censum si cras pluuet, si nauis venerit ex Sicilia &c. in promissionibus, donationibus, & contractibus pertinet ad priorem conuentũ si vero est

18 conditio potestatiua, quæ scilicet potest adimpleri ab homine, tunc sequitur secundum Monasterium, si ante professionem in secundo non fuit adimpleta conditio adiecta testamentis, & Legatis. Ratio vtriusque est, quia in casualibus ad aquirendum attenditur tempus initæ dispositionis, in potestatiuis vero attenditur tempus adimpletæ conditionis, ergo bona disposita sub conditione casuali sunt aquisita priori conuentui, alia vero sub conditione potestatiua aquiruntur posteriori. Primum colligitur *ex leg. Si filius familias 78. ff. de verb. obligat. & l. Quæ legata 18. ff. de regul. iur.* Vnde conditio casualis dum adimpletur retrotrahitur ad tempus initi contractus, *l. Qui balneum 9. & l. Potios 11. ff. Qui potior in pignore habeat.* Ita allegati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 42. & 43. Secundum colligitur ex l. Si cum heres 4. ff. quando dies leg. ced. Ita docent Archid. *in cap. Vn. 18. q. 1. Cardin. in Clem. fin. de elect. q. 16. num. 18. Couar. de testam. cap. 1. num. 20. Natta vol. 1. consf. 180. num. 5. Rodriq. tom. 2. Summæ cap. 31. num. 10. cum alijs Sanchez num. 41.* Pelliz. tract. 3. cap. 5. *num. 169. Bonac. q. 2. de clauf. p. 9. §. 4. Diffic. 2. nu. 21. verf. Idem dicendum Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 17. §. 1. num. 13.* Vbi assignat differentiam, cur

19 in contractibus ab initio promissum aquiritur, non autem in testamentis, nempe, quia ex testamento nullum ius aquiritur instituto, & legatario nisi post mortem instituentis, cum ante possit variare, & mutare voluntatem, ex contractu vero statim aquiritur ius ad bona cum non possit resilire à promissione, ideo ad aquirendum non est necessarium expectare euentum conditionis, nisi in apprensione bonorum.

Quæres 6. An bona prioris Monasterij quæsita titulo professionis, & ingressus ex Authentica *Ingressi?* transeant cum professo in posteriorem conuentum?

20 Resp. Sunt prioris illata tamen contemplatione Monasterij? non vero si sint relicta contemplatione professi, quæ cum eo transeunt in posteriorem conuentum. Probatur vtrumque ex differentia vtriusque nam relicta contemplatione Monasterij dicitur absolute & simpliciter relicta iuxta dicta q. 1. ideo cũ nullum dicant respectum ad secundum, non est, cur transeant ad illud. Relictavero contẽplatione professi cũ ipso transeunt, quia non erant perfecte aquisita priori conuentui, sed tantum sub conditione, *si in eo permanserit,* ipsum igitur professum ad secunda vota transeuntem sequuntur bona, cum sint relicta in eius vtilitatem. Ita omnes cum Romano *in l. Si seruus eius ff. de aquir. hered. nu. 6. Tapia in Auth. Ingressi cap. 6. nu. 12. Sanch. lib. 7. cap. 32. nu. 41.*

21 Du-

21 Dubitatur quandonam dispositio dicatur facta contemplatione Monasterij, an personæ? Resp. Tunc dicitur contemplatum Monasterium non persona, quando nulla fit mentio de commodo, vtilitate, alimentis, aut subleuanda indigentia personæ. Tunc vero dicitur relictum contemplatione personæ, quando dispositio exprimit relictum fuisse in commodum, & vtilitatem persone ad subleuandam eius indigentiam, vel quod Monasterium non se ingerat in
22 huiusmodi bona. Vide *Bonac.q.2.de clauf.p.9.§.4.Diffic.2. num.10.* Vbi in dubio præsumitur esse Monasterij. Quare vbi non est institutus consanguineus, dispositio dicitur facta contemplatione Monasterij, vt creditur etiam, cum Monasterium venit ab intestato, tunc bona sunt Monasterij simpliciter, & non transeunt, quia non potest dici considerata persona, sed ipsum Monasterium, quod iure legali succedit ab intestato intuitu professi viuentis, iuxta dicta cap.præced.q.1.

Quæres 7. An secum transferat quæsita ex industria e.g. legendo predicando &c. præsertim si ex illis creauit censum, liuellum, &c.

23 Resp. Negatiue, quia hæc absolute, & simpliciter quæsiuit suo Monasterio, dum de illius licentia peculium lucratus fuit, & pariter de eius consensu censum constituit. Ita omnes *cum Miranda tom.1. q.31. art.fin. Portellus V. Religionis transitus* secundum tertiam sententiam, quæ negat omnium bonorum perfecte quæsitorum priori Monasterio transire ad posterius, *cum illis Donatus par.2.tract.5.q.61.num.7.Pelliz.tract.3.cap.5.num.153.*

Queres 8. An Manuscripta propria secum deferre possit? An remaneant in priori conuentu?

24 Resp. Sequuntur personam, in illis enim duo spectantur scriptionis certa, & partus mensis, id est principale, illud accessorium, sed principale est proprium ipsius professi, ergo quo vadit principale, eo tendit accessorium. Ita docent *Valerus V. Munera num.106. & V. Religiosus diff.8.num.2. Caramuelis in Reg.S.Benedicti num.831. quos recenset Diana par.1.tract.6. resol.25.* Alij cum Nauar. *Rodriq.Sanchez lib.7.cap.32.n.13.* dicunt, transferre, quando Manuscripta sunt inutilia priori Monasterio. Sed magis placet respõsio Caramuelis, quę est speculatior. Confirmatur, quia ex eorum amissione magnam incurreret iacturam, sunt seminarium memoriæ conseruatiuum ergo memoriam sequi debent.

Quæres 9. An libraria ad proprium vsum destinata ex peculio propria industria quæsito empta transeat cum ipso professo?

25 Resp. Negatiue, quia super illam certum ius absolutum quæsitum fuit priori Monasterio, quod illi nullatenus anferendum est. Ita tenere debent Auctores tertiæ, quæ negat transitum quarumcunq. rerum in secundum Monasteriũ. In terminis Portell. *V. Religionis transitus. Suar.tom.lib.6.de Voto cap.13.num.2. & ex illo Pelliz.tract.3.cap.5.num.154.*

Quæres 10. An secum portare posit pecuniam, quam habet ex consuetudine sui ordinis.

26 Resp. Non potest, nisi de licentia saltem præsumpta sui superioris, quia illius dominus non est, sed Monasterium. Quare si petitam pecuniam pro transitu superior deneget, vt negatio illicita, & iniusta poterit secum afferre eam pecuniam, quæ necessaria est ad iter agendum, victum, & vestitum emendum in secunda religione, non enim solent recipi cum expensis po-

sterio-

lterioris, cuius superiores dicere possunt, eme de pecunijs tui ordinis vestitum, quia sufficit liberalis receptio extraneorum. Dum ergo superior dat licentiam transeundi censetur ei concedere tot pecunias, quot sunt necessariæ ad ingressum. *Rodriq.tom.2.qu.79.art.2.fine. Sanchez lib.7.cap.32. nu.* 13. limitant, quod nihil secum deferre potest, præter solas vestes, & has quidem ex tacita licentia, quippe concedens facultatem ad transitum, censetur concedere ea omnia, sine quibus transitus fieri non potest, l. pen. ff. de vsufr. Ego autem subinfero, quod respondi, etiam aliquas pecunias esse necessarias, sine quib. non potest obtinere suum intentum, dum superior secundi ordinis non vult recipere, nisi sibi emat vestes &c.

Quæres 11. Vtrum hereditas cum professo transeat ad secundum Monaste-
27 rium? In ea potest spectari triplex tempus. Primum, dum est in spe, quando scilicet testator nondum est mortuus. Secundum à puncto mortis, cum hereditas dicitur delata. Tertium deniq; cum post mortem auctoris additur. Quæstio procedit siue hereditas procedat ex testamento, siue ab intestato, & quando supponitur pertinere ad Monasterium contemplatione ipsius Monasterij.

28 Resp. Spes hereditatis sequitur professum in secundo conuentu spectata pro primo tempore; remanet vero in priori conuentu pro secundo tempore, & pro tertio tempore pariter, adeo quod sola spes transit cum professo in secundum conuentum.

Primum de spe transeunte probatur, quia per eam nihil primo conuentui fuit aquisitum, cum ea spes pendeat à morte patroni non sortiens effectum, nisi tempore mortis patroni, ergo nihil prohibet, quin transeat. Ita Glos. V. Restituat cap. V. n. 18. q. 1. Quia ea spes veram non dat aquisitionem, quæ à morte auctoris pendet, euanescit ergo spes, quæ pendebat ab illo professo, qui amplius non est in eo conuentu, vbi desijt esse per nouam professionem in posteriori.

29 Secundum, quod non obstanre defectu aditionis remaneat in priori monasterio, probatur, quia illi absolute aquisita fuit in ipso mortis testatoris puncto independenter ab actu aliquo ipsius professi, sine quo adiri potest ex probatis cap. præced. q. 3. ergo cum super eam nullum ius relictum sit professo, per eum transferri non potest in secundum monasterium. Ita *Abbas in cap. In præsentia, de probat. num. 77. ibidem Berous num. 560. Couar. cap. 1. de testam. num. 21. Molina lib. 1. de primog. cap. 13. num. 36. & 37. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 88. ex illis Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 18. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 8. Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 17. §. 1. num. 3. Donatus par. 2. tract. 5. q. 69. Ego resol. 29. q. 27. num. 88. & de profess. regul. cap. 13. q. 41.* solam ergo spem secum portat, si nondum mortuus est patronus.

Quæres 12. An primo conuentu hereditatem non adeunte secundus illam adire possit, & suam facere?

30 Resp. Non posse, quia ius plenum iam aquisitum est priori Conuentui, ergo posterior nulla ratione eam adire potest, vt patet ex mox dictis. Et ita tenent omnes præcitati cum eodem *Castropal. num. 5. Pellizar. tract. 3. cap. 5. num. 159.*

Contrarium, quod ea hereditas nondum adita, à secundo monasterio adiri possit, tenent plerique cum Bartolo relati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 17. eo quod monasterium sine facto monachi non potest adire hereditatem, in hoc enim

31 enim comparatur seruo, cuius dominus sine ipso non potest adire hereditatem dum mutauit alium dominum, *ex l. 2. §. si duo Vers. si seruus ff. de bonor. possess. secund. tabul.* Ratio est, quia magis inspicitur tempus aditionis, quam delationis *ex Instit. de hered. qualit. §. In extraneo*; sed tempore aditionis amplius non est ille religionis prioris religionis, dum exfiliatus est filius posterioris per nouam professionem, ergo.

32 Resp. Aquisitionem hereditatis ipsa delatione esse obtentam, perfici vero, & absolui per aditionem, faciendam ab eo, qui iam ius aquisitionis obtinuit, excluso quocumque alio. Ad aliud de seruo dico esse disparem rationem, quia sine consensu serui nullus dominus, nec primus, nec secundus potest adire hereditatem, vtique monasterium sine consensu monachi, quia per solam delationem omne ius aquisiuit in hereditate.

Quæres 13. Quid dicendum si fiat transitus à religione incapaci ad capacem; an aliquid secum transferat in capacem?

33 Resp. cum nihil detulerit facto suo, nec ex vi professionis in religionem incapacem, nec quidquam deferre potest in capacē, quia nemo dat, quod non habet. Confirmatur id, quia bona profitentis tunc aquiruntur ijs, quibus renuntiauit, vel aquiruntur venientibus ab intestato. Ita docent omnes *cum Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 20. Donatus par. 2. tract. 5. q. 67.* quia non datur actio in ius extinctum, referendo declarationem S. C. factam 17. Iunij 1617. his verbis *Sacra Congregatio &c. censuit, si orator in religione incapaci, nulla facta dispositione bonorum, validam professionem emiserit, bona ipsa fuisse aquisita venientibus ab intestato, ac proinde, nec successioni secundæ religionis capacis, ad quam fuit translatus esse amplius locum, nec bonorum renuntiationi.* Eam transcripsit ex Nouario in Lucerna regul. V. Translatio post num. 26.

Quæres 14. An professus in religione incapaci transeundo ad capacem transferat in hanc ius successionis ex testamento, vel ab intestato, quod habebat ante professionem in ordine incapaci e. g. quia fuerat institutus heres, vel legatarius, quod contingere potest duobus modis, ante professionem, aut post professionem, viuente adhuc testatore, vel auctore, quando profecit in ordine capaci? Quæstio supponit, quod nec huic spei renuntiauerit facto suo, sed ingressus sit religionem incapacem nullatenus disponendo, aut non disponendo nisi de præsentibus bonis, quæ habebat tempore professionis.

35 Resp. Transfert hanc spem secum in Monasterium capax, ac proinde adueniente morte defertur hereditas ex testamento, vel ab intestato huic secundo Monasterio, licet ille fuerit institutus heres, vel legatarius tēpore incapacitatis, quando erat Frater Minor de Obseruantia, aut Capucinus, modo sit heres suus, idest suorum consanguineorum; respectu vero extraneorum debet esse incapax tempore institutionis, & mortis instituentis.

36 Prima pars, quod spem, & ius successionis tranferat n secundum Monasterium capax, probatur, quia ius successionis non obest statui paupertatis, dum consistit in sola spe sine vlla aquisitione, ergo nihil prohibet id remanere in professo ordinis etiam incapacis, vnde si eueniret tunc effectus successionis per mortem testatoris, aut intestati, ob incapacitatem professi, & Monasterij, illud ius omnino extingueretur, quia tunc bona aquiruntur heredibus necessarijs, qui dicuntur venire ab intestato, si vero testator superuiuat etiam tempore

porc

pore, quo ille professus est in ordine capaci, ea spes, quæ dicebatur dormire & suspensa in priori ordine incapaci in quo non poterat sortiri suum effectum morte testatoris fauore primi Monasterij ob eius incapacitatem, incipit, euigilare non amplius manens in suspenso expectans suum effectum tempore mortis testatoris. *Confirmatur* à simili, quia in l. 1. §. Filio, qui mortis ff. Ad Tertull. statuitur, quod ius succedendi filio existenti in seruitute non omnino perditur, sed mortificatur, & suspenditur pro eo tempore, quo pœnæ seruit, facta autem gratia per Principem restituitur ad illud ius consopitum per illam pœnam. Ergo idem dicendum est in casu nostro, & à fortiori, cum illud ius non fuerit mortificatum per aliquam illius religiosi pœnam. Ita *Rodriq. tom. 2. qu. 58. ar. 7. & qu. 79. art. 1. §. quid vero. Angel. V. Religiosus num 34. fine Silu. 4 qu. 10. Tabiena qu. 28. num. 29. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 26. Bonac. q. 2. de Clausf. p. 9. §. 4. Diffic. 2. num. 20. Ego cap. 13. de profess. quæst. 43.*

37 Secunda pars, quod hereditas deferatur secundo Monasterio capaci, licet testamentum fuerit factum tempore inhabili, quando erat Capucinus, vel Obseruans, probatur, quia esto *ex l. Si alienum 49. §. In extraneis ff. de hered. instit. & Instit. de heredum qualit. & differ. §. In extraneis*, tria tempora requirantur,

38 in quibus institutus debet esse habilis, nempe tempore conditi testamenti, mortis testatoris, & aditionis hereditatis, tamen, respectu suorum sufficit habilitas tantum tempore mortis testatoris, & aditionis, cum lex illa quo ad habilitatem tempore confecti testamenti, loquatur tantum respectu extraneorum, hi enim non possunt venire ab intestato, sicut suus, qui abiecto testamento, potest succedere bonis ab intestato, & sic ea inhabilitas, tempore confectionis testamenti non videtur attendenda, dum adhuc adire potest bona ab intestato. Ita *allegati à Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 29. & 30.*

39 Tertia pars, de professo ab extraneo instituto tempore, quo erat professus in Monasterio incapaci, probatur ex dictis legibus requirentibus habilitatem illis tribus temporibus. Ita Baldus *in dicta l. Si alienum 49. §. In extraneis ff. de hered. instit. ad finem, imola num. 10. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 28. & 32.*

Colligitur ex dictis, Fratrem de Obseruantia, vel Capucinum, quorum Ordines sunt incapaces, legitime translatos, & professos in religione capaci hereditatis succedere in bonis relictis, si testator, moriatur, vel ab intestato decedat postquam heredes fuit professus in religione capaci. Ita *Iason. in l. Ex pacto ff. de vulgar. num. 10. Vers. Adde etiam, Tamb. tom. 3. disp. 6. qu. 6. num. 7. Barbosa lib. 1. de iure ecclesf. cap. 42. num. 92.* Vbi refert responsum S.C. pro meo ordine his verbis: *In causa Neritonensi. An Regularis ex indulto à religione Fratrum Minorum Obseruantiæ ad Tertium Ordinem S. Francisci ex legitima causa translatus recuperet ius succedendi in bonis sibi ex testamento de latis post trāslationem? Die 22. Ianuarij 1628. proposito supradicto dubio, vnanimiter Illustrissimi Patres Sacri Concilij Tridentini Interpretes censuerunt recuperare ad commodum secundi Monasterij.*

Nota autem differentiam inter vtrunq. responsum, quæ videntur aduersari ad inuicem, quod tamen verum non est quia primum, quod extendi sub q. 13. loquitur de bonis vel iam renuntiatis vel quæsitis iam tertio ab intestato, & de hoc extat *decisio 576. Burati extensa per Tamb. tom. 3. decis. 121. vltima, & decis. 42. per me profess. regul.* Et de bonis renuntiantis, quod ad ea non detur regressus, si renuntiatio fuit amplissima, *decis. 109. relata par. 5. tom. 1. Recent. per*

X Pau-

bona, nisi de hoc specialem faciat mentionem.

Quæres 16. Secularis non adit hereditatem sibi delatam, sed interim fit Capucinus, & postmodum legitime transit ad ordinem capacem, & in eo profitetur antequam eius heredes illam adeant, nunquid iste illam adire poterit in commodum sui Conuentus?

44 Resp. Poterit illam adire, quia illud ius, quod habuit ante professionem sibi conseruauit in habitu, licet non in actu, cum per acta professione non potuerit exercere actum aditionis in commodum prioris Conuentus suspensum ob incapacitatem illius, quod ius exerceri potest in posteriori ob eius capacitatem, transit enim tunc de habitu in actum. Confirmatur, quia ad aquirendam hereditatem requiruntur tria tempora, iuxta dicta sub num. 38. quæ hic verificantur, ergo eam adire potest pro suo Conuentu. Ita *docent Rodriq. tom. 2. qu. 79. art. 1. Feder. cons. 26. num. 1. & 2. cum alijs Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 27.*

Castropal. dis. 3. p. 17. §. 1. num. 10. tenet oppositum, hunc religiosum non posse adire eam hereditatem, sed eius aditionem competere venientibus ab intestato. Probat cum Fabro super Instit. de heredum qualit. §. in extraneis, quia professione religionis incapacis amisit omne ius, quod habebat adeundi hereditatem aquisitum venientibus ab intestato absolute, & simpliciter, sine vlla conditione, cum assumpserit statum perpetuum, ergo illud ius iam perditum non potest recuperare per professionem in posteriori capace. *Confirmat*, quia professus ordinis incapacis trasfert in heredes illud ius eo modo, quo transtulisset in Monasterium capax, si in eo profecisset; sed non obstante transitu personæ, adhuc illud ius adeundi hereditatem non perditur à primo Monasterio, ergo neque heredes amittent, superueniente capacitate professi.

45 Resp. Illum secularem profitendo in religione incapaci non perdidisse illud ius secundum habitum, sed tantum secundum actum, in quantum per incapacitatem ordinis non potest eam hereditatem tunc adire, non tamen se priuauit habilitate adeundi illam mutato statu, nec hoc repugnat statui religioso, cum in actu primo nullam dicat actualem rei aquisitionem, sed tantum posse, si casus occurrerit, vt accidit profitendo in secunda religione, capaci. Non dicuntur ergo successisse venientes ab intestato, dum sibi reseruauit illud ius in habitu, vt aliquando posset exerceri casu occurrente, religio enim incapax illum non inhabilitat, sed tantum prohibet, ne aliquem propietatis actum exerceat contra votum paupertatis, & proprium institutum; sicut enim non potest impedire illius transitum, ita neq; inhabilitare ad actus consequenter alium ordinem, ad quem transit. *Ad confirmationem* dico, cum sic professus secum conseruet illud ius in habitu, dum non repugnat otdini incapaci, non dicitur illud transtulisse in venientes ab intestato, dum hereditatem non adierunt, per suum enim factum debuissent perimere illud ius in habitu, quod cum non fecerint tempore, quo professus permansit in primo ordine, nec possunt deinceps facere, dum est in ordine capaci, qui illi tribuit perficere, quod in habitu habebat.

Quæres 17. An substitus tempore, quo est Capucinus, vel Obseruans, si tempore mortis grauanti sit professus in ordine capaci, numquid succedet in fauorem, & commodum sui Monasterij?

X 2 46 Resp.

46 Resp. Affirmatiue, quia sufficit, quod substitutus sit capax tempore mortis grauati, siue sit pupillus, siue alius, nam institutiones huiusmodi sunt conditionales, in quibus sufficit capacitas substituti tempore, quo euenit effectus & conditio adimpletur, *l. Sic um habes 4. ff. quando dies legati ced. l. Quæ legata 18. ff. de regul. iur. Dixi etiam supra q.* 5. Ita docet Sanch. *lib. 7. cap. 32. num. 36. Castropal. disp. 3. p. 17. §. 1. num. 11.*

Quæres 18. An ad aquirendam huiusmodi substitutionem secundo Conuentui capaci, necesse sit, vt etiam institutor superuiuat, & sicut grauatus moriatur eo tempore, quo substitutus est professus in ordine capaci?

47 Resp. Id non est necessarium, sed solum mors grauati, quia bona grauata tunc aquiruntur substituto, cum adimpletur conditio excitata lege in præcedenti quæstione, quæ respicit mortem grauati, non grauantis testatoris vnde si testa tor moritur tempore, quo est in religione incapaci, non obstet substituto in posteriori ordine capaci. Ita *Sanchez nu. 36. & Castropal. nu. 11. Ego cap. 13. de profess. q. 48.*

Quæres 19. An si Nouitius in religione incapaci renuntiando sibi reseruaret omnia, vel partim suorum bonorum, casu quo transiret ad capacem, recuperaret ea professus legitime in posteriori capace?

48 Resp. Affirmatiue, quia ea reseruatio est præseruatiua suorum iurium ad ea recuperanda, conditione adimpleta, transeunt enim illa bona ea conditione, & obligatione, vt restituantur, cum casus occurrerit. Ita *Natta cons. 180. num. 2. & seq. Vol. 1. Tapia in Auth. Ingressi, V. Sua, cap. 6. num. 32. ex illis Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 37. Ego cap. 14. de profess. q. 49.*

Quæres 20. An statutum excludens fœminas faueat Capucino translato in ordinem capacem, si fœmina nondum successit, quando erat Capucinus?

49 Resp. Fauet, quia posterior ordo est capax, & incapacitas prioris euanuit, qua detinebatur ex vi prioris professionis, quæ omnino est cassa. Ita Baldus *in Auth. Ingressi, fine, Tapia ibidem cap. 6. num. 33. ex illis Sanchez cap. 32. num. 38. Ego cap. 13. de profess. num. 95.* Intellige si non renuntiauit præsentibus, & futuris bonis in spe, in forma amplissima, aperuerunt enim oculi renuntiatarij, ne renuntians posset redire, vnde melius est non renuntiare.

Quæres 21. An Capucinus, vel obseruans à patre in suo testamento preteritus, ob incapacitatem sui Monasterij, professus in ordine capaci, rumpat paternum testamentum instar postumi?

50 Resp. Rumpitur testamentum siue sit patris, siue matris, quando parens moritur filio iam professo in ordine capaci, tunc enim testamentum sortitur suum effectum, vel defectum, vt in casu hoc, in quo filius est capax neque hæc capacitas est necessaria tempore conditi testamenti respectu suorum vt dixi sub num. 37. Si vero parens decedat tempore, quo filius profitetur inter Capucinos, non potest rumpi, quia bona iam sunt quæsita absolute institutis. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 33. Ego cap. 13. qu. 47. num. 92.* vbi ex his corrigo ibi dicta, & nonnulla alia, quæ ibi dixi minus congruenter, homo enim semper crescere intendit in melius, nec erubescere debet fatendo suos errores, quia solus Deus, est omnisciens, & inerrabilis.

Quæres 22. An Capucinus instituí possit heres pro eo tempore, quo erit professus in ordine capaci?

51 Resp. Affirmatiue, quia tunc inspicitur vnicum tempus, quo erit capax ad aqui-

aquirendum, ex l. In tempus 62.ff.de hered.instituendis ibi: *In tempus Capiendæ hereditatis institui heredem posse beneuolentiæ est*. Ita docent *Gregorius Lopez l.22. V.t emprails tit.3. par.6. Sanchez lib.7.cap.32.num.45.* Morte enim testatoris testamentum sortitur suum effectum, hoc est bona aquiruntur instituto capaci, cum tunc etiam adimpleta sit conditio, quod sit professus in ordine capaci. Nec euanescit institutio, si parens moriatur, dum filius, vel institutus est adhuc in ordine incapaci, quia testator sufficienter exposuit voluntatem suam, vt hereditas aquiratur instituto, dum erit professus in ordine capaci, quouis deinde tempore ipse testator moriatur.

Quæres 23. Cuiusnam sint bona transeuntis è contra à religione capaci ad incapacem? Vt Dominicanus ad Capucinos.

52 Resp. Bona iam actu aquisita priori Monasterio, quia non pendent ab euentu alicuius conditionis, ibi perpetuo manent, quia professus in ordine incapaci ab eo nullum accipit ius transferendi bona nec ad eius commodum, nec in fauorem aliorũ, cum per professionem in secundo ordine absolutus sit, & exfiliatus à priori ordine. Aquisitio vero bonorum pendens ab euentu conditionis non fit priori Monasterio nisi intuitu personæ, quæ cum amplius non sit illius pars nec membrum dismembratum destructione prioris professionis, dum conditio adimpletur, fit venientibus ab intestato, ac si ille professus in secundo ordine incapaci esset mortuus naturaliter professi enim inter Obseruantes, & Capucinos, pro mortuis habentur in ordine ad aquisitionem, in huiusmodi ergo bonis succedunt venientes ab intestato, non prior ordo, dum caret persona, intuitu cuius poterat aquirere, si adimpleta fuisset conditio. Hereditas autem delata, sed nondum adita, quando profitetur in ordine incapaci, remanet in priori Monasterio, cum sit illi aquisita ex delatione, dum nondum erat professus in posteriori, vt enim dictum fuit sub num.29. Monasterium sine facto professi potest adire hereditatem sibi delatam morte testatoris. Ita Sanchez *lib.7. cap.32. num.39. & seq. Ego cap.13.qu.51.num.96.*

Quæres 24. Cuinam aquiratur relictum huic professo in ordine incapaci existenti post suam professionem?

53 Resp. Non priori Monasterio capaci, cum amplius non sit eius filius; nec posteriori ex eius incapacitate, cum per hanc secundam professionem æquiparetur mortuo, *arg.l.1.§.Sed & si patruus, ff.de coniung.cum emancip.* Ita Bonac. *q.2.de clausf.p.9.§.4.Diffic.2.num.13.Pellizar.tract.3.cap.5. num. 68.* Asserentes pertinere ad venientes ab intestato.

Quæres 25. An relictum professo dum est in alio Monasterio eiusdem Ordinis, sed non suæ professionis, & filiationis, aquiratur huic, vel illi?

54 Res. Aquiritur Monasterio suæ professionis, exquo enim religiosus non aquirit toti ordini, ratio suadet, vt proprio tantum aquirat, cuius est filius sicut enim filius naturalis aquirit patri genitori, ita filius Spiritualis aquirit patri regeneratori ex illa mutua obligatione per professionem, & illius receptionem factam à Superiore, qui promisit alere professum, & is promisit illi seruire, mutua ergo obligatio persuadet aquisitionem fieri Monasterio professionis. Ita Antonius *in cap. In præsentia, de probat. num.64. Abbas num.65. Berous num.*548. *Sanch. lib. 7. cap. 32. num.* 55. Nisi constet, institutionem factam fuisse contemplatione Monasterij, in quo tunc reperitur vt notat ex Beroo Sanchez.

Quæ-

Quæres 26. Cuinam Monasterio aquirat professus translatus ad secundã vota infra annum probationis, antequam professionem faciat in secundo ordine.

55 Resp. In anno probationis sibi relicta aquirit Monasterio priori capaci eo modo, quo aquisisset, si ab eo non discessisset, cum enim adhuc sit eius filius, necessario illi aquirit tanquam certo patrono, & non posteriori, tamquam incerto, dum potest reuertere ad prius, & non profiteri; quod euidentius constat, si posterius sit incapax, clarum enim est illi non posse aquirere, ergo priori. Agens vero Nouitium in Conuentu capaci translatus ab incapaci, cum non possit aquirere suo Conuentui incapaci, eius est adhuc filius, aquiret venientibus ab intestato eo prorsus modo, quo eisdem aquisisset, si à suo Conuentu non discessisset, non enim potest aquirere posteriori, licet capaci, cum nondum sit eius filius. *Rodriq. tom. 3. q. 79. art. 2. Molina tom. 1. disp. 140. col. 13. Vers. Quando religiosus Nauar. Com. 4. de Regul. num. 24. Vers. Vndecimo cum illis Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 9.* Intellige nisi relinquens disponat intuitu, & contemplatione secundi Monasterij, in quo capaci religiosus est in probatione, nominando scilicet illum religiosũ professorem talis ordinis, vbi est in probatione, nam testator, vel aliter disponens videtur velle, vt bona relicta transeãt cum ipso in religionem sequentem, & non aquirantur priori, licet capaci, dum enim disponens certam habebat cognitionem de statu personæ, contemplatus fuit Monasterium, in quo actu degebat religiosus in probatione, vt bona transirent ad secundum Monasterium ad commodum vtriusq; Ita docet *Cardin. in Clem. 1. §. quia vero qu. 12. num. 14.* licet contra se citet Sanchez, qui tamen potuisset eum trahere in hunc sensum.

Quæres 27. Quid dicendum est de monialibus transeuntibus ab vna ad aliam religionem?

56 Resp. Omne id, quod in præcedentibus quæstionibus dictum est de iuris, applicandum est monialibus, cum vigeat eadem ratio transitus ab vno ordine ad alium, nec video differentiam, cum non agatur de conditione sexus, sed de aquisitione bonorũ, quæ ex sua natura sunt communicabilia, nisi obstent specialia statuta. Et quod ita censendum sit *Auth. de Monachis §. Illud quoq.* id aperte docet circa dispositionem bonorum his verbis: *Omnibus, quæ super Monachis de his dicta sunt, & in mulieribus in Monasterium ingredientibus valituris.* Et si ibi sermo sit de primo ingressu, idem tamen dicendum est de secundo, dum professa a primo ordine transit ad alium, cum ibi sermo sit de dispositione bonorum.

Quæres 28. An monialis secum, inferat dotem in Monasterium alterius ordinis, vel etiam in aliud eiusdem Ordinis?

57 Resp. Affirmatiue, quia dos vt dos datur formaliter, & ex natura sua, vt sustineat onera Monasterij, *l. Si is, qui 57. ff. de iure dotium*, vbi expresse dicitur. *Ibi dos esse debet, vbi onera matrimonij sunt.* Et ad alium finem dos non sequitur personam, nisi ad sustinenda onera matrimonij; ergo idem dicendum est de dote monialium, vt personam sequatur, vbi debent sentire eius onera, ac proinde monialis transiret ad secundum Monasterium, in quo alenda est, secum defferre debet suam dotem, cum respiciat ex natura sua commodum personæ, cuius est. Quare sicut dos soluto primo matrimonio Carnali sequitur viduam, ita & dos monialis soluta prima professione sequitur professam in secun-

secundo Monasterio. Valet enim argumentum à matrimonio Carnali ad Spirituale professionis. Ita Bartol. Socinus *consil. 222. num.3. Vers. Sed* & in casu nostro, *Baldus Nouell. de dote par.1. num.10. Tapia in Auth. Ingressi cap.6. num.10. alij apud Castropal. disp.3.p.17.§.2. num.5.*

Qui num. 6. tenet id verum esse in casu, quo monialis eam sibi reseruauit expresse in casu transitus ad alium ordinem. Aliter,& absolute loquendo vult, monialis dotem remanere in priori Conuentu, *cum Sanchez lib.7. cap.32. nu. 12. cum Nauar. com.4. de Regul.num.24. Vers. Vndecimo, & Rodriq.tom.2.sum. cap.31.num.9.* qui vult transire solum alimenta ex dote, non eius proprietatem. Probant, quia dos monialis hanc tacitam conditionem habet si profiteatur in religione,qua professione secuta, perpetuo ibi manet, & absolute sit sub dominio Monasterij. Confirmatur, quia professione in secunda religione superiorissa obligatur ad alendam monialem transeuntem.

Respondetur, eam tacitam conditionem non obstare, quia habet locum etiam in secunda professione, sicut dos, si sequatur secundum matrimonium, l. in his 67.§. Vxor ff.de iure dotium, vbi quod dos sequitur secundum matrimonium, ergo & dos monialis secundum matrimonium Spirituale, vbi enim sunt onera,ibi debet esse dos;nec ea disparitas, quod vxor sit domina propietaria suæ dotis, & non monialis, obstat, quia paritatem facimus, in eo,quod sicut dos vxori traditur propter onera matrimonij, ita & moniali assignatur propter eadem onera,quæ propter ipsam sustinet matrimonium, ergo debet sequi personam quocumque vadit, vt onera sustineantur. De hac re fusius dixi cap. 13. de profess. q. 62. sequendo Rodriq.de transitu fructuum, hactenus tamen dicta probant etiam de proprietatis translatione, quia semper habet adnexā sustentationem onerum, ergo ex natura sibi à lege concessa, & fixa sequitur personam, consequenter non dicitur absolute quæsita primo Monasterio, aliter non esset ex natura sua ordinata ad subleuanda onera.

Quæres 29. An monialis translata ad aliud Monasterium eiusdem ordinis, vel alterius, vt ibi regimen habeat,secum deferat suam dotem?

58 Resp. Non, quia non transit ad onerandum,sed potius ad exonerandum Conuentum. Ita respondit S. C. die 9. Octobris 1618.Referente Petro Bellasio Florent.Ordinis Fesulani in suo promptuario Regulari V.Moniale 25.

Quæres 30. An de licentia Papæ Religiosus testari possit?

59 Resp. Affirmatiue, quia prohibitio testandi est de iure humano, *ex Auth. Ingressi,cap.quia ingredientibus 7. 19.q.3.& cap. 2.de testam.* Sed in eo Papa dispensat,ergo de licentia Papæ professus testari potest. Responsio hæc non habet contradictorem, *cum Nauar.com.2. de Regul.num.57. Rodriq.tom.3.q. 69.art.2.Sanch.lib.7. cap.8. num.45.* Sed de qua re poterit testari? Si nihil habet proprium Dico,de illis,quæ secum inferre potest,quando transit ad secunda vota,iuxta superius dicta. Vide dicenda in seq.cap.de testandi licentia pro Episcopi religiosis De Milite Ierosolimitano,non valente testari *Rota par.9.to. 1.decis.18.Farin.par.2.decis.76.& 87.*

Quæres 31.An Papa possit dare licentiam reuocandi testamentum?

60 Resp. Quamuis Papa possit præiudicare tertio in iure quæsito, quando vult & se explicat tamen id rarissime facit,& vrgente causa existente; Vnde dici potest simpliciter, quod non potest,quia id dicitur esse contra iustitiam, auferre rem alteri iam perfecte aquisitam. Ita *Surdus vol.1. cons.90. num. 8.*

Go-

Gozadinus conf.40.num.12.Sanchez lib.7.cap.11.num.13.& 14. Intellige, quod iam fortitus est suum effectum, nam si pendet, reuocabilis est, cum nondum ius delationis quæsitum sit vocatis in testamento.

Quæres 32. An transiens ad secunda vota secum deferat ius præsentandi?

61 Resp. Transit cum eo ius præsentandi, probatur Tum quia fructus sequuntur vsufructuarium, sed præsentationes sunt fructus, *ex cap. consultationibus de iurepatr. Glos. fin. cap. Cum Bertoldus de re iudic. Cassador. decis.7. de causa possess. num.15. Seraphin. decis.456. num.3. Rota Vol.9. tom 1. decis.73. num.6.* Tum quia actus præsentationis cum sit successiuus, & conuentus præsentet cum persona, & persona cum conuentu, dum superior se solo sine conuentu præsentare non potest, non videtur posse præsentare sine persona, cui in seculo competeret præsentatio ergo personam sequi debet. Tum quia ius præsentandi se habet sicut ius hereditandi, sed hoc sequitur personam ex dictis hic q.11. ergo, & ius præsentandi. Oppositum sensit Molina disp.188. fine, Sanch. lib.2. cons. cap. 3. dub.75. ex illis de Lugo disp.3. de Iust. num.206. §. Si autem.

Quæres 33. An vsusfructus transeat cum professo ad secunda vota?

62 Resp. Affirmatiue, quia de sui natura sequitur personam, vt dixi cap.8. nu. 40. cap.9. num.39. cap.10. num.29. & 31.

CA-

CAPVT XIII.

An professus translatus ad Episcopatum, vel aliam dignitatem secum transferat aliquid de monasterio, & cui deinceps aquirat, & de eius testamentis.

1 *Religiosus Capax Episcopatus, immo initio omnes erant religiosi.*
2 *Administratio non dicit proprietatem.*
3 *Religiosus factus Episcopus adhuc est religiosus.*
4 *Non aduersantur inuicem hi duo status.*
5 *Habitum sui ordinis desert Episcopus, & Cardinalis.*
6 *Opinio tenentium non esse amplius religiosum.*
7 *Electione eximitur ab obseruantijs, non à professione.*
8 *Ponitur cap. Vnic. 19. quæst. 1. & exponitur.*
9 *Duo tempora inspiciuntur in religioso Episcopo.*
10 *Durat sub obedientia vsq; ad Confirmationem.*
11 *Electio, Confirmatio, possessio, & consecratio quid dicant in Episcopo.*
12 *Aliud est religiosum absolui à iugo professionis, aliud ab ipsa professione.*
13 *Episcopus aquirit sibi mediate, immediate suæ ecclesiæ.*
14 *Dignitas dignitati additur.*
15 *Episcopus secum aliqua transfert, sicut transiens ad secunda vota.*
16 *Aquirit Monasterio usq. ad confirmationem, deinde suæ ecclesiæ.*
17 *Repudiare potest hereditatem nondum aditam.*
18 *Aditio verbo, vel facto fieri potest.*
19 *Aquirere, & donare potest suis consanguineis pauperibus.*
20 *Titularis aquirit Cameræ Apostolicæ.*
21 *Dicta de Episcopo locum habent in Cardinalibus.*
22 *Nullus eorum testari potest propria auctoritate.*
23 *Administratio morte finitur, testamentatio post mortem exequenda.*
24 *Papa potest dare licentiam religioso Episcopo testandi.*
25 *Licentia hæc debet esse ex causa iusta vel saltem honesta.*
26 *Etiam ad profanos vsus ex honesto fine.*
27 *Licentia hæc est reuocabilis.*
28 *Licentia debet esse specifica ad testandum.*
29 *Codicillos comprehendit.*
30 *Donationem causa mortis.*
31 *Non finitur factione vnius testamenti.*
32 *Non est necesse, quod præcedat ipsum testamentum.*
33 *Morte Pontificis non expirat licentia.*
34 *De quibus bonis testari possit religiosus.*
35 *Licentia comprehendit etiam substitutiones pendentes.*
36 *Potestas eadem in destruendo; quæ in faciendo*
37 *Recuperat ius præsentandi.*

CErtum est, religiosos esse capaces dignitatis Episcopalis, cum non repugnet statui religioso, ab ineunte enim Ecclesia Apostoli, erant simul religiosi, & Episcopi, & diu id seruatum fuit. Nec obstat votum paupertatis, cum quo stare potest administratio, cum non dicat dominium, nec proprietatem, ex dictis cap. 2. num. 42. & 43. cap. Expedit. 13. 12. qu. 1. Quæstionibus
2 subijciendis præmitto nonnulla.

3 Primo religiosum promotum ad Episcopatum, vel aliam dignitatem etiam Cardinalatus, non desinere esse religiosum, sed omnino remanere talem, qualis erat ante vsque ad mortem. Probatur ex eius indissolubilitate, Nouitius enim professione in tali statu ponitur, quo debet tendere ad perfectionem; sed hac tendentia semper, & continuo eget, quia perfici potest finite in infinitum, & status, qua talis dicit immobilitatem, & permanentiam secundum D. Thomam 2. 2. q. 183. ergo religiosus quocumque non obstante semper talis est, ac proinde indestruibilis est per Episcopatum, dum perpetuo manere debet.

4 *Confirmatur*, quia status religionis non aduersatur statui Episcopatus, nec is illi, sed ambo in eodem subiecto esse possunt, nam religiosus factus Episcopus bene seruare potest tria vota, in quibus consistit status monachalis, siquidem de obseruatione castitatis nullus dubitat, de obedientia manifestum est, quia Generalis cuiuslibet ordinis nulli tenetur obedire ex voto intra religionem, cum omnium sit superior, nec extra, dum nulli promisit ex voto obedire, & tamen adhuc religiosus est, sufficit enim illi obedientiæ obligatio in habitu, & in potentia exercenda, cum erit absolutus à dignitate, tunc enim cum denuo non fiat religiosus, signum est, quod talis erat tempore dignitatis, qualis fuerat ante promotionem ad Generalatum. Votum quoque paupertatis obseruabile est ab eo, quia per Episcopatum nihil sibi proprium aquirit, sed solam administrationem bonorum ecclesiæ, quæ, vt dixi, non repugnat statui religioso, dum officium administrationis est necessarium in religionibus, vt experientia docet, exercendum per ipsos religiosos, sequitur ergo ex his statum religiositatis conseruari cum religioso assumpto ad Episcopatum. Hinc est, quod
5 Episcopus, & Cardinalis deferunt habitum sui ordinis, quia adhuc remanent religiosi ex perpetuitate, quam includit essentialiter, dum in quolibet ordine quiuis profitetur vsque ad mortem per hunc modum ostendens eius perpetuitatem, & indissolubilitatem; vnde bene à quibusdam assimilatur caracteri, qui sicut vocatur indelebilis, quia non habet contrarium sui destructiuum, ita & status religiosus ex professione tamquam caractere perpetuo animæ impresso non habet contrarium à quo destruatur, nisi mortem, & Pontificem Romanum, qui creando religiosum Episcopum tantum abest, vt destruat in eo hunc statum, quin potius illum perficit addendo perfectionem maiorem minori. Quod religiosus factus Episcopus adhuc talis remaneat, & non absoluatur à statu religioso, est communis sententia Doctorum, quos refert *Sanchez lib. 6. cap. 6. nu.* 2. num. 34. inter quos tres sancti numerantur, Thomas, Bonauentura, & Antoninus.

6 Secundo sciendum est, nonnullos asserere, religiosum Episcopum creatum absolui à votis, ac proinde desinere esse religiosum, quod probant per textum expressum in cap. Vn. 18. q. 1. illis verbis *Monachus quem canonica electio à iugo Regulæ monasticæ professionis absoluit*. Sicut ergo professio facit monachum

-su

subiectum iugo Regulæ,ita electio eius in Episcopum absoluit ab eodem iugo professionis destructa ergo professione amplius non est religiosus. Ac proinde eximitur à voto paupertatis, & efficitur verus dominus omnium redditum suę ecclesię episcopalis,& aliorum delatorum sibi,sicut est quilibet alius Episcopus, qui nunquam fuit religiosus, & id corroboratur per subsequentia verba *Velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat*. Si autem adhuc esset vere religiosus non posset vindicare sibi, sed ecclesiæ suæ paternam hereditatem, cum vindicare sit actus proprietatis, cuius est incapax religiosus, manifestum est ergo ex hoc textu, Episcopum factum non esse amplius religiosum, quod & textus idem aperte dicit ibi; *Et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit*. Indicant enim hęc verba mutationem subiecti à veteri ad nouā formam à priori diuersam. Et ita tenent Angles *par.2.q.Vn.de Voto art.2.post 13.diffic.dub.5.Sotus lib.7. de Iust.q.4. art. 2. ad vltim. Michael Metina de sacrorum homin.contin.lib.5.cap.26. col.1. Vasquez 1.2.q.96.art.4.disp.165.cap.8. nu.91.quos refert Barbosa ad hoc cap.Vn. 18.q.2.num.12.Sequitur Pasqual.ad Franch um q.112.num.7.* Vbi refert præfatum textum ponderando illud pronomen sibi, quod est personalissimum denotans proprietatem, quæ pugnat cum voto paupertatis, vnde potest testari de patrimonialibus,& de alijs aquisitis ex propria industria,& sequitur Dianæ par.1.tract.2.resol.50.

7 Contrarium supra diximus tamquam longe probabilius, nimirum religiosum non absolui à statu suo per Canonicam electionem, sed tantum ab obseruantia eorum, quæ officio episcopali obstant, ac proinde teneri etiam voto paupertatis in eo,quod sola administratione cōtentus non sit dominus sui patrimonij, nec redditum ecclesiasticorum,qui dicuntur aquisita ecclesiæ suæ, & non sibi,nisi quo ad vsum suum. Non absoluitur ergo, à voto paupertatis Ita docent 47. Doctores citati à Sanch.lib.6. cap.6. num.8.

8 Respondendum est ad textum, quem vtraque opinio pro se citat, referam autem totum illud caput:*Statutum est, & rationabiliter secundū,S.Patres à Synodo confirmatum,vt monachus, quem canonica electio à iugo Regulæ monasticæ professionis absoluit. & sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat; sed quicquid aquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui,qui fuerat secundum Regulam S.Benedicti arbitrie. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod Santificatur, & titulatur secundum sacros Canones, quod aquirere poterit restituat*. In religioso ad Episcopatum assumpto

9 duo tempora sunt spectanda, *primum* à die electionis vsque ad diem confirmationis & adeptæ possessionis suæ ecclesiæ,ad quā promotus fuit,post quod sequitur *secundum* tempus adeptionis ecclesiæ licet nondum sit consecratus Durante primo tempore electus manet sub obedientia superioris regularis, magis enim, vt ita dicam est religiosus, quam Episcopus, cum careat potestate iurisdictionis, & ordinis mixtum nihilominus ex illis duobus formis monachatus, & Episcopatus, qui Confirmatione perficitur in ordine ad possessionem ecclesiæ accipiendo potestatem iurisdictionis, & non ordinis,quā per solam consecrationem consequitur,qua tandem vltimo perficitur gradus, & dignitas Episcopalis,*de quare Azur. par.2.lib.3. cap.28. & 29.& 30.* Quare ante confirmationem cum magis sit religiosus, quia simpliciter, & absolu-

tæ eſt talis, & Epiſcopus ſolum electiue, & dominatiue, remanet vlterius ſub-
obedientia ſui ſuperioris regulais, ac proinde vti ſimpliciter religio ſus aqui-
rit Monaſterio pro eo tempore,ſicut antea, vt dicit textus: *Sed quicquid aqui.*
ſierat, vel habere viſus fuerat Monaſterio relinquat. Apuncto vero confirmatio-
nis, & deinceps eximitur ab obedientia ſuperioris regularis, & ſubditur im-
10 mediate Papæ, & ideo non amplius Monaſterio, cuius deinceps non eſt filius
nec membrum, aquirit, ſed eccleſiæ ſuæ, inqua fuit intitulatus, & deſponſa-
tus, vt dicitur in textu extremis verbis.

Ex his deducitur reſponſum ad obiectionem opinionis contrariæ, illa enim
verba *Quem Canonica electio à iugo Regulæ monaſticæ profeſsionis abſoluit* non
verificantur pro illo tempore primo, quo electus præciſæ adhuc eſt ſubiectus
Abbati ſuo, ergo ex capite electionis non deſtruitur ſtatus religioſitatis, ergo
adhuc non eſt abſolutus à iugo monaſticæ profeſſionis;nec abſoluitur pro ſe-
11 cundo tempore, in quo ſpectantur Confirmatio, poſſeſſio, & conſecratio,
quæ limitatos habent ſuos effectus, vt notum eſt, nam confirmatio præciſe
corroborat electionem, & dat illi iuriſdictionem, poſſeſſione autem aquirit
adminiſtrationem bonorum ſuæ eccleſiæ, & conſecratione habet poteſtatem
ordinis Epiſcopalis, quos nullum aduerſatur, nec deſtruit ſtatum monaſti-
cū, ſed perficit & in eſſe conſeruat, hi enim effectus non repugnant religioſis
12 vt notum eſt. Quare ipſe verborum tenor ſatis ſe exponit, dicit enim *Quem*
canonica electio à iugo Regulæ monaſticæ profeſsionis abſoluit. Non dicit: *Quem*
canonica electio à profeſsione Regulæ monaſticæ abſoluit. Quia aliud eſt abſolu-
tio à profeſsione, aliud abſolutio à iugo profeſsionis,nam etiam ſimplex pro-
feſſus abſolui, & eximi poteſt à iugo profeſsionis, remanendo religioſus, vt
patet in illis religionibus, in quibus Sacerdotes ſenes eximuntur ab omnibus
ferè oneribus monaſticæ profeſſionis, ſed non ab ipſa profeſſione, & appelan-
tur Iubilati ideſt exempti ab obſeruantijs regularibus. Ergo cum ſacrum il-
lud Concilium non fuerit vſus illis verbis *à profeſsione,* ſed illis *à iugo profeſsio-*
nis,Clarum eſt, electionem Canonicam non abſoluere à profeſſione, quod eſt
deſtruere ſtatum religioſum,ſed tantum à iugo ideſt ab obſeruantijs regulari-
bus, relicto profeſſo in ſtatu ſuæ profeſſionis.

Ad illud de vindicatione patrimonij reſpondeo,non tollere ſtatum religio-
ſum,quia etiam ſimplex profeſſus vindicat ſibi paternam hereditatem,aquirē
do eam ſuo Monaſterio, quia ſi moriatur ante parentem, Conuentus nihil a-
quirit, dum huiuſmodi aquiſitio fit Monaſterio intuitu, & virtute filij profeſ-
ſi ſuperuiuenti patri, & in hoc omnes conueniunt, & dixi cap.9.num.43. cap.
13 11.num.36. Aquirit ſibi mediate, non immediate,quia tunc eſſet actus pro-
prietatis repugnans voto paupertatis, non mediata aquiſitio,quæ ſcilicet re-
dundat in commodum conuentus, & in vtilitatem ipſius vindicantis recupe-
rantis ſcilicet ſuo Monaſterio patrimonium. Vindicare ſibi tunc importat
actum proprietatis,quando auctoritate propria, & nomine ſuo ſibi vendicat,
& aquirit,ſed non ita facit profeſſus,nec ſimplex,nec factus Epiſcopus, quia
ille aquirit nomine conuentus,& iſte nomine ſuæ eccleſiæ, vt dicitur extremis
verbis præcitati textus.

14 Demum,nec obſtant ea verba:*Sacra ordinatio de monacho facit Epiſcopum*
quia ſicut de ſacerdote quis efficitur Epiſcopus, ſine deſtructione Preſbitera-
tus, ita & fieri poteſt Epiſcopus religioſus ſine deſtructione regularis ſtatus,

dum

dum sunt compossibiles formæ in eodem subiecto apto recipere vtrumque. Abbas quoque factus Episcopus non desinit esse abbas, nisi obstet incompatibilitas beneficiorum, quia dignitas dignitati non aduersatur, dum idem subiectum ab omnibus illis perficitur. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres igitur primo, an religiosus factus Episcopus secum deferat ea, quæ habebat ad vsum proprium in Monasterium?

15 Resp. Eodem modo de ipso moralizandum est, quo resoluimus de religioso in præcedente capite transeunte ad Monasterium alterius ordinis, viget enim eadem ratio in vtroque consistens in transitu, & translatione religiosi, relicto priori ordine, ergo vigere debet eadem iuris dispositio. Et ita docent omnes cum Sanchez lib.7.cap.32.exemplificando semper etiam in Episcopo. Itaque secum portabit liuellos, Manuscripta, & iura substitutionis, & quicquid deferret, si transiret ad alium ordinem. Debet ergo omnia resignare Monasterio, quæ habebat ad vsum, de communi *Peyrin.de subd.q.1.Vers.Dico secundo.*

Quæres 2. Cuinam aquirat religiosus factus Episcopus?

16 Resp. Aquirit suo Monasterio vsque ad punctum confirmationis, & deinceps suæ ecclesiæ Episcopali, in qua fuit intitulatus. Ita aperte colligitur ex allato capite supra, & docent omnes cum D.Thoma 2.2.*q.*188.*art.*8. *ad* 3. *Rodriq.tom.*2.*q.*58.*art.*7.*Molina tract.*2.*disp.*140.*fine. Sanch.lib.*7. *cap.*23.*num.*67. Episcopus ergo confirmatus suæ aquirit ecclesiæ quæcumque bona, & iura illi obuenientia ex hereditate, donatione, industria, aut labore aquisita, ex præcitatis, & *Couar.cap.*1.*de testam.num.*19.*Azor lib.*10.*q.*6.*Lessio lib.*2.*cap.*41.*dub.* 11.*Barb.ad hoc cap.num.*14.*Castropal.disp.*3.*puncto* 19.*num.*13.*de Lugo disp.*3.*de iust.num.*232. Intellige etiamsi religiosus sit Minor Capucinus, aut Obseruans, quia is etiam aquirit suæ ecclesiæ, & à fortiori, quia suo alias Monasterio aquirere non potest, cum sit incapax, vt docent præcitati.

Quæres 3. An Episcopus hereditatem sibi relictam repudiare possit in fauorem consanguineorum?

17 Resp. Repudiare potest, tamen si hereditatem adiuit, eam postea repudiare non potest. Primum patet, quia habens potestatem vindicandi sibi hereditatem, potest etiam repudiare illam ante illius aditionem, *l.*15. *potest ff. de aquir. hered. Vasq.de heredit.eccl.cap.*3. *dub.*2. *num.* 28. *Rota par.*4. *tom.* 2. *decis.*115. *nu.*14. Secundum probatur, quia per aditionem proprietatem illam suæ ecclesiæ iam quæsiuit, ergo illi non potest præiudicare per repudiationem. *Angel.inter cons.Baldi lib.*3. *cons.*403. *Craueta cons.*26. *numer.*6. *Vers.Amplius dico*, *Ioseph. Ludouic.conclus.*16.*Vers.Fallit.*3.*Rota cit.num.*16.

18 Aditio autem non solum verbo, quando quis se vocat heredem, sed etiam facto contingit, e. g. exactione pecuniæ inuentæ in hereditate, *Bartol.in l.Genit. ff.de aquir.hered.Craueta cons.*148.*n.*10.*Iason cons.*112.*num.*6.*ex eadem Rota n.*2.

Quęres 4. An Episcopus possit aquirere suis consanguineis?

19 Resp. Affirmatiue, sed non immediate, probatur, quia fructus sui beneficij, & sibi relictorum contemplatione ecclesię facit suos, quos ideo expendere potest in commodum suorum consanguineorum, si tamen sunt pauperes, emẽdo illis aliquam proprietatem, non vero potest alienare proprietatem, cũ dicatur quæsita ecclesiæ, cui non potest præiudicare. Fructus ergo facit suos proprietas vero per aditionem quæritur ecclesiæ, *ex cap.statutum* 18.*q.*1. *ibi Archid.num.*2.*Natta cons.*180.*num.*5.*Feder.de Senis cons.*20.*num.*7. Et hic mo-

dus

dus non repugnat voto paupertatis Episcopi,cui obuenit vsusfructus necessarius religioso in statu Episcopali, & proprietas ecclesiæ suæ. Dum ergo de fructibus suis subleuat miseriam suorum consanguineorum emendo proprietatem ex peculio suo dicitur aquirere illis non immediate,quia nihil proprietatis ab ecclesia alienat in illorum fauorem, sed illorum indigentijs occurrit mediantibus fructibus,quorum dominium habet ex dispensatione iuris. Quare regularis Episcopus licet in dubio censeatur aquirere suę ecclesię,id tamen fallit, quando constat, ipsum voluisse alteri aquirere, vt decidit Rota in hoc casu coram Ludouisio decis. 401. & 476. Vide Barbosam lib.3. Voto 101. vbi probat ipsum posse disponere in vita, tantum,quantum Episcopus secularis.

Quæres 5. Quid dicendum sit de Episcopo titulari?

20 Resp. A religione secum transfert, quæ poterat ferre in secundum monasterium, si transisset ad secunda vota,& suo Monasterio aquirit vsque ad tempus confirmationis,sicut facit habens actu ecclesiam,& post confirmationem, aquirit sedi Apostolicæ; hoc vltimum restat probandum, quia alia patent ex dictis mox. Episcopi ergo titulares aquirunt Cameræ Apostolicæ, non Monasterio, quia huius non amplius filij,nec membra, aut partes sunt, sed immediate subijciuntur sedi Apostolicæ,ergo huic aquirere debent. Confirmatur, quia spolia istorum, sicut quoruncunque aliorum regularium extra degentium,sunt Cameræ Apostolicæ ex constitutionibus Gregorij XIII.incip.*Officij nostri* 43. & Pauli III.incip.*Romani Pontificis* 29.ergo illi aqiruntur,huiusmodi enim ius aquisitionis fundat dispositionem dictarum Bullarum. Ita *Azor.to.1.lib.2.cap.10.q.7.fine,Sanch.lib.7.cap.32.num.68.* Contra Sotum, Rodriquez asserentes aquirere Monasterio,quia carent sede,& Ecclesia,cui possint aquirere;sed ex allata ratione patet,& ex supra dictis,non amplius aquirere post confirmationem, quia non sunt amplius de corpore communitatis Monasterij, subiecti immediate Pontifici maximo,ideo illi aquirunt,& ita sentiunt præter citatos *de Lugo disp.3.de Iust.num.*233.*Castropal.disp.3.p.19.nu.*14.quia seruiunt ecclesiæ,si non particulari saltem vniuersali repræsentate in Papa, ergo merito eius Cameræ debentur.

Quæres 6. An dicta de Episcopo locum habeant in Cardinali?

21 Resp. Affirmatiue, quia sunt omnino exempti à religione, & immediate subiecti Pontifici Romano, & suæ ecclesiæ administrationem habent, Consequenter illi aquirunt. Ita *Rimin.Vol.3. cons.*342. *Sanchez lib.7.cap.32.num.*70.*Castropal. disp. 3. p.19. num.*14. *de Lugo disp. 3. num.* 233. ait id cessare, quia omnes habent indultum testandi.

Quæres 7.An religiosi Epis.&Cardinales possint testari auctoritate propria?

22 Resp. Negatiue, quia adhuc sunt religiosi sub voto paupertatis,&quicquid post confirmationem suam etiam patrimonialia aquirunt non sibi,sed suæ ecclesiæ, vt probatum fuit supra, ideo testari non possunt. Confirmatur, quia illorum bonorum sunt tantum administratores,administratio autem morte finitur, vt notum est; sed qui testatur disponit de re exequenda post suam mortem ergo administrator vt talis testari non potest, cum administratio nō se extendat post mortem, sicut testamentario. Ita fere omnes *cum D. Thoma*

23 2.2. *qu.*185. *art.*8. *ad tertium Rodriq. tom.*3. *qu.*79.*art.*4. *Sanch. lib.6. cap.6. num.*10. *Lezana par.*1. *cap.*17. *num.*5. *Barb.lib.*1.*de iure ecclesiæ cap.*42. *num.* 211. *Ludouij. decis.*109. *num.*5.Et alij omnes apud prædictos.

Quæ-

Quæres 8. An Papa possit dare licentiam religioso Episcopo faciendi testamentum.

24 Resp. Affirmatiue, quia qui prohibuit religiosis factionem testamenti, potest eam prohibitionem tollere, res enim per quas causas nascitur per easdem tollitur; sed Pontifex Romanus prohibuit religiosis factionem testamenti, ergo ipsemet eandem tollere potest, & sic tollere ab eo actum proprietatis per licentiam. Ita omnes *cum Nauar. com. 2. de Regul. num. 57. Couar. in cap. 2. de testam. num.* 10. vbi alij Canonistæ, quos ibidem *citat. Barb. num. 7. Rodriq. tom. 3. qu. 69. art. 3. Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 45. Castrop. disp. 3. p. 12. num. 11. Cardin. de Lugo disp. 3. de iust. sect. 6. num. 118.*

Quæres 9. Qualis debeat esse licentia testandi concessa religiosis à Pontifice Romano?

25 Resp. Debet esse ex iusta Causa, quæ moueat Pontificem ad eam concedendam, hoc est pietas, & necessitas, cum enim ea sit species dispensationis in lege, & in voto non subsisteret, nisi procederet ex honesta causa, cuiusmodi est pietas parentum pauperum, relinquere pro anima propria instituere locum pium, altare, capellam &c. Pia ergo causa iustificat licentiam. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 48. & 52. Lessius lib. 2. cap. 19. num. 40. Castropal. disp. 3. p. 12. num. 13. Barbosa de iure eccl. lib. 1. cap. 42. num. 125.*

Quæres 10. An licentiam concedere possit ad profanos vsus?

26 Resp. Potest, modo sit honestus illæ vsus, quamuis non pius, vt si relinquat consangnineo multum diuiti, vel amico locupleti ad Captandum eius beneuolentiam, &c. non intelligitur tamen concessa, nisi exprimatur Licentia ergo sufficit, quod iustificetur ex causa si non pia, saltem honesta. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 52. Castropal. disp. 3. p. 12. num. 13.* Si vero vsus sit mere profanus, aut vanus non potest; cum non sit causa honesta, vnde non potest dare licentiam instituendi maioratum, ita precitati, cum alijs Barb. lib. 1. de iure eccles. cap. 42. num. 215.

Quæres 11. An Papa possit reuocare licentiam, quam dedit?

27 Resp. Affirmatiue, quia gratiosa sunt reuocabilia, cum non sint debita. Barbatia par. 3. de testib. num. 25. Confirmatur, quia conformatur naturæ ipsius testamenti, quod ex se reuocabile est vsque ad mortem, per quam redditur irreuocabile, & sortitur suum effectum per mortem ipsius testatoris, sicut ergo testamentum reuocabile est a testatore, ita licentia à concedente. Ita *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 16. num. 13. & 16. & cap. 17. num. 15. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 6. num. 16. Castropal. Disp. 3. p. 12. num. 12.*

Quæres 12. An sufficiat licentia generalis ad disponendum?

28 Resp. Necessarium est exprimere licentiam ad condendum testamentum, quia qualis est prohibitio talis esse debet licentia ad eam tollendam; sed prohibitio est specialis, & determinata; ergo talis quoque debet esse licentia perimens prohibitionem. Ita *Nauarra cons. 7. de donat. & 71. de Regular. Sanc. lib. 7. cap. 8. num. 55. Barb. lib. 1. de iure eccles. cap. 42. num. 216. & ad cap. 2. de testam. num. 12. de Lugo disp. 3. de iustit. num. 119.*

Quæres 13. An extendatur ad codicillos?

29 Resp. Affirmatiue, quia codicillus est pars testamenti, *Glos. Instit. de testam. initio*, qui enim concedit totum dat etiam partem, quia est in ipso toto, quod ex partibus componitur. Confirmatur, quia qui potest testari, potest etiam co-

codicillari *l.Conficiuntur* 8.*ff.de iure codic.* Et Ita docent omnes *cum Sanch.lib.* *7.cap.8.num.57.Castropal.disp.3.p.12.num.14. de Lugo num.119.*

Quæres 14. An licentia testandi comprehendat donationem causa mortis?

30 Resp.Sic,quia qui potest facere testamentum,potest etiam donare causa mortis,*ex l.Marcellus* 15.*ff.de donat.mortis causa*. Ita præcitati *Sanch.nu.58.* *& lib.8.de matrim.disp.1.num.38.Castropal.num.14.de Lugo nu.119.*

Quæres 15. An licentia testandi sit ad vnum,vel plura testamenta?

31 Resp.Est ad plura,quia vt dixi supra, licentia huiusmodi regulatur conformiter ad naturam testamenti, quod potest multiplicari reuocatione præcedentis, licentia ergo sequitur naturam testamenti, cuius factio est ambulatoria,& variabilis vsque ad mortem,per quam confirmatur. Ita *Sanchez lib.8. de matrim.disp.1.num.17.& lib.7.cap.8.nu.57.Rodriq.par.3. q.69.art.5.Barb.ad cap.2.de testam.nu.14.de Lugo disp.3.num.119.*

Quæres 16. An hæc licentia debeat præcedere factionem testamenti codicilli,& donationem causa mortis?

32 Resp. Non est necessarium, sed sequi potest,quod deducitur ex natura ipsius testamenti,quod cum nunquam perficiatur, nisi per mortem testatoris, semper de ambulatorium vsque ad extremum vitæ, sufficit, quod immediate præcedat mortis testatoris,qua habita dicitur habilitatus ad testandum,licet sit iam scriptum per manum Notarij,aut ipsius testatoris. Ita *Nauar.com.2. de Regular.num.57.Sanch.lib.7.cap.8.num.60. Barbosa ad cap.2. de testam. num. 15.& lib.1. de iure eccles.cap.42. num. 217. de Lugo disp.3. de Iustit.num.119.* qui requirit in testatore, vt eam acceptauerit attestatione septem testium. Sed id puto non esse necessarium, cum in qualibet re probanda sufficiant duo testes, neque enim cum facit inserere in suo testamento licentiam, per quod dicitur illam acceptare,nō dicitur illud facere,sed iā factum corroborare per licentiam, vt non sit nullum,sed validum tempore mortis. Si autem tempore acceptationis non sit sanæ mentis,ita quod expresse,& formaliter illam acceptare non possit, puto in eo casu sufficere virtualem acceptationem, nam eius voluntas non est mutata, sed perseuerata, ergo sufficit, quod Notarius illi innixus inserat licentiam in ipso testamento iam scripto.

Quæres 17. An morte Pontificis extinguatur licentia ad testandum?

33 Resp. Negatiue,sed tandiu durat, quandiu viuit ipse religiosus; est enim gratia facta,quæ non expirat morte concedentis,*cap.Relatum 19. cap.Gratum 20.de offic. deleg. cap.Si super gratia 9.eod.in 6. cap.Si cui 36. de prebend.in 6.* Et ad hoc facit Regul.16. Decet, beneficium à Principe concessum esse mansurum. Ita *Nauar.de Reddit.q.3.§.11.num.2.Sanch.lib.7.cap.8.num.57.& lib. 8. disp.28.num.82.Rodriq.tom.3.q.69.art.6.Barb.ad cap.2.de testam.num.13.& lib. 1.de iure eccles.cap.42.num.218.*

Quæres 18.De quibus boni dicatur data licentia testandi!

34 Resp.De bonis tantum, quorum habet possessionem, vt de patrimonio, de peculio, & redditibus beneficij, & non aliter, de alijs vero bonis iam tertio quæsitis simpliciter, & absolute disponere non potest neque de bonis monasterij,quia non sunt sub eius possessione. Ita omnes cum Sanchez *lib.7.cap.8. num.56.Barbosa ad cap.2.de testam.num.12.de Lugo disp.3.num.119.*

Quæres 19.An Episcopi licentia testandi se extendat ad bona substitutioni, & fideicommisso subiecta, si dum erat in seculo ita fecerit suum testamentum,

tum, vt post mortem instituti succedat vocatus,& nondum euenerit casus actualis substitutionis?

35 Resp. Affirmatiue, quia testamentum non sortitur suum plenarium effectum,nisi per mortem testatoris naturalem etiam ipsius religiosi,vt dixi cap: 8.num.33. Et quamuis professus de se non possit mutare, nec infirmare testamentum suum,tamen accedente licentia potest non solum condere testamentum, sed etiam alias factum reuocare virtute licentiæ,si adhuc pendet, non
36 enim maior potestas requiritur in factione,quam in destructione rei, *l Heredes palam* §. *Si quid post ff.de testam.l.Sicut proponis 7.fine,C. de nupt.*Quare habens licentiam condendi testamentum potest etiam illud antea factum reuocare virtute huiusmodi licentię,vt aliud facere ponit in executionem ipsius licentiæ,modo ius non sit quæsitum heredi,vt non est in præsenti casu supposito ergo de eisdem bonis testari potest contra substitutos, qui nullus ius aquisierunt in hereditate nondum delata, sed tantum sperata. Ita *Tapia in Authent.Ingressi* §. *ideoque nec de his cap.1. num.26.* Contra Sanchez lib.7. cap.8. num.57.ea ratione, quia ius vocatorum ad maioratum est conditionale, cui Princeps nequit derogare nisi ex maxima causa, Molina de primogen. lib.1. cap.8.num.31. ergo à fortiori dicendum est per hanc licentiam non derogari huic iuri. Sed responderi potest, Principem non derogare per generalem licentiam ius iam quæsitum,vtique quærendum,quia nulli fit proxime pręiudicium,& sicut testator libere disposuit ad fauorem substitutorum,ita eadem libertate substitutionem, & institutionem reuocare potest, cum non se obligauerit non reuocare dispositionem, nec possit, cum id sit contra naturam testamenti.

Quæres 20.An Episcopus factus recuperet ius prę sentandi?

37 Resp.Affirmatiue,quia recuperat hereditatem paternam,ex cap.Vn.18.q. 3.ergo & ius præsentandi. Confirmatur ex dictis cap.12.q.32.



CAPVT XIV.

De Religiosis translatis ad beneficia secularia cuinam aquirant, & an testari possint.

1 *Religiosi ratione sui status non sunt incapaces beneficiorum.*
2 *Sacerdotes ab ineunte ecclesia erant omnes religiosi.*
3 *Mendicantes inhabilitati ad beneficia.*
4 *Quæ secum transferat?*
5 *Aquirit Monasterio vsq; ad possessionem beneficij, deinde sua ecclesiæ.*
6 *Si non amplius est subiectus suo superiori regulari.*
7 *Spolia eius sunt Cameræ Apostolicæ.*
8 *Translatus remanet adhuc religiosus.*
9 *Religiosus beneficiarius non potest testari.*
10 *Beneficium vnitum Monasterio dicitur regulare.*
11 *Beneficij status non mutatur mutatione personæ.*
12 *Canonici Regulares Lateranenses habiles ad beneficia.*
13 *Recuperat ius presentandi.*

1 RELigiosi ratione sui status relatiue etiam ad votum paupertatis non sunt incapaces beneficiorum quorumcunque siue cum cura, siue sine cura, quia per eorum obtentionem non fiunt proprietarij fructuum beneficiorum, sed tantum administratores, quod non repugnat voto paupertatis, aliter nec essent capaces Episcopatus, qui sine administratione non confertur. Et de beneficijs curatis res est clara ex cap. in Parochia 31.16.q.1.cap. quod Dei timorem, de statu monach. vt docent omnes Canonistæ, ita quod ea obtinere possunt ab Episcopis sine vlla Pontificia dispensatione, stando in iure antiquiore, & de beneficijs curatis ita docent plerique *cum Sanch. lib. 7. cap. 29. nu. 35. Castropal. de Benefic. disp. 1. p. 3. §. 1. num. 16.* Confirmatur id, quia ab ineunte
2 ecclesia omnes sacerdotes ad imitationem Apostolorum erant religiosi sub tribus votis, & erant de genere illorum, qui nunc vocantur Canonici Regulares Lateranenses, vitum in communi degentes vsque ad tempora Vrbani Papæ I. electi 223. cæperant postmodum declinare ab hac vita communi, & possidere in particulari, ex quo surrexerunt clerici numcupati seculares, quia more secularium incæperunt habere prædia, & possessiones tamquam proprias, & horum crescente multitudine, summi Pontifices istis conferebant beneficia præsertim curata, & tempore procedente diuisa fuerunt beneficia in regularia, & secularia, illa erant Canonicorum supradictorũ, & Monachorum, vnde extat illud axioma, quod beneficia regularia sunt conferenda regularibus, & secularia secularibus *ex cap. cum de beneficio, de præbend. in 6. Trident. sess. 14. cap. 10. apud Ropriq. tom. 1. qu. 34. art. 3. Riccium par 4. collect. 763. Gratian. cap. 574. num. 15. Barb. addictum cap. de præbend. num. 12. Farinac. par. 1. de-*
3 *cis. 229.* Demum in Extr. Com. de postulat. Prælat. Mendicantes declarati fuerunt

tunt inhabiles ad qualcunque dignitates ecclesiasticas, & quæcunque beneficia,& ita practicatur,quod beneficia secularia non conferuntur religiosis nisi ex speciali dispensatione summi Pontificis. Soli autem Canonici Regulares Lateranenses remanserunt cum sua habilitate obtinendi beneficia secularia, quæ illis passim conferuntur sine vlla Pontificis dispensatione, hanc enim habilitatem habent ex vi sui instituti clerici essentialiter ad beneficium animarum,vt pluribus probaui in speciali tractatu pro illis,& tango hic q.7.

De clericis ergo regularibus translatis ad beneficia secularia tum curata, tum sine cura agendum est in ordine ad bona,quæ secum à religione portare possunt,vel non,& cui deinceps aquirant, vt patebit in sequentibus quæstionibus.

Quæres igitur primo,an aliquid ex ijs,quæ intulit in monasterium secum deferre possit?

4 Resp.Ea omnia secum transferre potest,quæ secum portaret,si transiret ad secunda vota,militat enim eadem ratio,iuxta dicta in præcedentibus capitibus,ergo idem ius militare debet. Et dixi cap.12. cum Sanchez lib.7. cap. 32.per totum.

Quæres 2.Cui aquirat religiosus obtinens beneficium seculare?

5 Resp.Si adhuc sit subiectus superiori regulari aquirit suo monasterio ea, quæ illi relinquuntur eius contemplatione;si vero sit exemptus a superiore regulari aquirit suæ ecclesiæ,in quo habet beneficium,sicut etiam,quando est subditus de suis fructibus debet benefacere suæ ecclesiæ,aliter eius spolia sunt Cameræ Apostoiicæ.

Primum de aquisitis monasterio ratione subiectionis probatur,quia cum adhuc sit subiectus tamquam pars,& mebrum monasterij illi aquirit, sicut alij religiosi. Confirmatur, quia sicut filius naturalis aquirit patri, ita & religiosus filius adoptiuus monasterij. Ita Bartol.*in l.si seruus communis ff.de stipulat.seruor.num.37.l.Sed & si quis stipuletur §. interdum ff.de Vsufr.Bald. ibidē in Addit. Anchar.cap.Cum olim il 2.de priuileg.cum alijs Tapia in Authent.Ingressi,V.sua cap.6.num.6.Sanch.lib.7. cap.32.num.76.Suar.tom4. de Relig.tract. 8.lib.3.cap.19.à num.7.Castropal.disp.3.de obligat. relig. p.19. num.15. de Lugo disp.3. num.234.*

6 Secundum de aquisitis ecclesiæ ratione beneficij, quando est extra obedientiam patet, quia ex cap.Statutum 18.q.1. Sicut Episcopus aquirit suæ Catedrali, ita beneficiarius suę ecclesiæ, ideo illi benefacere debet. Et ita docent præcitati.

7 Tertium de spolijs,quando manet extra obedientiam superioris regularis subiectus ordinario loci patet ex Bulla Gregorij XIII.incip. *Officij nostri* 43. Vt dixi de Episcopis cap.13.num.20.

Quæres 3.An religiosus translatus ad beneficinm seculare curatum,vel sine cura,desinat esse religiosus?

8 Resp.Negatiue,quia ratio beneficij non aduersatur statui religioso, quam dicit votum paupertatis,quod obseruari potest à beneficiario,qui non est dominus proprietarius rerum beneficij, sed tantum administrator,quod nullam dicit rationem ptoprietatis. Confirmatur, quia ab ineunte ecclesia omnes sacerdotes erant religiosi habentes curam animarum,& de fructibus suorum beneficiorum sustentabantur. Faciunt dicta cap.præced. initio, de Episcopo

Z 2 facto

facto non desinente esse religioso, ergo multo minus beneficiarius. *Decius in c. ad nostram, de confirm. num. 6.*

Quæres 4. An religiosus beneficiarius possit testari de fructibus sui beneficij, aut saltem illos donare suis pauperibus?

9 Resp. Non potest testari aliquo modo, obstãte *c. Quia ingredientibus 19. q. 3. & Auht. Ingressi* Cõfirmatur, quia nec Episcopus sine licentia Papæ testari potest ex dictis cap. præced. q. 7. ergo multo minus beneficiarius, cum non sit dominus, sed tantum administrator, qui habet liberam administrationem fructuum sui beneficij, & cæterorum redditum sibi obuenientium, vt dicunt omnes *cum Nauar. tom. 2. num. 6. Corrollar. 9. Rodriq. tom. 2. q. 58. art. 8. Lezana par. 2. cap. 18. num. 33.* Qui supersunt suæ sustentationi, debent expendere in beneficium ecclesiæ, & pauperum, etiam sustenstando suos consanguineos pauperes tamen, ita citati *à Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 14. Lezana par. 2. cap. 18. num. 33.*

Quæres 5. An beneficium curatum vnitum Monasterio dicatur regulare ex eo solo, quod illi sit vnitum?

10 Resp. Vtique posita præscriptione, quod semper rectum fuerit à religiosis; vt colligitur *ex cap. Cum de beneficio 5. de præbend. Nauar. cons. 11. de statu mon.* Et si enim per vnionem non alteratur status beneficij, *ex Glos. in cap. 1. Ne sede vac. & in Clem. Per literas de prebend.* & ibi Canonistæ, tamen cum à pluribus successiue religiosis gubernatum fuerit, retinet naturam beneficij regularis, esto alias fuisset secularis.

Quæres 6. An beneficium seculare, ad quod promotus fuit religiosus, fiat regulare?

11 Resp. Negatiue, sed tale remanet, quale erat ante, etiam si vltra quadraginta annos possideatur ab eodem religioso, ratio est, quia ad mutandum beneficij statum, nõ sufficit mutatio status personæ, sed necessaria est expressa voluntas Pontificis, vt se declaret velle per talem collationem mutare illius statum. Ita *Felin. in cap. In nostra, de refer. num. 41. Vers. Secundo noto. Silua de benef. par. 3. q. 11. num. 40. Pasqual. ad* Franchum *q. 85. num. 5.*

Quæres 7. An Canonici Regulares Lateranenses cum sola licentia sui Generalis possint habere beneficia curam animarum habentia?

12 Resp. Affirmatiue non tantum de Curatis, sed etiam de simplicibus, Probatur, quia id est conforme eorum instituto, vt patet ex forma professionis, in qua exprimuntur hæc verba: *Et quod nunquam absq; licentia Capituli General dictæ Congregationis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cucura, beneficium acceptabo intus, aut extra ordinem nostrum.* Et quod possint obtinere beneficia quæcunque statuit Benedictus XII. in sua incip. *Ad decorem 6. §. 30.* Lauretus de Franchis Controu. inter Episcopos, & Regulares q. 86. vbi refertur quedam decisio S. Congr. Quod Gregorius XIII. nolluit licere Canonicis istis asumere curam animarum etiam ad tempus. Sed quicquid sit de hoc video hic Parmæ contrarium practicari.

Quæres 8. An translatus ad beneficium seculare recuperet ius presentandi?

13 Resp. Affirmatiue, quia erat aquisitum monasterio intuitu personæ, & cum habeat tractum successiuum cum ea transire debet, non enim repugnat voto paupertatis. Confirmatur ex dictis cap. 12. q. 32.

C A-

CAPVT XV.

De bonis Fugitiuorum, Apostatarum, & Eiectorum à Religione, quibus aquirantur?

1 *Decreta de Apostatis, & eiectis vbi sunt extensa.*
2 *Fugitiuus, Apostata, & Eiectus differunt.*
3 *Ordo ille est honoratior, qui habet plures Apostatas fallit Caramuel.*
4 *Fugitiuus reputatur Apostata in foro externa.*
5 *Fugitiuus cuinam aquirat.*
6 *Apostata moriens intra claustra aquirit monasterio.*
7 *Debita eius non soluit monasterium.*
8 *Eiecti morientes extra aquirunt Cameræ Apostolicæ.*
9 *Non autem reuerti ad monasterium.*
10 *Bono illorum non aquiruntur simpliciter Cameræ, sed vbi moriuntur.*
11 *Ius ad rem peremitur à iure in re.*
12 *Religio per electionem non intendit abdicare ius in bonis eiecti*
13 *Spolia quid sint ?*
14 *Eiecti bona transeuntis ad alium ordinem, cuisnam sint !*
15 *Negata receptione eiecti, adhuc bona essēt monasterij, si nō extaret Gregoriana*
16 *Eiectus habet ampliorem vsum bonorum. quam claustralis.*
17 *Iste vsus debet esse ad licita tantum.*
18 *Recipiens meretrix excusatur à restitutione.*
19 *Testamentum facere non potest.*
20 *Recuperat minime renuntiata.*
21 *Aliquid secum asportat.*
22 *Alendus à monasterio positus in graui necessitate.*
23 *Pater alit filium bannitum.*
24 *Monasterium est pater, & filius respectu diuersorum.*
25 *Gerit erga vicem duorum.*
26 *Professio habet rationem contractus.*

1 EXtant Decreta Sanctissimi Vrbani VIII. contra Apostatas, & Eiectos incorrigibiles extensa in Bullario No uo sub numero XXVI. in Peyrino de Priuileg. Const. X. eiusdem Pontificis, in Pasqualigo in Addic. ad Franchum num. 957. Vbi rem late explicat per multas quæstiones valde vtiles.

2 Differunt inter se hi termini Fugitiuus, Apostata, & Eiectus. Nam Fugitiuus ille dicitur, qui sine licentia recedit à Monasterio cum animo redeundi. Apostata vero ille vocatur, qui pariter recedit sine licentia, sed caret animo redeundi, cum intendat non amplius redire, sed deserere religionem, quam professus fuit. Hanc differentiam omnes accipiunt *à Caietano 2. 2. q. 12. art. 1. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 1. Miranda tom. 1. q. 51. art. 1. Caramuel in Regulam S. Benedicti num. 1751.* vbi num. 1752. ait, illam religionem esse honoratiorem, quæ habet plures

3 plures fugitiuos, isti enim nolunt conuersari cum bonis religiosis, nec his assimilari, dissimbola enim difficile congregantur, ideo mali fugiunt bonos. Non placet, quia bonus ex virtutibus metitur, non ex vitijs. Discernere fugitiuos ab apostatis spectat ad forum conscientiæ, nam in foro fori fugitiua regulariter puniuntur pro apostatis, quia tales præsumuntur, nisi aliter probetur
4 simplex fuga. Eiectus vero, & à religione expulsus, ille appellatur, qui probatus incorrigibilis per annum carceratus non se emendauit, cuius incorrigibilitas legitime probata per sententiam reijcitur à religione, ad formam Decretorum de Eiectis, & Apost. De istis plura dixi in Manuali iudicum Criminalium cap. 96. 97. & 98. In præsenti agendum est, de eorum bonis cuiusnam sint, & quibus quærantur.

Quæres igitur primo, cuinam aquirat fugitiuus, sibine? aut monasterio? an Cameræ Apostolicæ?

5 Resp. Fugitiuus moriens intra claustra, quicquid aquisiuit, dum manebat extra, suo tantum monasterio, & nulli alij aquisiuit; Probatur ex illo communi axiomate: quicquid aquirit monachus, suo monasterio aquirit, fundato in Authentica *Ingressi*, vbi, quod profitendo donat se, & omnia sua monasterio, inter sua autem est etiam ius aquisitiuum, ergo illud transtulit in monasterium; Sed fugitiuus adhuc est religiosus, neque enim eius fuga iniquitatis debet illum eximere à iugo regularis obseruantiæ. Eius ergo bona non spectant ad Cameram Apostolicam, nam Bulla Gregoriana loquitur de Apostatis, non de fugitiuis, & dato etiam, quod de illis loqueretur, non comprehendit fugitiuos cum duplici qualitate, & quod extra claustra degerint, & quod extra decesserint. Et ita docet Lauretus cum Pasqual. eius Additionatore de Apost. q. 11. num. 1029. & 1030.

Quæres 2. Cuinam aquirat Apostata?

6 Resp. Eodem modo, Apostatam aquirere suo monasterio, non vero Cameræ Apostolicæ si moriatur in suo monasterio, cum illæ duæ qualitates excludant Bullam fauore monasterij. Ita ijdem q. 12. num. 1031. & 1032. Intellige, nisi reuertatur ad clausuram in fraudem Cameræ Apostolicæ, quod præsumi potest, quando paulo ante mortem instigatur, & rogatur à Fratribus, vt reuertatur. Tollitur vero præsumptio, si sanus in se reuersus reuertitur, in hoc ergo non præsumitur dolus, sicut in eo.

Quæres 3. An sicut aquirit monasterio credita, an aquirat etiam debita, quæ teneatur monasterium soluere pro suo apostata?

7 Resp. Non tenetur conuentus soluere debita illius, nisi quatenus acceptum conuersum est in vtilitatem, & commodum monasterij, dicitur enim expresse in cap. Quod quibusdam 4. de fideiussor. quod nullus religiosus absque sui Abbatis, & maioris partis Capituli licentia potest fideiubere pro aliquo, nec accipere mutuam pecuniam vltra summam à capitulo statutam, alioquin non tenetur conuentus pro his respondere, nisi manifeste constet, quod pecunia conuersa fuerit in vtilitatem ecclesiæ. Multo minus tenetur pro debitis Apostatæ, cum nihil illi patrocinari possit in præiudicium monasterij, cui in nihilo seruiuit. Ita omnes ibi citati à Barbosa *cum Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 11. cum suo Compend. resol. 35. num. 8. Portell. V. Apostata num. 7. Lezana tom. 1. cap. 16. num. 19. Donat. par. 2. tract. 6. quæst. 16. Pasqualig. ad Franchum num. 1092.*

Quæ-

Quæres 4. Cuinam aquirant eiecti; & expulsi à religione?

8 Resp. Eiecti decedentes extra religionem, à quo fuerunt eiecti, aquirunt Cameræ Apostolicæ ex tenore Bullæ Gregorianæ, quæ omnia bona religiosorum degentium extra claustra applicat post illorum mortem Cameræ Apostolicæ, ibi: *Declaramus res, & bona quæcumque per dictos regulares extra claustra degentes*. Certum autem est, extra claustra degere expulsos, ergo eorum bona pertinent ad Cameram Apostolicam, Confirmatur, quia post eiectionem desinit esse membrum, & pars monasterij, ergo illi aquirere non potest, nec sibi, cum adhuc sit religiosus, ergo à sufficienti enumeratione necesse est, quod aquirat Cameræ; & si non extaret Bulla aquireret monasterio, ex quo est vlterius religiosus. Ita *Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 29. Sanch. lib. 7. cap. 33. num. 22. Riccius par. 4. decis. 245. Bonac. q. 2. de clausf. p. 1 2. §. 7. num. 14. Barb. ad cap. fin. de Regul. num. 15. Donatus par. 2. tract. 8. q. 46. num. 5. cum alijs Pasqual. ad Franchum mum. 997.*

Quæres 5. An non obstante hac aquisitione pro Camera Apostolica aliquando aquirant Monasterio, cuius sunt professi?

9 Resp. Vtique, quando scilicet ante mortem reuertuntur ad Monasterium, neque enim sunt tuti in seculo, sed debent emendare se, & reuerti ad ordinem secundum opinionem valde probabilem, reuersi ergo aquirunt suo Monasterio ex radice, quod semper fuit sunt filijs religionis licet defectuosi, Camera enim ad bona degentium extra claustra ius habet non absolute, & simpliciter,

10 sed quatenus ea dicuntur spolia, ergo si ante mortem iuste aquirantur tertio, cui antea de iure aquiri poterant, non amplius sunt Cameræ, quæ per illius mortem, & non ante fit domina, ex adductis à Sperello decis. 82. num. 15. vnde ante mortem dicitur habere ius ad bona; & post mortem ius in bonis, si ergo ante mortem reuertatur ad suum Monasterium dicitur habere ius in re, & aquisitum, ac proinde cessat ius ad rem in Camera Apostolica; cum sit pe-

11 remptum per ius in re, & quæsitum, cum sit fortius, & efficacius. Confirma-

12 tur, quia per eiectionem religio non inten it abdicare à se ius quæsitum ad

13 quæcumque bona suorum professorum eiectorum, sed tantum remouere eiectum à communione aliorum, ne inficiantur eorum prauo exemplo. Ita *Lessius lib. 2. cap. 41. num. 112. Faustus lib. 6. Thesauri q. 221. Lezana par. 1. cap. 23. num. 15. Pasqual. ad Franch. num. 999.*

Quæres 6. Si eiectus transeat ad aliam religionem, cuinam aquirat?

14 Resp. Quando ambo Monasteria sunt capacia, bona aquirit primo vsque ad professionem in secundo, cui deinde incipit aquirere, iuxta dicta cap. 12. q. 26. Et ita docet Pasqual. cit. num. 1000. Quando vero transit ad incapacem, dubitari potest, cuinam aquirantur bona, cum non possint aquiri Monasterio incapaci, nec capaci si aquisiuit ante ingressum, nec illi, à quo eiectus fuit, cum non redierit, restat ergo quod sint Cameræ Apostolicæ, quia per transitum ad incapacem dicitur mundo mortuus, ac proinde cum verificentur verba, quod decesserit extra Monasterij claustra, Spolia erunt Cameræ, cui tantum in hoc casu potuit aquirere.

Quæres 7. Demus casum, quod eiectus petierit regressum, & non fuerit receptus, quia maior pars Capituli contradixit, numquid eius bona erant Monasterij, an Cameræ?

15 Resp. Si non adesset Bulla Gregoriana, quæ capit bona degentium, & morien-

rientium extra claustra, iuxta superius dicta, non obstante ea contradictione, adhuc Monasterium aquireret eius bona, & quidem ex parte Monasterij, quod per illam contradictionem non perdidit suum ius aquirendi ex vi professionis, quæ adhuc viget; & ex parte eiecti, qui cum sit adhuc religiosus non potest non aquirere suo Monasterio. Ita *Pasqual. num.* 10001. contra Angelum *V. Monasterium num.6. Et Innoc. in cap. Olim il2. de priuileg. §. Sed si expulsus.*

Quæres 8. An eiectus dum manet in seculo habeat proprietatem, an solum vsum bonorum, quæ aquirit?

16 Resp. Non potest esse dominus, & proprietarius eorum bonorum, quæ aquirit, cum sit religiosus, cuius statui repugnat proprium habere. Et in hoc omnes conueniunt, cum sit notum apud omnes, quo proprietas repugnat religiosis. Vnde restat dicendum, quod habeat solum vsum & quidem vtendi bonis ad licitos, & honestos tantum vsus, sine enim isto vsu sibi necessario viuere non potest. Ita *Rodriq. tom.1. q.30. art.29. de S. Fausto in Thesauro q.221. Lessius lib.2. cap.41. dub.15. Suar. lib.6. Claues cap.9. num.18. Nauar. com.2. de Regular. num.35. Pasqual. ad Franchum num.995.*

Quæres 9. An iste vsus bonorum, quem habent eiecti sit illis liber ac proinde ad illicita quoque?

17 Resp. Vsus iste restringitur ad licita tantum, quia cum adhuc sint religiosi subiecti voto paupertatis, dicuntur bonis vti cum quadam dependentia à superiore, qui illis concedit ius vtendi prout de iure illis concedere potest Ita *de S. Fausto q.222. Lezana par.1. cap.23. num.14. Donatus par.2. tract.8. q.50. Pasqualig. num.1002.*

Quæres 10. An recipientes expensa illicite ab eiecto teneantur ad restitutionem?

18 Resp. Est duplex opinio, vna negatiua, Molinæ *disp.276. num.5. Vers. quo ad cæteros, Lessius lib.2. cap 41. dub.1. Salas tract.5. de ludo dub. 21. num.5. Sanch. lib. 6. cap.9. num.47. Bonac. de Clauf. q.2. p.12. §.3. num.2. Sanct. de Apost. cap.6. dub.2. num.11. Diana par.9. tract.12. resol.5.* Quia de mobilibus non solent curare superiores, & cum eiecti maiorem habeant administrationem illis videtur permissum: quod negaretur existentibus infra claustra.

Affirmatiua opinio quod adsit obligatio restituendi est *Fausti, Texedæ, Lezanæ, & Donati, quos sequitur Pasqual. num.*1003. Quia & si obseruatio paupertatis in his sit laxior, non tamen conceditur dominium, ac proinde iniuste expendunt, & sic recipientes tenentur ad restitutionem. Sed de hac infra latius dicam.

Quæres 11. An eiectus testari possit?

19 Resp. Negatiue, cum sit religiosus, cui expresse interdicitur factio testamenti. *cap. quia ingredientibus q.19. q.3. cap.2. de testam Auth. Ingressi.* Nihil enim proprij habet, de quo testari possit. Ita *Rodriq. tom.1. q.30. art.26. Sanchez lib. 6. cap.9 num.46. Bonac. q.2. de clauf. p.12. §.3. nu.2. Pasqual. num.996.*

Queres 12. An eiectus recuperet bona, quę sua mansissent, si mansisset in seculo?

20 Resp. Nihil posse recuperare eorum, quę renuntiauit, quia iam quæsita fuerunt renuntiatarijs secuta Professione, quæ non soluitur per eiectionem. Ita *Sanch. lib.6. cap.9. num.34. & 45. Nauar. com.2. de Regul. num.35. Azor. p.1. l.12. c.16. q.4. quos pro se citat Rota p.5. t.1. dec.109. n.5. iam, alijs Pasq. n.1078.*

Quæ-

Quęres 13. An fecum asportare aliquid, quod erat destinatum ad eius vsum
e.g. liuellum &c.
21 Resp. Affirmatiue, quia vti vsusfructus sequitur personam, non enim debet
esse onerosus alijs iuxta dicta de transeũte ad secũda vota. Nec per hoc dicitur
ex sua iniquitate reportare commodum, quia hoc commodum de nouo non
aquirit. Recuperat autem ea, quæ non renuntiauit, modo non sint quæsita
tertio. Si eiectus sit obseruans, vel Capucinus sit habilis ratione status assump-
ti clericalis sub obedientia Episcopi, vt dixi cap. 13. q. 44. num. 88. Immo in
casu, quo constaret, illum nihil omnino habere Monasterio auferendo illi
habitum regularem tenetur illi prouidere de veste clericali, neq; enim nudus
abire debet.

Quæres 14. An eiectus constitutus in graui necessitate alendus sit à Mona-
sterio?
22 Resp. Affirmatiue, quia sicut pater naturalis egenti filio debet subuenire,
23 etiam bannito, excommunicato, & heretico, vt docent omnes, de bannito
*cum Nello de Bannito par. 1. q. 96. num. 48. fine, Abbas in cap. si quis Episcopus,
de heret. notab. 1. Felin. in cap. Cum sit, de Iudicis num. 1. Barbat. Vol. 2. consf. 63.
col. 2. fine D. Thomas 2. 2. q. 31. art. 2. ad 3.* de necessarijs alimentis præstandis ex
communicatis, *cum illis Megal. l. 2 lib. 2. cap. 2. num. 5.* Qui licet loquantur de
hac obligatione filiorum erga parentes, tamen è contra idem omnino dicen-
dum est de patribus erga filios, ex illo communi axiomate, quod correlatiua
non iudicantur ad imparia, sed parificanda sunt in eo, quod non repugnat,
24 vt optime dicit ipse Megalius ca. 23. num. 25. Sed Monasterium erga suum
religiosum se habet vt pater, & religiosus vti filius, vt docent *Oldradus in cons.
27. col. 2. Surdus de Alment. tit. 1. qu. 128. num. 6. ex illis Megal. cit. cap. 27. ini-*
25 *tio.* Vnde monasterium gerit vicem duorum, & patris, & filij, habetur loco
filij in ordine ad successionem suorum religiosorum, *ex cap. In præsentia de
probat. Authent. §. Sed & hoc præsenti de sanct Episcop. Auth. si qua mulier C. de
sacrosf. ecclesf.* In cæteris spectatur vt pater, dum educat, & alimenta præstat suis
professis, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, sequitur ergo
ex his, monasterium tamquam patrem teneri alere filium eiectum; & quasi
bannitum, quando aliunde non habet, quo uiuat; non obstante eiectione.
Confirmatur exemplo patrisfamilias, qui filium prodigum aluit, licet male
26 consumasset totam suam substantiam: Deinde professio est contractus ex
quo oritur mutua obligatio inter monasterium, & professum, vt illud tenea-
tur dare victum, & vestitum, atq; doctrinam huic, & vt is teneatur mo-
nasterio inseruire, *Nauar. consf. 26. de Regular. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 4. q. 5. fine,
Sanchez lib. 7. disp. 25. num. 12. & lib. 5. cap. 4. Ego cap. 18. de profess. q. 9.* Sed per
expulsionem incorrigibilis non destruitur professio in sententia omnium, ergo
manet obligatio ex parte monasterij alendi eiectum, dum adhuc manet ius
obligationis fundatum in professione adhuc vigente. Intellige, vt præcise te-
neatur occurrere eius graui indigentiæ ne pereat fame, ne vè nudus incedat,
restringenda enim est obligatio, aliter filius bannitus non differret ab alijs, qui
domi inseruiunt patri.

CAPVT XVI.

An professus possit recuperare bona quibus alias renuntiauit intuitu ingressus religonis.

1 *Iuri suo quilibet renuntiare potest.*
2 *Posita renuntiatione acceptata non potest redire ad renuntiatum.*
3 *A priuatione ad habitum non datur regressus.*
4 *Priuatio supponit habitum.*
5 *Redire ad renuntiatum nemo potest propria auctoritate.*
6 *Vtique aliena auctoritate,& auctoritate tribus modis.*
7 *Ex dispositione legis.*
8 *Ex dispositione hominis renuntiatarij.*
9 *Et ab intestato.*
10 *Renuntiatio in forma amplissima,& realis dicta.*
11 *Nullum petit regressum.*
12 *Ad bona paterna facta fraterna datur regressus.*
13 *Paterna desierunt esse talia per aditionem hereditatis.*
14 *Renuntiatio est strictissimi iuris,sufficit,si aliquid operetur.*
15 *Renuntiatio iurium futurorum intelligitur ex presenti causa*
16 *Patri præmorienti sua posteritati succedit filius professus.*
17 *Pater potest instituere filium, qui renuntiauit.*
18 *Professus præsumitur magis diligere monasterium quam extraneos.*
19 *Pater superstes omnibus potest testari relicto filio professo.*
20 *Recuperat bona ex fratre mortuo.*
21 *Renuntiatio non comprehendi bona in spe.*
22 *Professus non petit legitimam cum alijs,si renuntiauit.*
23 *Renuntiatio facta patri dicitur extinctiua,alijs translatiua.*
24 Legitima *non debetur filio renuntianti,contra alios.*
25 *Episcopus factus quæsita tertio, sed tantum quærenda recuperat.*
26 *Restitutio ad pristinum statum non dat ius ad bona.*
27 *Episcopus regularis comparatur cum alijs religiosis quo ad recuperationem bonorum.*
28 *Responsum S.C.quod non recuperant quæsita tertio.*
29 *Contraria opinio,quod Episcopus recuperat renuntiata tertio quæsita.*
30 *Conditiones duæ in renuntiatione reperiuntur,vna Tridentini.*
31 *Altera hominis renuntiantis,si eam exprimat,aliter absoluta est.*
32 *Conditio extrinseca non subintelligitur,nisi exprimatur.*
33 Rebus sic stantibus *facit pro contractibus,*
34 *Et vbi vnus status est incompatibilis cum alio.*
35 *Episcopus adhuc caret velle,& nolle respectu proprij.*
36 *Religiosus in Claustro,& in Episcopatu eodem modo comparatur in recuperatione bonorum.*

37 *Maior proprietas apparet in reuocatione testamenti, quam in eius factione*
38 *Subdiuano priuato beneficio ob matrimonium restituatur bona.*
39 *Dos sequitur vxorem, non bona Episcopum, & cur.*
40 *Renuntiatio est voluntaria non necessaria.*
41 *Mensuratur à commoditate, non ab ingressu nisi impulsiue.*
42 *Bona transeuntia ex vi professionis non recuperat.*

1 Certum est, quemlibet posse renuntiare iuri suo, *cap. fin. de crimine falsi, ibi Glos. V. Renuntiandum, citans alia iura* quod scilicet, sit illi proprium, & priuatum bonum, nam commune pluribus, nullus priuatim, & auctoritate propria renuntiare potest, dum praeiudicat tertio, *Glos. V. Pacta priuatorum, cap. Si diligenti* 12. *de foro competenti*; vbi alia iura citantur. Posita autem renuntiatione, & acceptata à renuntiatio non potest renuntians
2 redire ad bona renuntiata, *cap. Quam periculosum* 8. 7. *q.* 1. *vbi Glos. alia iura refert*, quia remittentibus actiones suas non est dandus ad eas regressus, *l. Quaritur* 14. §. *Si venditor. ff. de edil. edicto* Nemo enim quod suum erat, iam renuntiatum propria auctoritate recuperare potest, *cap.* 2. 16. *q.* 6. *l. Extat* 13. *ff. Quod metus causa*. Absurdum enim est redire ad renuntiatum *l. Si quis* 11. *C. de red. cred. Glos. V. Potestatus, cap. praesentium* 31. *de testib.* Facit illud axioma philosophicum:
3 A priuatione ad habitum non datur regressus firmatum *l. Post diem* 7. *ff. de lege comiss. l. Qui res* 98. §. *Aream ff. de solut. Barbosa Vaz lit. P. num.* 45.
4 Priuatio autem respicit habitum, & illud supponit *l. Iulianus* 4. *ff. de diuort. & repud. l. Decem* 116. *de verb. obligat. Iust. de capitis dimin.* §. *Seruus*, Non etiam possunt renuntiare, quod non habeo, cum renuntiationis obiectum sit aliquid & debeo illud habere sub meo dominio, & potestate, quia cum super alienum nullum ius habeam, nec illud renuntiare possum. Et haec omnia confirmantur ex cap. Quamuis 2. de pactis, vbi dicitur, quod pactum à filia nubente factum patri, quod contenta erit de sua dote, quamuis reprobatum à lege, valet si fuerit iuratum sine vi, & dolo, ita quod nullum habebit regressum ad bona paterna. Late Sanch. lib. 7. cap. 7. initio.

Ex his videtur responsum ad quaesitum huius capitis, nimirum in nullo casu posse professum redire ad bona, quę renuntiauit, quando ingressus fuit religionem. Sed reuera non est, quia in aliquibus casibus redire potest, in alijs non, pro qua re explicanda.

5 Notandum vt, quod verissimum est in omni casu, renuntiatorem non posse repetere, renuntiata, nec ad ea redire, & recuperare iure, & facto suo, quia
6 iure caret, ac proinde propria auctoritate nihil recuperare potest, sed aliena
7 voluntate redire potest ad renuntiata; quod tribus modis contingere potest. *Primo* ex dispositione Canonica cap. Statutum 18. q. 3. vbi religiosus factus
8 Episcopus recuperat patrimonium, cui renuntiauerat. *Secundo* ex facto hominis, cum renuntiatarius testatur, vel donat in fauorem renuntiantis, vel ei facit legatum, tunc enim ea non dicitur recuperare propria auctoritate, sed in illis succedere ex disponentis mente, qui ex acceptatione renuntiationis non sibi ademit ius de illis disponendi pro suo arbitrio. Ita omnes *cum Anton. Gomez lib.* 22. *Tauri num.* 10. *Couar. in cap. praefactum* 2. *de pactis Molina lib.* 2. *de primog. cap.* 3. *num.* 6. *Seraphin. de priuileg. iuram.* 21. *Surd. decis.* 14. *num* 4. & *Vol.* 1. *cons.* 136. *num.* 33. & 34. *Molina disp.* 579. *num.* 22. *cum alijs San-*

9 *ch.lib. 7.cap.7. num.*10. Demum recuperat *Tertio* renunciata, quando in eis succedit ab intestato, dum enim renuntiat talem præsumitur habere intentionem, vt faueat suis consanguineis, & non extraneis, ergo adueniente casu, quod vltimus de suo sanguine decedat intestatus, poterit succedere, id enim non est recuperare renuntiata propria auctoritate, sed ab intestato, nam moriens ab intestato intendit, vt in suis bonis succedant consanguinei, & non extranei, nam præsumitur suam voluntatem conformare legi, quæ mandat, heredes necessarios, & suos succedere, iuxta, quod dixi cap. 11. *à nu.*40. *Bald.cons.*457. *num.* 2. *Vol.*1. *Rota par.*5. *tom.*2. *decis.*480. *& decis.*543. *Ventriglia de Renunt. filiæ dotatæ tract.*1. *§.*1 *num.*5. Sed proponamus quæstiones.

Quæres igitur 1. An renuntians in forma amplissima redire possit ad renun-
10 tiata? Renuntiatio in forma amplissima ea censetur, in qua disponens exprimit se renuntiare omnibus bonis, iuribus, & actionibus sibi competentibus, & competituris toto tempore vitæ suę, ita quod promittit, & iurat, se non venturum contra renuntiata, ex quouis capite successionis, siue per viam testamenti, aut donationis inter viuos, aut causa mortis, vel ab intestato, etiamsi maneat superstes omnibus suis consanguineis, & affinibus. Vide quæ dixi sub cap.7.q.3. Et hæc vocatur renuntiatio realis, qua renuntians ita à se abdicat omne, & quodcunque renuntiatum, vt nolit vnquam redire ad ea, ac si esset perpetuo Capucinus.

11 Resp. Bona sic renuntiata recuperare non potest, quia nullum sibi retinuit ius, nec titulum, quo posset illa recuperare, nam renuntiauit non solum bonis, sed etiam iuri recuperandi, quod triplex statui paulo ante, vel ex lege, vel ex positiua dispositione, vel ex omissione dictum ab intestato, ergo cum nihil sibi retinuerit, nihil agere, nec pati potest recipiendo renuntiata.

Quæres 2. An renuntians bonis paternis, & maternis præcise illis mortuis ab intestato succedat simul cum alijs suis fratribus fratri defuncto?

12 Resp. Non obstante renuntiatione frater professus diuidit cum alijs suis fratribus secundum carnem bona fratris defuncti. Ratio est, quia professione transtulit in monasterium ea omnia iura, quæ habuisset in sæculo; sed ibi cum alijs fratribus diuisisset bona fratris defuncti, ergo & in religione diuidit ad fauorem sui monasterij. Nec obstat renuntiatio, quia ea bona non amplius sunt paterna, sed fraterna, ex aditione enim hereditatis desierunt esse
13 paterna, facta propria heredum *Glos. V. Per vnum l.* 1 *ff. de aquir. vel amitt. possess.* ibi: *Post additam hæreditatem iam non est hereditarius, sed proprius heredis* Ibidem Iason, *num.*14. *Menoch, cons.*124. *num.*5. *Cephal. cons.*489. *num.*73. *&* 74. Quare cum sint bona fraterna non possunt dici comprehensa in renuntiatione bonorum paternorum, quam rationem originaliter adducit *Angel. cons.* 52. *cum multis alijs, Rota p.* 4. *tom.* 2. *decis.* 375. *num.*7. in terminis nostris. Sanchez quoque lib.7. cap.7. num.6. ad hoc plures citat Doctores. Facit pro hac resolutione, quod renuntiatio est strictissimi iuris, nullo modo extenden-
14 da, *Aymon cons.* 1. *num.* 454. *Curt. iun. cons.* 16. *num.*11. *Decian. lib.* 3. *cons.*7. *num.* 75. *Paris lib.* 1. *cons.* 110. *num.*96. *cum alijs Rota part.*4. *tom.*2. *decis.*523. *num.*7. Vnde sufficit, vt aliquid sit operata, quamuis minimum, & non est vlterius aliquid quærendum, vt extendatur, *ex allegatis ab eodem Rota num.* 19. *ad* 22. Quare nullus præsumitur voluisse renuntiare iuri in futurum sibi competenti, *l. Tres fratres ff. de pactis, in l. Mater ff. de inoffic. testam.* ex eadem Rota

ta per Rubeum num.1. vbi num.2. multis citatis dicit, renuntiantem iuribus
15 in futurum sibi competentibus, non renuntiasse iuri aquirendo ex noua causa de futuro, & ignorata, sed tantum illi iuris, quod ex causa de præsenti competebat, vbi fuse de hac re. Concluditur ergo fratrem succedere in bonis fraternis cum alijs fratribus, quia renuntiatio non fuit de illis, sed de paternis, quæ per aditam hereditatem à filijs desierunt esse paterna. Dixi cap.13. de profess.q.27.

Queres 3. Quid si pater suo testamento instituat filium professum, qui ei renuntiauerat cum iuramento, non dispensatus possit acceptare pro Monasterio hereditatem?

16 Resp. Ad eam acceptandam non esse necessariam dispensationem à iuramento, quia illud non cadit super negatiuam acceptationem hereditatis, quia non iurauit non acceptare hereditatem sibi delatam à patre, sed iurauit, se non venturum contra renuntiationem procurando eius reuocationem; adeundo autem hereditatem sibi delatam, & Monasterio non facit contra iuramentum, cum non dicatur contrauenire, sed tantum acceptare illam. Sanchez lib. 7. cap.7. num.11. dicit, in tali casu filium posse succedere absque timore periurij, quia cum fuerit ab eo præstitum patri in eius fauorem, dum eum instituit heredem censetur illi remittere hanc obligationem, ac subinde filius regreditur ad eum statum, in quo erat ante. Hæc ratio non placet, nisi in casu, quo iurasset se non accepturum hereditatem paternam.

Quæres 4. An deficientibus omnibus descendentibus, & ascendentibus superstite solo parente, filius non obstante renuntiatione, mortuo patre sine dispositione, recuperet omnia bona etiam renuntiata?

17 Resp. Affirmatiue, quia aliud est priuare se suis bonis, aliud se priuare iure succedendi ab intestato suis parentibus, illud enim respicit factum proprium sine relatione ad legem, hoc vero cum relatione ad legem, vnde si in renuntiatione non fiat mentio de renuntiatione iuris legalis veniendi ab intestato, huic certe non dicitur renuntiasse, ergo superuiuente patre toti suæ posteritati ex-
18 cepto filio professo, hic illi omnino succedet ab intestato. Confirmatur, quia professus præsumitur magis diligere Monasteriũ, quam extraneos, vt dixi *cap. 7. num.18. & 19. vt colligitur ex cap. fin. 20. q.3. Auth. de sanct. episc. §. Sed & hoc resenti, Bcrous cap. In præsen-tia, de probat. num.*401. Itaque sic docent *Molina to 3. disp.179. num.19. Couar. in cap. Quamuis par.3. num.4. Sanchez lib.7. cap.7. nu. 26. a Pqualigo q.283.*

19 Dixi, *sine dispositione*, quia potest testari, eo quod ex secuta professione ita pater remansit absolutus dominus bonorum renuntiatorum, vt possit pro suo arbitrio instituere, quem voluerit, etiam filio, & monasterio præteritis, quia renuntiauit bonis paternis, quæ adhuc ea paternitatis qualitate sunt affecta. Ita *Couar. & Molina citati, Spinus in Speculo testam. G los.12. princip. nu. 52. cum alijs Paulus Rubeus par.4. tom.3. ad decis.523. num.*101. Contra Sanchez *lib. 7. cap. 7. num. 29. & Pasqualig. quæst.283. & alios* asserentes patrem omnibus suis posteris superstitem non posse testari fauore extraneorum, sed in eius bonis succedere filium, & monasterium, quia cum renuntiatio censeatur facta in fauorem familiæ, ea non extante, perinde est, ac si facta non fuisset, & sic corruit, consequenter ambo succedunt in bona paterna, & pro hac opinione infinitos pene Doctores refert idem Rubeus num.100. Sed persistendo

in predictis, facilius est, renuntiationem, de qua constat, perseuerare, quam dicere corruisse, cum transacta sit sub dominio absoluto patris cum libera potestate de ea disponendi.

Quæres 5 Ingrediens religionem amplissimam fecit renuntiationem de bonis suorum descendentium ad fauorem fratrum, vtrum omnibus morientibus ab intestato sine filijs, recuperet ad fauorem sui monasterij bona renuntiata?

20 Resp. Affirmatiue, quia in renuntiatione, quamuis amplissima non veniunt nisi ea iura, quæ renuntians habet tempore renuntiationis, & non quæ
21 sunt in spe de qua est incertitudo, *Decius cons. 379. num. 11. Versu Præterea illa renuntiatio Peregrin de fideicom. art. 53. num. 5. Ciriac. contr. 292. num. 9.* Confirmatur, quia non est verisimile, quod in casu obitus fratrum professus voluerit renuntiare hereditati ab intestato, nullo proximiore ipso extante, *Caualc. decis. 109. num. 10.* Nec quoque verisimile est, vltimum fratrem voluisse excludere suum fratrem professum, dum non habet alium ipso proximiorem, dum ex lege ab intestato, frater fratri succedit, quando non sunt descendentes, nec ascendentes. Ita in terminis *Rota part. 5. tom. 2. decis. 543.* Vericellus tract. 3. q. 61. tenet oppositum, sed supponit renuntiationem esse realem excludentem etiam venientem ab intestato.

Quæres 6. An non obstante renuntiatione filius professus partem faciat in legitima cum alijs fratribus?

22 Resp. Facit (inquiunt infra citandi) quando aliquid sibi reseruauit quia per hoc non videtur à se abdicasse ius succedendi: sicut ille, qui nihil sibi reseruauit, quia is se priuauit successione, & fecit se pro mortuo. Nam vt quis possit aliquid ad heredes suos transmittere, necesse est, vt prius illud aquirat, quia sine aquisitione non transmittitur hereditas, pater autem recipiendo filij re-
23 nuntiationem nihil aquirit, cum filius nihil habeat, quod in patrem transferat, ideo renuntiatio filij non potest dici translatiua respectu patris, sicut dicitur fratris ad fratrem, quia frater habet, quod ad fratrem transmittat. Renuntiatio igitur facta à filio patri vocatur extinctiua, non translatiua, recepta à patre non ad alium finem, nisi vt renuntians succedere non valeat, non autem, vt per talem renuntiationem ius aliquod in ipsum patrem, eiusque heredes transferatur. Ita Donatus Antonius *de Marinis lib. 2. Resol. quotid cap. 93. num. 11. & 12. ex Hieron Gabriel. lib. 2. cons. 135. num. 2. & à num. 22. ad 27. & dixi eisdem cap. 13. q. 38. num. 78. & 79.* Vbi dixi, si non facit partem professus, qui nihil sibi reseruauit, nec qui aliquid sibi reseruauit in renuntiatione, quia venientes ab intestato, vel ex testamento nihil habent, quod transmiserint ad disponentem, qui propria bona transfert ad suos heredes, à quibus nihil accepit, videtur ergo sufficere ea ratio, quod renuntians nihil sibi reseruando abiecerit etiam ius ad legitimam, non vero, qui aliquid sibi reseruauit aspirando ad legitimam, vnde magis mihi placet opinio Sanchez libr. 7.
24 capit. 7. numer. 3. qui refert nouem Doctores dantes legitimam filio non obstante renuntiatione, quando de ipsa non fuit facta expressa mentio in illa, contra aliam opinionem negantem legitimam, quia in cap. Quamuis, de pactis, dicitur, quod non datur regressus ad bona paterna renuntiata, & hanc Sanchez sequitur num. 4. citans pro se viginti tres Doctores, & ego mutata opinione, quia reuera bona sunt adhuc paterna, ergo ad illa redire non potest immediate, dum extant fratres, sicut succederet patri, sublata

tota

tota eius posteritate, vt dixi quæst. 4.

Quæres 7. An religiosus creatus Episcopus recuperet renuntiata à quocunque possideantur?

25 Resp. Non recuperat iam tertio quæsita, sed tantum quærenda, & paternam hereditatem, vt de hac clare dicitur in cap. Vn. 18. q. 1. ibi. *Velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat.* Probatur *primo*, quia factus Episcopus remanet adhuc religiosus sicut ante, ergo durante professione, viget per eam renuntiatio, quæ suum effectum obtinuit irreuocabiliter, ergo redire non potest ad bona renuntiata. *Secundo* Restitu

26 tio ad pristinum statum non dat ius ad bona tertio quæsita, *ex l. Gallus §. quid si tantum ff. liber. & posth.* Vnde Bartol. *lib. 4. Minorit. dist. 3. cap. 3.* dicit, Minorem factum episcopum restitui in pristinum statum, non tamen hanc restitutionem extendi ad bona iam quæsita suis consanguineis. *Tertio,* Non obstante quocunque priuilegio translationis Princeps nunquam intendit tollere ius perfecte quæsitum tertio, nisi de hoc expressam mensionem faciat, vt decisum fuit à Rota coram Burato decis. 576. in causa cuiusdam translati à religione incapaci ad capacem, vt dixi cap. 12. num. 41. *Quarto,* nulla videtur esse differentia inter religiosum manentem in claustris, & translatum ad Epi-

27 scopatum, vterque enim est subiectum voto paupertatis, & in vtroque durat professio, quæ irreuocabiliter firmauit renuntiationem; sed remanens in claustro non potest reuocare, & recuperare bona renuntiata tertio iam quæsita, vt omnes docent, ergo nec factus Episcopus. *Quinto* refertur responsum S.C. datum 11. Ianuar. 1631. in hæc verba: *Proposito in Sacra Congregatione*

28 *Concilij Tridentini dubio ad instantiam N. Regularis professi, & ad Episcopatum promoti. Censuerunt dictum Oratorem recuperare ius succedendi etiam in bonis ab eo renuntiatis, dummodo non sint alteri aquisita.* Refertur à barbosa *lib. 1. de iure eccles. cap. 42. num. 242.* Vbi vocat *Patres Eminentissimos*, qui tamen titulus tunc non erat in vsu, positus ab Innocentio X. anno 1644. ex eius Bulla incip. *Militantis ecclesiæ*. Idem Barb. ad cap. 16. Sect. 25. num. 17. ex Albano lib. 2. tit. 9. num. 10. amplioribus verbis idem responsum refert.

Quod ergo Religiosus Episcopus non recuperet renuntiata, quæ iam tertio sunt quæsita, docent Marius Cutellus *de donat. contemplat. matrim. tom. 1. tract. 1. discur. 2. par. 3 num. 132. Rouitus decis. 10. Fabius Anna cons. 45. nu. 82. Rubeus Alexandr. cons. 47. apud Verisellum tract. 3. q. 61 num. 9. Peyrinus de Prælato q. 3. cap. 1. num. 211. ex illis Barbosa cit. cap. 42 num. 241. & ad cap. Vn. 18. q. 1. numer.* 15. vbi ait religiosum Episcopum etiam de Ordine Minorum recuperare ius suum succedendi parentibus, & alijs aquirendo suæ ecclesiæ. Ex quibus patet, in hoc nihil differre à religioso de religione incapaci ad capacem, qui pariter & ipse recuperat ius succedendi, vt notaui cap. 12. num. 39. & per hæc corrigas quæ dixi cap. 13. de profess. q. 37.

29 Contraria opinio, quod religiosus factus Episcopus recuperet renuntiata, & donata consanguineis, Monasterio, seu alijs, docetur à multis *Molfesio Vol. 1. cons. 1. & Vol. 2. cons. 39. Maranta tom. 3. respons. 55 Lauretus de Franchis q. 118. vbi Pasqual. Marinus lib. 2. cap. 46 num. 17. & 18. vbi citat Genuens. in Practicab. eccles. q. 262.* Est ergo Neapolitana opinio, quam probant multis. *Primo,* quia renuntiatio facta à religiosis est conditionalis, si perseuerauero in religione, quæ euanescit, sublata conditione. *Secundo*, quia renuntiatio præsumitur fa-

cta,

cta, re in eodem statu permanente, ergo mutato statu potest reuocari, tamquam carens voluntate renuntiandi. *Tertio* factus Episcopus recuperat velle, & nolle, & amplius non habetur pro mortuo, ita quod potest reuocare testamentum factum ante religionis ingressum ex Baldo, & Iasone in Auth. Ingressi. Et mortuus resurgendo sua recuperat bona, quia idem est homo, sicut erat ante, exemplificantes de Lazaro mortuo recuperante sua bona. *Quarto* ex cap. quod à te, de cler. coniug. à quo aufertur beneficium, factus laicus propter matrimonium perdit beneficium, & recuperat donata ecclesiæ, quæ ipsum sequebantur, cum ea tacita conditione, nisi recedam. *Quinto* renuntiatio est omnino voluntaria, non necessaria, & ideo tantum valet, quantũ voluntas renuntiantis vult valere, ita quod non extenditur vltra eius intentionem; sed cum fiat intuitu religionis tamquam causæ finalis ab hac recipit suã mensuram, ac proinde in tantum est de intentione renuntiantis, in quantum seruit fini, consequenter cessante causa finali religionis ob quam fit renuntiatio, cessat etiam ipsa renuntiatio. Demum pro hac opinione faciunt ea, quæ habet Paulus Rubeus ad decis. 523. initio par. 4. tom. 3. vbi multa congerit, probando, renuntiantem non præsumi voluisse iuri suo in futurum sibi competenti, etiamsi renuntiationis verba sonent in futurum, e. g. omnibus iuribus sibi competentibus, vel competituris in futurum, etiam ex noua causa de futuro, & ignorata &c. allegando plures textus, & Doctores. Sed religiosus dum renuntiauit ignorabat, se futurum Episcopum, ergo præsumitur noluisse renuntiare, nisi pro eo statu, quo remanebat in religione, ac proinde donatum recuperare tempore episcopatus.

Hæc opinio est causa discordiarum, & litium, quia vt plurimum bona renuntiata non sunt apud immediatum renuntiatarium, sed transierunt de persona ad personam, quandoque etiam ex contractu oneroso, vnde excitantur inter partes lites immortales, quæ crumenas litigantium exhauriunt, & soli procuratores cum aduocatis triumphant; ideo non sequenda, sed argumentis in contrarium adductis respondendum est.

30 Ad primum respondeo in renuntiatione duas posse spectari conditiones; prima inducitur à iure Tridentini sess. 25. cap. 16. ibi; *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione*. Posita ergo professione de conditionali transit in absolutam, & fit omnino irreuocabilis, non potest igitur reuocari à renuntiante, quocunque adueniente casu, dum vti absoluta aquisita fuit irreuocabiliter renuntiatario, qui vti dominus absolutus, & liber eam sibi
31 retinere, vel in alium libere transferre potest. Secunda inducibilis est ab ipso renuntiante, dum eam verbis expressis renuntiat in sua renuntiatione similibus verbis; *donec perseuerauero in religione; nisi expulsus fuero, nisi translatus fuero &c.* Quæ cum non habeat necessariam connexionem cum renuntiatio-
32 ne, non subintelligitur, nisi exprimatur, *l. Si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus ff. de verb. obligat. Glos. V. conditio cap. 2. de Rescript.* Et ita docent *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 17. & ex eo Castropal. disput. 3. de obligat. relig. p. 17. §. 2. num. 6.* Asserentes, transeuntem ad alium ordinem non ferre secum donata primo Monasterio, nisi donauerit sub conditione, *si perseuerauerit ibidem*, expressa in instrumento. Renuntiatio ergo facta à nouitio de sui natura non est conditionata, sed absoluta, & ideo irreuocabilis.
33 Ad secundum fere eadem responsio danda est, nam ea verba *Re in eodem sta-*

statu permanente indicant conditionem non necessariam, sed voluntariam, ideo non præsumenda, sed exprimenda. Præterea hæc conditio proprie verificatur in contractibus, ***Anchar.consil.84.num.3.& 4.Decius.cons.335.num.3.& 4.*** ***cum multis*** alijs Theodosius. ***Rubeus par.4.singul.Claus.672. num.1.*** constat autem renuntiationem non esse contractum cum vtrique non pariat obliga-
34 tionem, sed est donatio. Deinde clausula hæc: *Rebus sic stantibus* non habet locum vbi status sequens compossibilis est cum præcedenti, Seraph. decis. 1444.num.11. Monachatus autem & Episcopatus simul manent in eodem, & vnus status per alium perficitur, quod ergo non licet vni, nec alteri, monacho autem non licet reuocare renuntiationem, ergo nec cum transfertur ad Episcopatum.
35 Ad tertium, Episcopus factus adhuc caret velle, & nolle in ordine ad votum paupertatis, cum remaneat sicut prius incapax proprietatis vt docui cap.3.initio, est enim vere religiosus, vt ibidem probaui, ergo non recuperat velle, nec suum testamentum reuocare potest, cum sit religiosus, immo nec Papa potest illi dare hanc licentiam, quando testamentum sortitum est suum
36 effectum, vt dixi cap.12.quæst.31.num.6. parificatur enim Episcopus regularis cum claustrali, vt neuter sicut non potest testari, cap.13.num.22.de Episcopo, ita neque reuocare testamentum ante professionem factum, vt probaui cap.8.quæst.30.num.72. immo maius proprietatis vitium contingit in reuo-
37 catione testamenti, cum reuocans non solum ex hoc actu, verum etiam ex rectratione bonorum ad se transgrediatur votum paupertatis. Episcopus ergo non reuixit, quia nunquam fuit mortuus, sicut Lazarus, qui omnia sua recuperauit, quibus actu non renuntiauerat, sicut Episcopus.
38 Ad quartum respondetur, cum ille subdiaconus beneficio priuatus fuerit in penam contracti matrimonij, & omnia sua donasset ecclesiæ, cui seruiebat, & nihil haberet, vnde posset viuere, iustitia exigebat, vt eius bona restituerentur, vt ex illis posset se sustentare. Episcopus autem non priuatur, sed honoratur, non recuperat donata, vt ex illis viuat, cum ex redditibus suæ ecclesiæ sit victurus, ideo hec diuersitas non patitur vt ex vno inferatur aliud. Nec vrget Glos. ibidem, quod ea bona fuerunt donata sub conditione, si in ea ecclesia perseueraret. Quia de ea non constat, ideo non præsumenda, cum sit extrinseca, sed causa restitutionis impellens fuit, vt dixi, quia non habebat, vnde viueret. Nec argumentum ad instar dotis, quæ restituitur vxori soluto matrimonio facit ad rem, quia manifestum est, dotem dari marito cum intrinse-
39 ca conditione ex natura ipsius dotis, dum scilicet durat matrimonium, cum sit eius propria. In renuntiatione autem transfertur dominium, & vsumfructum in donatarium, & si non exprimatur aliqua conditio, non præsumitur, sicut in datione dotis, quæ subintelligitur, licet non exprimatur.
40 Ad quintum, verum quidem est, quod renuntiatio, quæ fit a volente ingredi religionem, est voluntaria, non necessaria, nec coacta, aliter nulla esset, & tantum valet, quantum vult valere ipse renuntians, ita quod non extenditur vltra eius intentionem. Ita est, sed ex tenore verborum eius intentio colligitur, & finis, quem habuit ad renuntiandum, qui est commodum, & vtilitas
41 propinquorum, vel monasterij, commoditas autem huiusmodi respiciens conseruationem bonorum inter propinquos est simplex, & absoluta, nullo tempore limitata, nec conditione restricta, cum quilibet simpliciter, & inde-

finite semper commodum vti bonum concupiscat, ergo tale bonum alteri contribuens, disponere censetur iuxta commodi exigētiam, ac proinde renuntiare sine ulla limitatione, & conditione, nisi expresse se declaret volendo restringere rationem commodi, in quo solo consistit finis mouens nouitium ad renuntiandum. Neque enim ingrediendi voluntas est causa finalis renuntiandi, sed tantum impulsiua, quæ excitat, & applicat nouitium ad actum renuntiationis, vt dixi cap. 7. num. 20. Renuntiatio ergo non recipit suam mensuram ab in ingressu religionis, sed à commodo & conseruatione bonorum inter propinquos, id enim vrget ad renuntiandum, ingressus vero applicat voluntatem ad beneficandum. Ingressus ergo religionis solicitat ad renuntiandum, commoditas vero mouet ad id faciendum, sine qua nihil ageret, & nihilominus religionem intraret, cuius finis est seruire Deo, cui cum non possit rectè, & vtiliter seruire curis secularibus implicatus, ideo bonis renuntiat, & cum seruitus erga Deum sit perpetua vsq; ad mortem, ita & renuntiatio intelligitur facta absq; temporis limitatione Itaq; cum & seruitus Dei, & conseruatio bonorum in familia nullo tempore restringantur, nulla ratio suadere potest, renuntiationes factas indefinite, & simpliciter, esse limitatas, & conditionatas, quæ expresse non apparent tales ex tenore verborum.

Demum ad ea, quæ adducuntur à Rubeo, nimis generalia respondetur, habere locum in contractibus, & alijs onerosis, vt colligitur, si inspiciantur textus, & Doctores ab eo allegati, quod in renuntiationibus huiusmodi locum habere non potest, cum nec ipsi renuntianti sint onerosæ, nec dispendiosæ, dum libere, & voluntarie fiunt, nec illis bonis eget religiosus, dum à Monasterio alitur iuxta suum decentem statum, nec indiget promotus ad Episcopatum, dum ex redditibus ecclesiæ viuit suo statui sufficientibus.

Itaque ex his, patet religiosum promotum ad Episcopatum nihil eorum, quæ simpliciter renuntiauit iam tertio quæsita non recuperare, sed solum quęrenda sibi vindicare ab intestato propinquorum ex vi cap. Vn. 18. qu. 1. Quare quicquid sibi vindicare potest religiosus transiens ad secunda vota iuxta dicta cap. 12. eodem modo in eo succedere potest Episcopus aquirendo suæ ecclesiæ, vt dixi cap. 13. Æquiparantur enim in hoc in vtroque statu, cum sint semper religiosi.

Quæres 8. An Episcopus recuperet saltem bona aquisita Monasterio ex sola vi professionis, sine vlla illius dispositione, attenta Authentica Ingressi?

42 Resp. Non, quia illa Monasterium aquirit sub suo dominio, & proprietate, sicut aquirit professum; sed is seipsum simpliciter, absolute, & perpetuo ad mortem se dedicat, & tradit Monasterio, ergo & sua bona pari modo cum eo transeunt sub dominium Monasterij, consequenter ista translatio sit realis ab eo etiam facto Episcopo recuperari, & retrahi non potest sequitur enim professionem personæ, & sicut professio est perpetua, ita & dedicatio bonorum. Confirmatur ex ipsa Auth. de Monachis §. Si *vero relinquens Monasterium ad quandam veniat militiam, aut ad aliam vitã figuram, substantia eius fit in Monasterio, secundum quod à nobis dictum est, remanēte.* Sed Episcopus factus relinquit Monasterium aliam vitæ figuram suscipiens, ergo eius substantia remanere debet in Monasterio ita quod eam sibi vindicare non potest.

CA-

CAPVT XVII.

De licentia necessaria ad euitandum proprietatis vitium.

37 Proprietarius est agens independenter à superiore.
38 Licentia perpetua, & ad vitam concedi potest.
39 Reuocabilis tamen.
40 Sed cum prudentia fiat reuocatio.
41 Paratus debet animo esse aliter est proprietarius.
42 Promissio non reuocandi non valet.
43 Licentia præsumpta stat cum displicentia superioris,
44 Licentia data pro vno actu non extenditur ad alium.
45 Tacitum magis operatur, quam expressum, quod nocet.
46 Licentia data sine limitatione temporis durat quousque reuocatur.
47 Gratia facta durat vltra mortem concedentis.
48 Quinam superior det licentiam agendi.
49 Par potestas licentiandi in superioribus.
50 Quæ mensuratur ex causa dandi, non à maiori, vel minori potestate.
51 Negata à maiori non conceditur à minori.
52 Gratia alias facta limitate non valet tacita limitatione in secunda.
53 Inhibitio legis, non hominis, non irritat.
54 Licentia non est petenda à successore, si fuit perpetua.
55 Licentia valet, si transeat ad aliud monasterium.
56 Legatura annuum quid sit.
57 Licentia eadem respectu diuersorum legatorum.
58 Legatarius annuus, & Vsufructuarius in quo differant.
59 Hospitibus dari potest licentia agendi.
60 Licentiare potest seipsum superior, sicut licentiat subditos.
61 Directe vel indirecte
62 Ex titulo administrationis, & iure licentiæ.
63 Licentiam eandem sibi dare potest superior, quam dat subditis.
64 Opinio Cardinalis de Lugo, & dicastilli.
65 Dicastilli opinio refertur.
66 Licentia recipit suum esse, & operari à concedente, non ab effectibus suis.
67 Pecuniæ retentio ordinatur ad expensionem, quæ illius vsus est.
68 Antecedente concesso etiam consequens intelligitur concessum.
69 Iurisditio delegata facilius perditur, quam ordinaria.
70 Distinctio personalis non est necessaria in gratiosis.
71 Vtique in administratione sacramentorum.
72 Licentia ad aliquid agendum non potest dari incapaci pro eo tempore quo erit capax.
73 Licentia data ad confessiones, & reseruatos casus non expirat morte concedentis, data sine limitatione temporis.
74 Gratia facta non expirat morte concedentis.
75 Existentiam sequitur conseruatio rei.
76 Parochi licentia audiendi confessiones expirat professione in religione.
77 Licentia audiendi confessiones non habet tractum successiuum, sicut facultas agendi.
78 Episcopus non licentiat ad agendum pro voto paupertatis.
79 Abbatissa, & moniales eadem licentia, qua viri vtuntur.
80 Siue licentia non potest pingere, nec aliud facere pro amico.

81 Ar-

81 *Artefactum duo importat, materiale, & artificium pro formali.*
82 *Pictura cedit tabula*
83 *Pictura opus de se aestimabilis pretio.*
84 *Reduplicatio vnicum importet conceptum in ea expressum non excludendo alios.*
85 *Idem semper facit idem.*
86 *Tempus obligationem non ponit, nec tollit.*
87 *Obligatio par est monacho, & conuerso in obseruatione votorum.*
88 *Depositum non recipitur sine licentia legali à superiore.*
89 *Distributio elemosinarum similem licentiam requirit.*
90 *Licentia nulla requiritur rogando, vt munus non acceptum detur parenti.*
91 *Pitantia donari non potest sine licentia.*

1 Certum est apud omnes, superiorem regularem posse dare licentiam suis subditis ad recipiendum aliquid, ad illud retinendum, & ad disponendum de recepto, illud expendendo, donando permutando &c. iuxta exigentiam rerum, & temporum. Id autem est coaeuum ipsis Regulis, cum quibus natum est, quod comprobo Regulis Sanctorum institutorum, praesertim Basi ij, Augustini, Benedicti, & Francisci, quorum Regulae resplendent instar quatuor librorum S. Euangelij.

2 Sanctus igitur Basilius in sua Regula haec de huiusmodi licentia habet sub Interrogat. 41. his verbis: *Veruntamen neque qui artes tractant, ij pertinentium ad illas ipsas instrumentorum vindicare sibi dominium debent, ita videlicet, vt aut Antisti Fratrum in arbitratu suo vtendi potestatem non faciant. ad quam ipse cunque rem velit, aut eorum ipsi, vel vendendorum, vel permutandorum, aut alioqui alienandorum ad arbitrium reuocent suum.* In his ergo, quae possunt violare paupertatis votum, religiosus debet dependere ab arbitrio superioris, ad quem spectat dare licentiam non absolute, sed reuocabilem, ad euitandum proprietatis vitium.

3 Sanctus quoque Augustinus clarius loquitur in sua Regula, q̄ę vocatur prima extensa tom. 1. suorum operum in fine sub cap. 4. his verbis: *Certum est, Fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet Fratrum aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit, vel permiserit.* Licentia ergo necessaria est, ne quis peccet contra votum paupertatis in habendo possidendo, dando, vel accipiendo. Ex tenore illorum verborum colligitur duplex licentia, expressa scilicet, quam indicant illa verba, *Nisi quod Priori placuerit.* Et tacita, illo verbo demonstrata *vel permiserit*.

4 Sanctus pariter Benedictus cap. 33. sic decernit; *Ne quis praesumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis neque aliquid habere proprium. Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Nomine *iussionis* venit licentia, quae pariter duplex à Sancto viro statuitur expressa nempe, significata per verbum *dederit*, & tacita signata per verbum *permiserit*.

5 Sanctus Franciscus in sua Regula d ta suis primogenitis nullam facit mentionem de licentia accipiendi, vel retinendi peculium, quia primum Ordinem fundauit in altissima paupertate quasi extrema, ne quid haberent non solum

in

in particulari, sed neq; in communi. Sed post mortem viri sancti, consuetudine, & Apostolicis constitutionibus inductum fuit, vt Franciscani præter Obseruantes, & Capucinos, haberent in communi, & viuerent more aliorum Ordinum, ac proinde in illis etiam viget præfata duplex licentia ad euitandum proprietatis vitium.

6 Addam circa hanc licentiam aliquid de meo ordine. Dicitur sub cap. 10. Regulæ. *Neque etiam sine Ministrorum licentia propriam, priuatamq; pecuniam habeant, uel retinere possint. Neque possit quis pias agere negotiari, emere, vendere, vel commodare quicquam, Ministri venia non impetrata.* Hæc postrema verba *Venia non impetrata* arguunt licentiam expressam; illa vero *Sine Ministrorum licentia* referuntur ad vtranq; nec ideo licentia expressa est necessaria in his postremis actibus, sed sufficit tacita, sicut in alijs ordinibus. De supradictis Regulis satis dixi cap. 3.

Iuxta ergo prædictas Regulas practicatur in omnibus ordinibus in communi habentibus in obseruatione voti paupertatis, vt non faciat actum proprietatis contra hoc votum, qui de licentia sui superioris accipit, possidet, & distrahit, & nullus contradicere debet, quia Regulæ à Sanctis Patribus sic institutæ fuerunt. Sed calamum conuertamus ad quæstiones.

Quæres igitur primo quid, & quotuplex sit licentia in ordine ad conseruationem voti paupertatis?

7 Resp. Primo, licentia est facultas circa votum paupertatis circa eius violationem faciendi aliquid dependenter à voluntate superioris concedentis. Per hanc igitur licentiatus agit aliquid, quod sibi non licebat facere auctoritate propria, sicut per eam licite agit quia operatur nomine superioris, cui non est interdictum. Licentia autem referri potest ad quatuor actus accipiendi, retinendi, dandi, & consumandi, de quibus dixi cap. 1. num. 27.

8 Resp. 2. Licentiā hanc diuidi in expressam quæ verbis datur, & tacitam, virtualem, permissiuam, aut interpretatiuam, & præsumptam, quæ fundatur in praxi, & consuetudine quam superiores sciunt subditos exercere illos quatuor actus, & non contradicunt, cum possint, ac proinde dicuntur consentire in actionem sui subditi. Præsumitur autem is consensus ex nonnullis signis. *Primo*, si superior est affabilis, & benignus cum subditis, non rigidus, nec scrupulosus. *Secundo*, quando subditus est vir grauis alicuius auctoritatis, & benemeritus de religione. *Tertio* licentia præsumitur in rebus leuioribus, & parui momenti. *Quarto*, quando cedit in vtilitatem monasterij, seu etiam ipsius religiosi, quia in aquirendis facile præsumitur licentia. *Quinto* tacita licentia facilius præsumitur in religionibus non reformatis, quam in reformatis, dum in illis peculij vsus est ex inueterata consuetudine inductus. *Sexto* præsumitur in religionibus pauperioribus, quæ concedunt suis subditis peculium ex industria laboris, lecturæ, prædicationis &c. De prædictis præsumptionibus pro tacita licentia *Bartol. à S. Fausto in suo Thesauro lib. 8. q. 162. Homob. par. 1, Exam. tract. 7. cap. 32. quæst. 130. ex illis Diana par. 1. tract. 6. resol. 31. de Paupert. Donatus par. 3. tract. 15. quæst. 13. num. 3. Caramuel. in Reg. S. Benedicti num. 961.*

De hac duplici licentia, expressa & tacita mentionem faciunt ipsi institutores Regularum, vt vidimus, & docent *S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad primum, quem pro se citat Faber de Restit. disp. 44. num. 128. Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 4.*

num.4.Suar.tom.3.de Relig.lib.8.cap.11.num.6.& 7.de Lugo disp.3.de Iust.num. 123.Castropal.disp.3.de Obligat.relig.p.23.num.1. Qui omnes, nullo contradi-
9 cente, asserunt, solum licentiam tacitam sufficere, ne quis transgrediatur votum paupertatis. Ratio huius sufficientiæ desumitur ex illo axiomate: *Eadem est virtus taciti, & expressi* ex l.Labeo 3.ff.de pactis, l.Cum quid 3. ff. si cort.pet.Barb.Axiom.218. Sed licentia expressa excusat à vitio proprietatis, ergo & tacita. Et ita docent etiam *Rodriq. tom.2. quæst.57. art.2. Miranda tom.1.quæst.28.art.16.Peyrin.de subd.quæst.2.cap.2.§.3.Tambur. tom.2. disp. 22.quæst.8.num.1.& 2.Donatus par.2.tract.15.quæst.14.Caramuel in Reg. S.Bened.num.958.*

Dices, hanc licentiam interpretatiuam non habere originem à sanctis Patribus, qui tantum de expressa loquuntur, nam illud verbum *permittere* in Regula S.Benedicti non importat licentiam, sed tolerantiam, quæ non excusat à peccato, quod verbum habetur etiam in Regula S.Augustini. Permittere enim tunc superior dicitur, cum positiue non prohibet, tolerando ma-
10 lum, ne ex prohibitione maius sequatur malum, vnde in cap. Hac ratione q. 31.quæst.1. *Quod enim permittimus nolentes præcipimus, quia malas omnes voluntates ad plenum prohibere nō possumus.* In religionibus enim sunt aliqui religiosi inobedientes, qui non ita facile reduci possunt ad obseruantiam, ideo permittuntur, & tolerantur, ne sequatur maius malum.

11 Resp. Illud verbum *permittere* ibi non habere pro obiecto malum toleratum, sed actum bonum, ad quem religiosus licentiatur, dum enim sancti dicunt, professum nō posse aliquid accipere sine licentia, aut permissione superiorū, certe loquuntur de actu de se non malo, sed bono, aliter ipsi peccarent permitendo, dum possunt prohibere; necessaria autem & vtilia religiosis non prohibentur, sed conceduntur, quia mala non sunt. Permittere igitur sumitur pro licentiare respectu bonorum actuum, vel indifferentium, *ex cap. Vn. de ætate in 6.cap.Literas 14.de filijs præsbiter.Ricciull.lib.2.cap.22.num. 2. de iure person.extra* in quibus locis permittitur ordinatio, hoc est, licentiantur ordinandi.

Quæres 2. An licentia hæc sit proprie dispensatio?

12 Resp. Negatiue, quia dispensatio est relaxatio obligationis legis, vnde dicitur esse contra legem, quam non obseruat dispensator, quia subditus per dispensationem exemptus fuit ab obseruatione legis. Licentia verò est facultas operandi secundum legis præscriptum, & non contra legem, sed conformiter ad illā, quæ e. g. præcipit, ne professus aliquid accipiat nisi cum licentia superioris, dum ergo petit licentiam, & superior eam illi concedit, ambo operantur secundum legem, ac proinde neuter eorum peccat, dum in suis operationibus agunt secundum legem, confirmatur id, quia ex cap. Cum ad monasterium, de statu Monachorum vix Papa dispensat in voto paupertatis, & tamen Regulæ Patrum, vt vidimus præscribunt huiusmodi licentiam ab Abbatibus dandam, ergo signum est, quod aliud est dispensatio aliud licentia. Ita Suarez *de legib.lib.6. cap.10.num.11. cum alij. Castropal.part.1.tract.3. disp.6. part.1. num.6.*

Quæres 3. Quas conditiones habere debet licentia, ne religiosus dicatur violare votum paupertatis, & fieri proprietarium?

13 Resp. Requiri tres conditiones. Prima, quod sit voluntaria. Secunda, quod

quod sit iuxta. Tertia, quod sit reuocabilis. De singulis aliquid dicendum.

14 Prima de voluntaria licentia patet, quia procedit à potestate, quæ non nisi libere operatur in homine, vnde extorta dolo, metu, aut fraude nullius est momenti, dum contra suam voluntatem facit, quod facere nollet, ac proinde non excusat à vitio proprietatis, neque enim fraus & dolus nemini debet patrocinari; neque quis ex sua iniquitate commodum reportare debet. Ita *Nauar. com.2.de Regul.num.21.carol.7.Rodriq.tom.3. q.29. art.12. Sanch.lib.7.cap.19. num.16.ad* 18.*Castropal.disp.3.de obligat.relig.p.23.num.1. Suar.tom.3. de relig. lib.8.cap.11.num.14.de Lugo disp.2.de iust.num.129.*

15 Secunda conditio est quod debeat esse iusta, patet, quia cum ordinetur ad excusandum licentiatum a transgressione voti, non debet operari contrarium effectum, nec alicui esse præiudicialis, qualis esset si daretur ad furandum. Ita omnes *cum Castropal.cit.num.2.Sanchez lib.7.cap.19.num.*21. Sed de hac infra latius à q.6.& seq.

16 Tertia conditio vt detur reuocabiliter ad nutum superioris, à quo cōtinuo dependet, aliter esset facere eum proprietarium, ad quem effectum non potest licentia se extendere, & contra suam naturam producere contrarium effectum, dum excusare habet à vitio proprietatis. Ita omnes *cum Sanchez lib. 7 cap.17.num.*28. Iterum infra.

Quæres 4. An dare licentiam sit actus iurisditionis tantum, an etiam superioritatis?

17 Resp. Potest esse actus tum iurisditionis, tum superioritatis, cum enim non sit species dispensationis proprie exigentis superiorem esse constitutum saltem in prima Tonsura, præstari potest à superiore clericali caractere non insignito, vt olim erant laici Guardiani sub prima Regula S.Francisci, ad quos spectabat dare hanc licentiam, sicut & nunc pertinent ad Superiores Ministrantium infirmis in clericis vero superioribus potest appellari actus iurisditionis, cum in his dependeat à clericatu, immo à Sacerdotio, cum nullus fiat

18 superior qui non sit sacerdos, habet enim regimen animarum, & appellatur parochus suorū subditorum, assimilatur enim parocho seculari, *Fodr.t.1.q.17. art.3. Miranda tom.2.q.19.art.3.Peyrin. ad const.7.Pauli V.num.56.* ergo tunc exercet actum iurisdictionis, qui est potentior, & nobilior actu superioritatis.

Quæres 5. An superior possit concedere licentiam generalem ad quemlibet vsum, non specificando ad vsus licitos, vel illicitos?

19 Resp. Affirmatiue, probatur, quia talis licentia cum de se sit indifferens, & indeterminata, non potest dici mala, licentians enim præscindit ab vsu licito, vel illicito, vsus enim sequitur ad licentiam, adeo quod illi modi se tenent ex parte licentiati, vnde si male agit, vel bene id tribuendum est ipsi soli, qui vtitur, vel abutitur licentia, non autem licentianti, qui dando licentiam, vsum non tribuit, sed solum facultatem agendi præbet. Confirmatur id, quia dans licentiam generalem emendi, permutandi, mutuandi &c. Si licentiatus decipiat in prædictis, & mutuet cum vsura, certum est, quod talis licentia dabilis est, vsus tamen eius, qui poterat esse licitus, factus est illicitus, nō ex vi licentiæ licet generalis, sed ex intentione vtentis licentia, qua abusus fuit. Ita docent *Rodriq.tom.2.summa cap.33.num.3.Suarez tom.3.de Relig.lib.8.cap.11.num.15 de Lugo disp.3.num.*137. Ista autem licentia generalis quo ad suam indifferentiam, non solam referri potest ad modum vtendi, licite, vel illicitè sed etiam ad

rem ipsam,vt ad emendum quodcunque vel accipiendum. *Peyrin. de subdito cap.2.§.1 quæst.2.Vers.Colligitur tertio*,& infracitandi melius. Et in vtroque casu concedibilis est,& licet,quia licentia ab initio concessa licita fuit, nec contaminari potest ex parte dantis,sed tantum ex parte abutentis illa.

Sed quid dicit ista generalitas in licentia? Importat indifferentiam, & indeterminationem,ac proinde præcisionem à varijs modis, quibus licentia, limitari,& restringi potest; vel respectiue ad tempus, vel respectiue ad pluralitatem actuum; vel respectiue ad qualitatem vsus liciti,excluso illicito; vel respectiue ad rem concessam talem,& non aliam, vel respectiue ad vsum facti tantum,& non iuris. Licentia ergo generaliter data præscindit à dictis limitationibus,quę non includuntur in licentia,nisi exprimantur. Dum ergo superior dat subdito licentiam vtendi re pro suo libito,eodem communicat factum ipsum,sed etiam ius vtendi, & fruendi peculio pro suis necessitatibus cum potestate etiam distrahendi & donandi &c. Nec collatio huius iuris infert proprietatem in professo,dum peculio vtitur tali iure, quia cum agat dependenter à voluntate superioris, euitat vitium proprietatis. Vide Hurtadum tom.2.tract.8.num.826.

Quæres 6. An superior dans hanc generalem licentiam subdito expendendi peculium pro suo libito,censeatur licentiam limitasse ad pios vsus cum exclusione illicitorum?

20 Resp.Negatiue,quia iam nõ esset generalis,& indifferenter,sed specialis,& limitata,quo ad modum vtendi. Confirmatur,quia licentia in alijs materijs non censetur limitata e.g.quis in quadragesima habet licentiam comedendi carnes, ea est indifferens ad carnes proficuas, & nociuas, mens enim concedentis in eo consistit,vt tollat omne impedimentum, quo possit violari quadragesimale ieiunium. Sic in proposito nostro superior per licentiam generalem intendit tollere omnia illa impedimenta, quæ inducere possunt vitium proprietatis, licentia autem huiusmodi aufert impedimenta, ne licentiatus fiat proprietarius,erga ea extenditur etiam ad illicita, ergo non præsumitur eam restringere ad liccitos, & honestos vsus. Ita *Bannes q.62. art.5. dub.5. vers.Aduertendum Ludouicus Lopez lib.2.de contr.cap.40.col.antep.Vers. An autem religiosus, Rebellus par.2. lib.2. q.4.sect.2.num.6.Salas de Lugo dub.15 num.4. de Lugo illos citans pro se disp.3.num.142.citans Sayrum lib.11. Clauis cap.12. num.15. & Dianam resol.98.de Regular.*asserentes esse probabilem, & ita excusare à vitio proprietatis,& multi alij infra citandi.

Dices, talis debet esse mens superioris dantis licentiam,qualis de iure debet esse, sed de iure debet esse iusta,& legitima,ergo siue sit generalis,siue specialis semper eam intelligitur restringere ad actus licitos, aliter non esset conseruator voti paupertatis,sed illius destructor,nec aliter potest præsumi, nisi delictum in eo supponamus,quod non licet, ergo necessario licentia debet intelligi data solum ad licitos vsus,esto sit generalis.

Resp. Licentiam esse semper licitam, nisi quando directe datur ad male agendum, quod non facit superior, esto subditus male agat in alio genere mali præter proprietatem. Et hoc est clarum exemplo fornicationis, in qua ad pręsens negotium duo spectantur, fornicationis peccatum, & solutio mercedis, licentia illa generalis certe non ordinatur ad fornicandum, vt patet, ergo ex hoc capite, licentia non dicitur illicita, ordinatur vero ad solutionem

Cc mer-

mercedis, in quantum soluens non incurrit vitium proprietatis ex vi illius generalis licentiæ, immo etiamsi esset specialis post factum, cum sit iustum, & debitum soluere meretrici mercedem, vt dicam infra, non euadit illicita, quia datio hæc peccaminosa non est, sed debita ex iustitia. Dixi licentiam post factum non esse illicitam, quia ante factum certe præbet occasionem peccandi, quamquam & in hoc casu non peccaret contra votum paupertatis, sed peccato scandali, & contra suum officium, quod fideliter agere debet. Cæterum in licentia generali nequaquam peccat, quia per eam aliud non intendit, nisi remouere impedimentum, ne fiat proprietarius, talis ergo est eius mens, qualis de iure præsumitur, nimirum, quod per licentiam intendit obuiare malo proprietatis, & nihil aliud.

Quæres 7. An licentia specificata ad vanos vsus, & ad turpia sit licita, & valida?

21 Resp. Est quidem valida, sed illicita etiam ex parte concedentis.

Primum de valore eius probatur. Tum quia licentia illicita adhuc est licentia, & valet cap. Si qua 29.27.q.1. ex Glos. 1. Tum quia de ratione licentiæ ad aliquid agendum, est, quod sit actus voluntatis approbantis id, quod agendum est, quod deinde fiat licite, vel illicite, non facit ad illius substantiam, cum hi modi sint illius qualitates eam extrinsece consequentes, ac proinde illam supponentes in suo esse valido; immo illas qualitates proprie non dicitur recipere, cum sint tantum in actu ipsius licentiati bene, vel male operantis ex sua intentione, non ex vi licentiæ. Tum quia religiosus de licentia superioris emens superflua, & pretiosa, quæ suum statum non decent, valide emit, nec vllus vnquam dixit, nullam esse huiusmodi emptionem, sicut esset, si nullam haberet licentiam, ergo talis licentia est valida. Demum nullibi in iure irritatur huiusmodi licentia, licet simpliciter prohibeatur, sed sine decreto irritante. Hanc licentiã esse validam supponunt duodecim Doctores, quos contra se citat Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 20. dum dicunt, religiosum sic licentiatum non esse proprietarium, licentia enim inualida non eximit professum ab hoc vitio, dum ergo isti asserunt, licentiatum eximi à vitio proprietatis, supponunt, illam esse validam, non ens enim, & nihil aliquid producere non potest, vt facit hæc licentia, ergo valida est. Et ita illis citatis tenet. de Lugo disp. 3. num. 137.

22 Secundum, quod ea licentia sit illicita, probatur quia religiosis prohibentur superflua, & vana, clem. 1. de statu monach. & in Trident. sess. 25. c. 2. prohibentur superflua, & á fortiori intelliguntur prohibiti actus turpes; sed superior dans talem licentiam cooperatur subditorum malitijs, ergo ea licentia est illicita. Ita omnes, quos sequitur in hoc de Lugo disp. 3. num. 139.

23 Contraria sententia docet, talem licentiam ad superflua, & turpia, non solum esse illicitam, sed etiam nullam, & inualidam, ac proinde non excusare à vitio proprietatis, quam tenent *Nauar. cons. 3. de statu monach. num. 33. Molina disp. 276. col. 3. Vers. Religiosus, Maior in 4. dist. 38. quæst. 9. concl. 3. cum alijs Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 21. Peyrin. de subd. quæst. 2. cap. 2. §. 1. Vers. Ex dictis*. Probant *primo*, quia in Clem. 1. de statu monach. & cap. 2. sess. 25. prohibentur superflua religiosis, ergo superiores, hanc licentiam dare non possunt, & sic data nulla est. *Secundo*, quia superior non est dominus, sed administrator, ergo non potest dare talem licentiam generalem, quę sit extendibilis ad quorum-

runque vsus, qua subditus vti possit pro suo libito, erit ergo inualida, cum superior non habeat potestatem illam dandi.

Resp. Hæc duo argumenta probant solum concessionem licentiæ esse illicitam, non vero inualidam; neq. enim allegata iura quidquam statuent de licentia danda, sed pohibent vana, & superflua ipsis religiosis. Ad rationem dico, cum superior nomine conuentus licentiet suos subditos, non dici merum, & purum administratorem, sed dominum cum conuentu, cuius est caput, ideo licet licentia ex parte abusus subditi sit illicita, non tamen inualida, quia eam dat religioso suo nomine Monasterij, quod dominus est, intellige modo licentia non redundet in damnum communitatis, dando scilicet priuato religioso de bonis deputatis pro communitate. Et ita respondet Cardin. de Lugo disp. 3. num. 138.

Præterea sic arguunt, quia superior non potest in specie concedere licentiam ad turpia, ergo neq; in genere contra nostram Resp. 5. Confirmatur id, quia Papa dando licentiam Episcopo testandi non præsumitur illi dare hanc licentiam ad quoscunq. actus, sed tantum ad pia opera, nisi aliter se declaret, vt dixi cap. 13. q. 10. & ita à fortiori dicendum est de superiore regulari, qui per suam licentiam generalem non præsumitur dare facultatem ad turpia, & vana. Et facit illud axioma; *Nemo præsumitur delinquere* l. Merito Sl ff. prosocio, cap. 2. de reg. iur. ergo præsumendum est, superiorem in sua licētia non comprehēdere vsum ad turpia, quia aliorū peccatis cooperaretur.

Resp. Cardinalis sub num. 143. esto superior non possit dare licentiam in specie ad turpia, quia cooperaretur peccato licentiati, potest tamen in genere subdito concedere plenam facultatem, cedendo iuri suo in vniuersum, itaut ex ea parte quilibet vsus non habeat malitiam iniustitiæ, quam alias haberet,

24 si expresse negaretur licentia, expressa enim nocent, non tacita *Reg. 156. ff. de reg. iur.* vnde expressum est maioris virtutis, quam tacitum, *iuribus allegatis Barb. Axiom. 89. num. 2.* Confirmat, exemplo pignoris accepti, nam dominus pignoris potest dare licentiam depositario, vt illo vtatur ad quoscunq; vsus, cedendo iuri suo, itaut quilibet vsus, siue licitus, siue illicitus non habeat malitiam iniustitiæ, cum dominus pignoris non sit inuitus per hanc licentiam in genere datam sine limitatione; vnde si pignore vtatur ad rem turpem, non peccabit contra iustitiam, excusante licentia. Similiter ergo superior dando licentiam in genere, cedendo iuri suo, permittere potest quoscunq; vsus pecuniæ absq; eo, quod censeatur cooperari positiue peccato subditi.

Ad exemplum de licentia data Episcopo ad testandum respondet, duo reperiri impedimenta ad testandum in religioso, inhabilitas ad testandum, & ad disponendum ad profanos vsus. Ambo Papa tollere potest, vnde primo sublato, non præsumitur secundum sublatum, quod tolli poterat expresse, & cum dispensatio sit odiosa, restringenda est licentia testandi ad vsum tantum pium, non ad profanum.

25 De duobus impedimentis, vno sublato, non dici alterum destructum, *Nauar. cap. 27. num. 261. §. Nono per l. Si Domus tua ff. de seruit. vrb. præd.* vbi, sublata vna ex duabus seruitutibus, remanet altera, *Glos. V. Indulgentiam cap. Pastoralis 19. de priuil. Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 25.* Superior vero non potest dispensare cum subdito, vt expendat pecuniam in turpia, sed solum, vt possit expendere auferendo vnicum impedimentum suæ voluntati contrarium, non

occurrit ergò, quod suam licentiam limitet, cum ad ipsum non spectet auferre illud aliud impedimentum turpitudinis. Itaque per licentiam generalem superior impedit, ne actus dandi pecuniam e. g. meretrici dicatur esse contra iustitiā, hūc enim tollere potest superior, sicut tollit vitiū proprietatis dādo licentiam suo subdito, e. g. furandi, licet enim non possit tollere malitiam furti, cum dominus sit inuitus, auferre tamen potest vitium proprietatis quo ad iniustitiam, ne incurrat, pœnas proprietarij.

Quæres & Quid operetur licentia non solum generalis, sed etiam specialis ad vana, & turpia, dum ambæ sunt validæ? Debent enim aliquid operari, sicut enim non entis nullæ sunt qualitates, effectus, & passiones, ita è contra entis debent esse passiones, effectus, & proprietates.

26 Resp. Eximit licentiatum à vitio proprietatis, & consequenter à pœnis contra proprietarios inflictis; Probatur, quia licentia qua talis operationem alias illicitam facit licitam, sublata prohibitione, est enim licentia collatio libertatis concessæ ei, qui eam non habet ex seipso, siue iure proprio, *Loterius de re benef. lib. 2. q. 32. num. 88. Ottobonus decis.* 117. *num.* 10. Sed professus eam habens rem contrectare potest sine initio proprietatis, cum licentia id efficiat, vt operationem alias illicitam agendo scilicet propria auctoritate sine licentia, licite faciat nomine eius, qui dedit licentiam, ergo excusatur à vitio

27 proprietatis. Tum quia in tantum professus laborat vitio proprietatis, in quantum proprio iure, auctoritate, & nomine suo agit contra votum paupertatis; sed agendo per licentiam sibi concessam a superiore non dicitur iure proprio, nec nomine suo agere, sed nomine, & auctoritate superioris, ergo cum dicta licentia operando non incurrit vitium proprietatis; vnde Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 55. & Suar. tom. 3. de Relig. cap. 11. num. 15. dicunt religiosum

28 furantem de licentia superioris non peccare contra votum paupertatis, quia non agit nomine proprio, sed auctoritate superioris, non excusatur vero à vitio furti, quia contra voluntatem domini superior dispensare non potest, ac proinde formaliter fur est, non obstante ea licentia, quæ nullo pacto extendi potest ad excusationem furti, cum ipse non sit dominus rei furatæ, cum ergo licentia hęc illicita & iniusta respectu furti, excuset à vitio proprietatis in hoc casu, excusabit etiam in quolibet alio casu, vt in licentia meretricandi, ludendi, percutiendi &c. hoc est, vt licentiatus donando meretrici, vincendo, vel perdendo, vel dando pecuniam ad percutiendum &c. non incurat vitium proprietatis, non vero excusabit à vitijs luxuriæ, ludi, percussionis, furti, &c. quia ad hęc superioris licentia non se extendit, cum eius potestas limitata sit ad dandum licentiam suis subditis, vt euitent vitium proprietatis, non autem alia vitia, quæ sunt extra spheram suæ actiuitatis. Dum ergo superior dat licentiam vtendi peculio indistincto suo subdito, facit, ne sit reus proprietatis, quod vero fornicetur, hoc non intendit, quamuis det mercedem meretrici, quia permittit vsum peculij simpliciter per generalem licentiam, quam non extendit ad actum luxuriosum, cum non sit sub eius potestate.

29 Confirmatur, quia licentia non est ad peccandum, sed ad excusandum à pœna, parit enim impunitatem, quamuis alias sit illicita, *cap. Si qua* 28. 27. *q.* 1. *Glos. V. Licentiam, ibidem, & in cap. qui sincera* 3. *dist.* 45. Non potest excusare à pœna proprietatis, nisi etiam excuset ab illius vitio, nam id est in potestate

30 superioris, in tantum enim religiosus laborat vitio proprietatis, in quantum agit

agit sine licentia superioris,& sicut fur non est,qui accipit de licentia domini,ita neque proprietarius est,qui accipit de licentia superioris , qui dicitur dominus bonorum monasterij cum illo,eius caput est. Et ita docent *Salas de ludo dub.21. Angeles de ludo propos.4. Alcocer de ludo c.12. Rebell.p.2.l.12.q. 4. sect.2.n.6. Lopez l.2.de contr.c.40. Medina in Sũm2 c.14. Diana p.2.res.65.de Reg. Notab.3. Thomas Hurtadus p.2.res. Moral.tract.8.c.8.res.87.de Lugo disp.3.n.142. Vericell.tract.3.q.32. Cotonius l.4.controu.6.c.3.n.91. Machadus apud Dianam p. 7.tract.11.res.22. Pell.tr.4.c.2.n.432. Arca Vitalis de Paup.n.21.& 22.* Ex quo deducunt,religiosum habentem licentiam,expendendi peculium pro suo libito,& indifferenter ,vt habent omnes Religoinum non reformatarum , non peccare contra votum paupertatis dando mercedem meretrici, quia hæc datio non est contra iustitiam,immo conformiter ad iustitiam,ei enim est debitum prætium,quia corpus venale habet,& iuste accipit , licet ex turpi causa , tamen datum non repetitur, *Glos.V.Licite cap.Ex transmissa 23.de decim.Glos.*
31 *in cap.Qui 8.dist.86.& in quæst.5.causæ 14.* Ea etiam ratione ex parte religiosi,quia in tantum facit contra iustitiam,in quantum facit contra votum paupertatis ; sed habens licentiam generalem, immo & specialem soluendi debitum meretrici non facit contra votum,cum alienum contrectet de licentia domini, ergo nec facit contra iustitiam , quæ obligat ipsum ad procurandam restitutionem meretrici . Ita, multis citatis *Vericell. tract.3. quæst.32. ego resol.43.num.46.* redeundo ad opinionem,quam reprobaueram *ca.24.de profess.num.50.* Procedit hoc in illis religionibus , in quibus religiosis conceditur singulare peculium ex suis liuellis,lecturis,predicationibus, & alijs industrijs , quæ quia non sunt valde diuites alia ratione non possunt alimentare suos professos , ita experientia docente .

Quæres 9. An superior possit valide, & licite concedere superflua , & vana, licet non sint turpia ?

32 Resp. Concessio superfluorum est valida , ac proinde excusans à vitio proprietatis,iuxta dicta in præced.quæst.5.6.7.& 8. Confirmatur , quia si licentia excusat à proprietate respectu turpium à fortiori respectu superfluorum , quæ non dehonestant, & si sunt uana religioso , non sunt tamen inutilia religioni. Ita præcitati, quia nullus est proprietarius , nisi, qui retinet, uel expendit contra uoluntatem superioris , ut colligitur ex Regulis sanctorum Patrum,qui illum uocant proprietarium,& transgressorẽ uoti paupertatis , qui proprio nomine,& sine uoluntate superioris contrectat peculium. Quod saluatur etiam ex prescripta consuetudine infra cap.21.num.23.

Dices illum non esse proprietarium , qui peculium contrectat de licentia iusta,& legitima superioris,hoc enim in omnium sententia verissimum est, & talis est mens Patrum , & constitutionum Apostolicarum prohibentium concessionem superfluorum , & à fortiori vsus turpium , vt patet manifeste in Clem. 1. de statu monach. & in Tridentino Sess. 25. cap.2. ibi: *Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum suppelex status paupertatis, quam professi sunt, conueniat , nihilq; superflui in ea sit nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur .* Concessio ergo huiusmodi nullatenus iusta,& legitima esse potest, dum est contra expressam prohibitionem , & sic peccant ambo superior concedens,& subditus licentiam deducens in vsum,& quidem contra votum paupertatis peccato proprietatis. Ita Sanchez *lib.7.cap.19.n.21. Lessius lib.25. cap. 4.num.78.*

41.num.78. *Verſ. Nono Azor.par.1. lib.12.cap.12.q.5.* vbi citat D.Anton. & Silueſtrum aſſerentes,religioſum non peccare contra paupertatem,quia vtitur ſciente ſuperiore,tamen aiunt,ſuperiorem male facere, & ſubditum male vti.

Vere hoc argumentum valde vrget, cum reuera ſuperior agat directe contra mentem legislatoris prohibentis conceſſionem ſuperfluorum,& à fortiori turpium, vnde non videntur ambo excuſari poſſe à vitio proprietatis.

Nihilominus perſiſtendo in reſponſis hactenus datis,tollitur vrgentia huius argumenti, dicendo, datam licentiam, cum ſit valida, quia in dictis locis non irritatur, excuſare à vitio proprietatis, cum ex ſuo valore debeat aliquid operari,aliter non eſſet valida. Et id confirmatur,quia illa ratio iniuſtitiæ,ſeu illicitatis non opponitur voto paupertatis,ſed obedientiæ legali,quam ſuperior tenetur obſeruare,& procurare in ſubditis obſeruationem ſacrorum canonum,& ideo non male dixerunt Silueſter,& D.Antoninus apud Azorium præcitatum, ſuperiorem concedentem ſuperflua, & vana non peccare cum ſubdito contra votum paupertatis, ſed ſolum ambos male agere, quia nimirum legi non obediunt. Aliqui dicunt, hanc licentiam excuſare à pæna proprietatis,non à vitio proprietatis,arg.Gloſ.V.Licentiam cap.3.diſt.45.& ideo præfatos Doctores non male locutos fuiſſe,aſſerentes peccare quidem ambos vitio proprietatis, quia faciunt contra votum quo ad peccatum, non quo ad pænam,nam licentia impedit,ne quis fiat reus pænæ,non vero peccati. Sed id ſubſiſtere non poteſt, quia ſuperior eximere non poteſt ſubditum à pænis iuris,hæ enim neceſſariam habent connexionem cum delicto propter quod imponuntur delinquenti, & in illis non niſi legislator diſpenſare poteſt, ne per commiſſionem delicti incurrantur.

Sed hæc non videntur ſubſiſtere, quia ſuperior licentiam concedens ſuperfluorum ſcandalizat ſubditum,dum eſt cauſa ruinæ ſpiritualis in eo tranſgrediendo votum paupertatis,quod arcet ſuperflua,& vana à profeſſis,ac proinde peccat ipſe eodem peccato, quod incurrit ſubditus vtendo ſuperfluis, & hoc eſt verum, quia cooperans peccato alterius eſt reus, peccati, quod ipſe committit,vt docent omnes de ſcandalo agentes *cum Bonac.diſp.2.de legib.q.4.p.2.§.Vnico num.12.* conſequenter non peccato contra obedientiam legalem præciſæ,ſed contra votum paupertatis illud relaxando in ſubdito.

Sed contra eſt, quia dare licentiam ad vſum ſuperfluorum non eſt cooperari peccato ſubditi, ſed illum eximere à vitio proprietatis, quod efficaciter facere poteſt, dum per datam licentiam efficit, vt operetur non iure proprio, ſed nomine conuentus cuius eſt dare licentiam per ſuperiorem exercendum. Nec in hoc obſtant iura allegata Clementinæ, & Tridentini præſcribentium, ne concedant ſuperflua,multo minus turpia ſubditis, quia cum huiuſmodi, licentia & conceſſio, ſeu permiſſio non irritetur, ac proinde ſortiatur ſuum effectum,ne ſubditus fiat proprietarius,non dicitur ex hoc capite facere contra votum paupertatis, licet non excuſetur à delicto, pro quo non ſtat licentia,immo neque à vitio ſuperfluitatis contra ipſum paupertatis votum,licet excuſetur à vitio proprietatis propter licentiam, vt dixit noſter *Cotonius lib.4.contr.6.cap.3.num.91.* Et hic non apparet contradictio, vt qui-
33 buſdam viſum eſt,poteſt enim ſtare,quod quis peccet contra votum paupertatis,& non ſit proprietarius, per reſpectum ad diuerſa, nam per licentiam tolli non poteſt ſuperfluitas, cum ea ſemper maneat ex natura ſubiecti, ideo

ſit

sit contra votum paupertatis, ratione status, superflua enim repugnant paupertati, quæ solum necessaria ad vitæ sustentationem importat, auferri vero potest vitium proprietatis, dum subditus de licentia superioris agit. Ita etiam docet *Pellizar. tract. 4. ca. 2. n. 437. cum de Lugo disp. 3. de Iust. n. 183.* Confirmatur id à simili de magistro, qui ex causa iusta tāquam licentia non peccat verberando discipulū, si tamen excedat, nō est immunis à peccato illius excessus, ad quem iusta causa non potest se extendere. Idem dic de licentia comitante turpia, quæ non excusat à peccato e. g. fornicationis, quia ad illud non se extendit, facit tamen immunem religiosum à uitio proprietatis dando meretrici suam mercedem ex illa generali licentia, quæ non inquinatur neque à meretricio, cum ad id non ordinetur, neque à solutione mercedis de iure debitæ, unde si meretrix ? conquereretur cum superiore, petendo suam merce-
34 dem, is non peccaret præcipiendo subdito, ut solueret eam, quia illi de iure debetur, etiam in foro conscientiæ, unde cogitur soluere, *ex l. 4. §. Sed & quod meretrici ff. de condit. ob turpem caus. Couar. in Reg. Peccatum 2. part. §. 2. nu. 1. Gutier. de iuram. cap. 6. num. 2. ex illis Castropal. de Iustit. tract. 32. disp. 2. parte 9. num. 4.*

Sed quid importat nomen superflui, & uani, quod religiosis prohibetur in Clementina, & Tridentino?

35 Resp. Superfluum id dicitur, quod excedit statum paupertatis, inquit textus in cap. Exijt 3. de uerb. signif. Vers. Insuper, nec utensilia, *Ad vllam superfluitatem, diuitias, seu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad thesaurizationem.* Tunc religiosus dicitur habere superflua, cum abundat in diuitijs, & more diuitum thesaurizat. Habet autem latitudinem rerum abundantia, & superfluitas, nam duo habitus non sunt superflui, ubi rigorosa seruatur paupertas nam S. Franciscus, cui alter non fuit similis in paupertate suis Fratribus concessit singulis duas tunicas, quatuor ergo non erunt superfluæ Dominicanis, nec sex monachis, nec octo Canonicis. Coclear & forcinula argentea etiam duplicatæ non erunt superfluæ etiam alijs Mendicantibus, nec monachis, & Canonicis. Liuellus centum scutorum erit superfluus religioso laico, clerico, immo etiam simplici sacerdoti, non concionatori, non Magistro, seu Lectori, indigent enim multis libris, ubi libraria communis non inuenitur. Imagines, & picturæ pretiosæ in numero, & pretio certæ sunt superfluæ, nisi superfluitatis qualitas proijciatur, dum inseruiunt pro ornamento ecclesiæ tempore festiuitatum solemnium. Magnum peculium uidetur esse sine superfluitate, quando expenditur pro beneficio communitatis, uel occurritur indigentijs aliorum Fratrum. Vnde dicta sub cap. 4. num. 38. In uindicanda ergo superfluitate attenditur status religionis, & conditio personæ.

Quæres 10. An superior possit dare licentiam subdito cum pacto non reuocandi eam, priuando se hoc iure reuocationis? Videtur, quod sic, quia potest dare licentiam generalem suo subdito utendi re pro suo libito, quod est maius, ut patet ex dictis, ergo & dare licentiam irreuocabilem, quod est minus.

36 Resp. Non posse dare talem licentiam, sed debere eam concedere reuocabilem pro suo prudenti arbitrio. Probatur, quia licentia irreuocabilis constituit illum, cui conceditur, dominum, & proprietarium rerum, ac proinde uti dominus de illis disponere potest tanquam proprijs independenter à uolun-

tate

tate domini, immo contra illius uoluntatem, quia per talem licentiam abdicauit à se ius reuocandi, certum autem est, quod superior non potest à se abdicari hoc ius, id enim esset dispensare in voto paupertatis, quod uix Papa facere potest, cap. Cum ad Monasterium, de statu regular. ergo talem licentiam dare non potest. Confirmatur ex citato capite, vbi prohibetur, ne Abbas det alicui monacho aliquā obediētiā .i. administrationē bonorum perpetuò .i. irreuocabiliter possidendā, sed sit amouibilis ab ea ad nutum superioris, vt etiam
37 dicitur in Tridentino. Nam agens independenter ab alio dicitur agere nomine, & auctoritate propria non aliena, sicut qui operatur dependenter ab alio dicitur agere nomine alterius, quod in religioso necessarium est ad euitandum vitium proprietatis. Ita omnes docent *cum Rodriq. tom. 3. q. 29. art. 8. Miranda tom. 1. q. 28. art. 8. Barb. ad cap. 2. seß. 25. num. 2. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 7. q. 6. num. 19. Lezana par. 1. cap. 6. num. 18. Castropal. disp. 3. p. 6. num. 5. Moronus Resp. 86. nu. 89. Peyrin. de subd. q. 2. cap. 2. §. 1. initio.*

Quæres 11. An superior possit concedere licentiam perpetuam suo subdito? Differt enim hæc quæstio à præcedenti in eo, quod licet ambæ importent perpetuitatem, tamen in hac posteriori stare potest reuocatio cum perpetuitate, non in priori, dum eam reuocationem superior à se abdicauit Quæstio ergo hæc, an perpetuitas hæc dabilis sit cum reuocatione? Quod est etiam quærere, an dari possit licentia sine determinatione temporis? Quę proinde illimitatio importat concessionem durare vsq; ad mortem.

38 Resp. Posse, quia licentia ordinata ad subueniendum indigentijs eius cui conceditur, non est magis iusta, & legitima uno tempore, quam alio, durante eodem fine subuentionis; sed religiosus in toto cursu uitæ suæ habet hanc indigentiam, ergo licentia dari potest perpetua vsque ad mortem, dum continuo subest legitima causa. Ita omnes *cum Rodriq. tom. 3. quæst. 29. art. 8. Miranda tom. 1. quæst. 28. art. 7. Graff. lib. 3. de casib. seru. cap. 4. num. 51. Nauar. com. 2. de Regul. num. 38. ex illis Peyrin. de Subd. quæst. 2. cap. 2. §. 1. Vers. Colligitur septimo,*

Quæres 12. An huiusmodi licentia perpetuo data, seu, quod idem est, data ad uitam, possit reuocari à superiore?

39 Resp. Affirmatiue, quia alias intelligeretur simpliciter concessa, & irreuocabiliter, quod fieri non potest ex dictis q. 7. cum ergo licentia data perpetuo, seu ad vitam, mentione etiam non facta de reuocatione, adhuc sit reuocabilis ex conditione intrinseca ipsi licentiæ, ex cap. cum ad Monasterium, de statu regul. sequitur, quod eam reuocare possit. Vnde non est necesse in danda licentia exprimere eam clausulam: *Ad nutum nostrum reuocabilem*, quia tanquam conditio intrinseca subintelligitur, licet non exprimatur, ex dictis cap. 16. num. 31. & 32.

20 Reuocationem autem facere non debet, nisi ex causa, cum prudentis superioris sit, relinquere subditum in vsu suæ licentiæ, quando illa non abutitur, quia nouitates sine causa inductæ generant discordiam. Ita *Compend. Rodriq. resol. 110. num. 4. citans Nauar. in cap. Non dicatis num. 42. & 48. Beiam 2. par. 3. casu 36. part 4. casu 17. casu 32. Cruz lib. 1. cap. 3. Regin. lib. 18. num. 339.*

41 Religiosus uero ex parte sua debet esse paratus animo ad resignandum quod habet aliter peccat contra obedientiam sui superioris, & etiam contra uotum paupertatis, quando iussus resignare resistit, tunc enim incipit possidere

dere auctoritate propria contra uoluntatem superioris.

Quæres 13. An si superior promissit non reuocare adhuc possit eam reuocare?

42 Resp. Affirmatiue, quia talis promissio non tenet, cum per eam de monacho uidetur facere non monachum, & reddere eum proprietarium, quod non licet, ergo promissum reuocare potest, cum non subsistat. Ita omnes *cum Sanchez lib.7. cap.17. num 32. multis allegatis.*

Quæres 14. An licentia præsumpta stare possit cum displicentia superioris? E.g. Religiosus recipit aliquid in occulto, sciens hunc modum recipiendi displiciturum esse superiori, qui tamen licentiam dedisset, quam ille ex quodam respectu humano non petijt.

43 Resp. Stare licentiam præsumptam in suo uigore, nam fundatur in illa uoluntate, qua superior concessisset rem, si fuisset petita, ista enim bona uoluntas superioris aliquid operari debet. Quare cum ille modus non sit contra uotum papertatis, sed tantum contra reuerentiam superiori debita m non facit religiosum proprietarium. Ita omnes *cum Miranda tom.1. q.28. art.16. Rodriq. tom.3. q.29. art.11. Tamb. tom.2. disp.22. q.8. num.15. Diana resol.31. de Paupert. Castropal. disp.3. p.23 num.8. Peyrin. de subdite q.2. cap.2. §.3. Vers. Nota secundo, de Lugo disp.3. de iust. num.* 125. *Sanch. lib.7. cap.19. à num.* 13. *ad* 16. post longum sermonem idem concludit, reiecta ratihabitione de futuro, quæ hic locum non habet, quia illa voluntas spectatur de præsenti.

Quæres 15. An licentia data ad vnum effectum se extendat ad alium? E.g An data ad retinendum valeat ad recipiendum, ad expendendum?

44 Resp. In rigore loquendo non valet, quia causa limitata producit limitatum effectum, *l. Age 3. de transact. l. In agris 16. ff. de aquir. rer. domin.* Ex diuersis enim non fit illatio. Ita *Sanchez lib.7. cap.19. num.6. Pelliz. tract.3. cap.2. n.*427. Dixi *in rigore*, quia in religionibus laxior bus, in quibus peculium remanet apud religiosos, licentia videtur ampla, & extensiua, nam pecunia concessa præcise non retinetur, vt possideatur, cum id sit potius amor, & effectus disconneniens religioso, quam subuentio propriæ indigentiæ, ideo retentio ordinatur ad expendendum pro suis vsibus. Retentio vero vestis, libri &c. non extenditur ad alium actum. Hæc videntur habere locum tantummodo in licentia expressa, non intacita, & præsumpta, quæ magis operatur, quam ex-

45 pressa, ad quod facit *l.156. ff. de reg. iur.* Expressa nocent, non expressa non nocent, & expressum facit cessare tacitum *l. cum ex filio 39. §. Filio ff. de vulgar. & pupillar.*

Quæres 16. Quorumq; duret licentia à superiore data?

46 Resp. Data sine limitatione temporis durat vsq; ad mortem licentiati, modo non reuocetur à superiore eodem, vel eius successore, aut à maiori superiore, ac proinde morte naturali, aut ciuili superioris data licentia non expirat, quia dicitur gratia facta, quæ durat etiam post mortem concedentis de ure *cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. de off. de leg. cap. si super gratia 9. eod. in 6.*

47 *c. si cui 36. de prabend. in 6.* quæ intellige, nisi extet in contrarium statutum ordinis.

Quæres 17. Ad quemnam superiorem spectet dare licentiam? Tres sunt superiores fere in omnibus ordinibus, Localis Prouincialis, & Generalis.

48 Resp. Sufficit licentia vnius ex his sup. rioribus, quia singuli ex officio

hanc potestatem habent, nisi illis impediatur aliquo statuto. Videtur vtilior licentia superioris localis, quia is melius alijs est informatus de indigentijs suorum subditorum, cum quibus quotidie conuersatur, ergo consultius illis prouidere potest. Ita *Laymam lib.4.tract.5.cap.7.nu.14.§. Ad externum, Sanch.lib.7.cap.19.num.39.Castropal.disp.3.par.23.num.11.*

Quæres 18. An sit maior potestas in vno superiore, quam in alio ad dandam hanc licentiam?

49 Resp. Non esse differentiam inter vnum, & alterum superiorem, nisi aliquo speciali statuto ponatur, ergo vterque eam licentiam dare potest occurrendo indigentijs subditorum. Quare quod dicunt Nauara, & Corduba apud Sanch. lib.7.cap.19.num.42. posse superiorem localem dare subdito licentiam expendendi decem ducatos ad pias causas? P. ouincialem vero aliquid plus, & Generalem aliquid maius, quia vnus alio habet maiorem potestatem, à qua est mensuranda licentia; non est verum ex natura rei, sed solum si super hoc extet statutum religionis, licentia enim non est regulanda à maioritate superio-
50 riotatis, sed à causa mouente ad dandam licentiam, quæ quandoque mouere potest æquè vnum, & alterum superiorem, potestas ergo supponitur, & à causa regulatur datio licentiæ.

Quæres 19. An licentia ab vno superiore negata subdito dari possit ab alio superiore?

51 Resp. Si negetur à minori, potest dari a maiore, non è contra, quia maior potestas præualet minori, & potentior agit contra minus potentes maior enim cogit minorem, *l. Labeo 3. §. Tractemus ff. de receptis arbitris, l. Ille 3. §. Tempestiuum ff. ad senat. Trebell.* Quare quod negat Generalis non potest concedere Prouincialis aut Guardianus, *Seraphin. decis.1328.nu.2.* Verum autem Si minor licentiam à maiore negatam det suo subdito, valeat? Negat valere Caram. *in Reg S. Benedicti num.963.* & quidem à fortiori, cum neget, valere datam ab Abbate, quam negauit Prior, quia Abbatem omnino circumuenit, qui credendus est, non voluisse, aut Priorem confundere, aut tollere subordinationem, ergo est nulla. *Pellizar. tract.3.cap.2.num.436.* dicit, licentiam, quam negauit subdito maior, à minori superiore valide dari posse, sed non licite, cum prohibitioni contraueniat, valide autem, quia actus non redditur ipso iure nullus, quamuis sit gestus contra prohibitionem legis, nisi in casibus a iure expressis, *Menoch. in casu 276.num.17. Glos. V. Vel alteri Clem.1. de præbend.*

Ego autem dico in vtroque casu, si vnus superior alterius negationem ignorat, non valere impetrationem licentiæ, quia cum decipiatur à subdito deficit intentio dandi aliter dicitur superior imprudens, & peruertere subordinationem, quam habet cum alio superiore. Confirmatur, quia gratia facta
52 est subreptitia, & nulla, quando subticetur eadem gratia alias facta limitate, *Butr. in cap. Veniens de præscript. num.2. Abbas num.14. Gutier. lib.2. Canon. cap. 15. num.92.* à fortiori, si non fiat mentio de negatione, id enim magis arcet voluntatem superioris à gratia facienda, quam non expressio limitationis eiusdem gratiæ factæ. Quod si nota sit negatiua superiori maiori, tunc gratia ab eo facta valet, quia eius valor impediri non potest à causa minori ex adductis rationibus initio, quia inferior, & minor non potest impedire actionem superioris, & maioris. Inferior vero non potest efficaciter hanc licentiam à maiore negatam dare, quia elidere non potest factum sui superioris subsistens.

53 Ad rationem Pellizar.dico,eam habere locum in prohibitionibus legalibus vt subsistant acta contra legem non irritatem facta, non autem gesta contra inhibitionem hominis attentata,sunt enim ipsa iure inualida,*ex cap.Romana, ca.Non solum,de appell.in 6.Decius conf.*103.*initio,Feder.de senis con.*300.*num.* 1.*Menoch.consil.*557.*Lancell.de Attent.cap.*20.*p.ar.*2.*num.*226.

Quæres 20 An petenda sit licentia à successore, mortuo antecessore, vel amoto, vel finito officio?

54 Resp.Non est necessarium, eo quod vlterius durat antiqua licentia, ex dictis quæst.16. ea enim suos effectus operari debet, cum respiciat vtilitatem licentiari. Ita omnes *cum Pelliz.de Monial.cap.*4.*num.*49.*& tract.*4. *in Manuali cap.*2.*num.*433.

Quæres 21.An huiusmodi antiqua licentia data e.g. à Priore valeat,si transmittatur licentiatus sub alio superiore in eadem Prouincia, vel transeat ad aliam Prouinciam?

55 Resp.Valet,& suffragatur,quandocunque non reuocatur,aut nisi extet statutum in contrarium,Probatur,quia talis licentia recipiendi, retinendi, & contrectandi non limitatur loco, neque tempore,vt suppono, sed conceditur religioso, vt suis indigentijs occurrere possit, ergo est mere personalis,consequenter ambulatoria est cum persona, quocunque vendit.

Rodriquez *tom.*2.*quæst.*125.*art.*5.*ex eo Sanchez lib.*7.*cap.*22.*num.*22.*ex illis Peyrin.deSubd.quæst.*2.*cap.*2.§.2.*Vers.Quæres* distinguntur duo genera lega-
56 torum,alia enim habent rationem vnius,vt si legatum consistat in vinea, vel redditibus etiam singulis annis soluendis, vt si est census, alia ratione plurium,qui dicuntur tot legata, quot sunt anni, quibus soluenda sunt, & initio cuiuslibet anni dicitur legatum aquiri, ac proinde singulis annis requiritur noua licentia ad eam nouam aquisitionem. Vide tit. de Annuis legatis.

57 Ego autem puto sufficere antiquam licentiam, quod cunque sit illud legatum,quia licentia,quæ non restringitur ad vnicum actum,dicitur habere tractum successiuum,ergo licentia, cuius virtute recepi primo anno legatum, quodcunque illud fit,seruire mihi potest pro sequentibus annis,ex quo non est limitata. Licentiæ autem solent concedi sine limitatione actuum, ergo extenduntur ad omnes actus. Confirmatur,quia sicut vnica licentia sufficit ad recipiendum annuos fructus ex vinea,seu censu,ita & ad recipiendum annua legata,paritas enim in eo consistit,quod sicut tot sunt nouæ aquisitiones in annuis legatis,ita tot sunt receptiones fructuum,quot anni,in quibus recipiuntur,in vtrisque enim ius recipiendi aquiritur primo anno, ergo licentia initio data extenditur ad omnes receptiones in futurum, cum in illo iure aquisito fundetur, & sic licentia data ab initio super illud ius dicit relatiuam extensionem ad omnes receptiones,ad quas illud ius refertur. Deinde in l.in singulos 8.ff.de annuis legatis,ex qua suum deduxerunt responsum, dicitur,
58 quod legatarius annuus,& vsufructuarius assimilantur in eo, quod morte eorum cessat legatum,& vsusfructus,differre vero in eo,quod mortuo legatario infra annum,legatum pro eo tantum anno transmittitur ad eius heredes, non vero vsusfructus,qui non fuit perceptus ante mortem,ex ea differentia, quia legatum quodlibet initio anni aquiritur,non autem vsusfructus nisi in actu perceptionis,ideo transmitti non potest ad heredes,perceptio ergo ipsa

vsusfructus ex vinea, censu &c. singulis annis aquiritur, sicut annuum legatū, ergo si noua licentia requiritur in vno, etiam in alio, ergo in neutro, & sic vnica sufficit licentia in omnibus.

Quæres 22. An superior localis dare possit licentiam Fratribus hospitantibus in suo conuentu?

59 Resp. Potest, quia pro eo tempore censentur subditi illius, & ipse tunc melius alijs cognoscit suas indigentias. Tum quia gaudent priuilegijs, & fauoribus, aliorum Fratrum. Tum quia debent se conformare moribus aliorum in eodem conuentu ex illo Psal. 67. 7. *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo*, ergo gaudere debent eisdem fauoribus, quos superior communicat alijs. Verum quidem est, quod licentia durat tantum pro eo tempore, quo ibi manet.

Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 41. refert aliorum opiniones, sed quoniam videntur nixi statutis ordinum, omitto earum discussionem. Ipse tamen dicit, hospitem debere licentiam petere à suo superiore ordinario, non à superiore hospitij. Sed non placet, quia si amicus meus vult mihi donare pretium vecturæ equi numquid dicere debeo, expecta responsum à meo superiore. Ridiculum est hoc responsum.

Quæres 23. An superior sibi dare possit eandem licentiam, quam dat suis subditis?

60 Resp. Potest, quia licentia hæc non requirit distinctionem personarum, sicut in multis alijs necessaria est, vbi scilicet interuenit actus iurisdictionis proprie dictæ contentionis, aut gratiosæ quia nemo eam in seipsum exercere potest, vnde nemo potest sententiare seipsum, nec contra alios pro se sententiam ferre, neque seipsum absoluere, *de qua re Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 3.* Licentia autem huiusmodi non est actus iurisdictionis, licet coniungi possit cum ea, sed est actus superioritatis, & facultas bene agendi aliquid, ergo alios licentians, seipsum licentiare potest ad eosdem actus, ad quos licentiat subditos. *Confirmatur* id experientia in naturalibus, nam idem homo in suis potentijs immanenter operantibus simul est agens, & patiens respectu diuersorum, siquidem oculus producit visionem, & eandem in seipso recipit; sicut ergo in naturalibus idem est agens, & patiens, à fortiori in moralibus quæ magis pendent à voluntate intellectu dirigente quam aliunde. Neque enim superior debet esse deterior suis subditis, immo melioris conditionis, quia sustinet pondus diei, & æstus. Confirmatur iterum, quia valens dispensare, seu licentiare suos sub ditos ad aliquos actus, potens & seipsum ad illos dimitere, vt docent *Rodriq. tom. 1. quæst. 26. art. 8. & tom. 3. quæst. 70. art. 1. Miranda tom. 2. quæst. 31. art. 5. Peyrin. de subdito quæst. 1. cap. 8. §. V. Vers. Dico sexto, Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 3. initio D. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 8. in fine corporis*, vbi quod

61 superior secum dispensare potest in obseruantijs regularibus, non solum indirecte, cum scilicet dispensat communitatem, nam & ipse in ea includitur, cum illius sit caput, sed etiam directe secum scilicet solitarie dispensando in legibus, votis, iuramentis &c. in quibus potest cum subditis. Ita *Couar. in cap. Alma mater part. 1. §. 1. num. 7. Sanchez lib. 8. disp. 3. num. 6. & lib. 4. cap. 37. nu. 40. Suar. de legib. lib. 6. cap. 12. à num. 8. Poncius lib. 8. cap. 4. num. 9. Bonac. disp. 1. quæst. 2. p. 1. num. 9. Castropal. de dispens. legis p. 7. num. 2.* Quia nullo iure repugnat. Et quamuis in specie non loquantur de licentia in voto paupertatis, tamen

tamen idem dicendum est in casu nostro, in quo licentia non est proprie dispensatio, sed facultas remouens vitium proprietatis à professo, dum rem contrectat de licentia sui superioris, & ita dixi cap.24.de profess.num.64.

Dices, ad quid considerare specialem licentiæ rationem in superiore maxime locali, dum enim ex officio, habet administrationem bonorum Monasterij, administrando illa subditis, alia non eget licentia, nisi de facto vtendo bonis, sicut alijs distribuit.

62 Resp. Duplici iure bonis ipse v ti potest sine violatione voti paupertatis, iure scilicet administrationis, quæ non tantum est in bonum subditorum, sed etiam in sui vtilitatem, quia dum altari seruit, de eodem viuere debet. Et iure licentiæ, secundum quam vsum bonorum communicat subditis, & sibi per propriam licentiam. Et valde obseruandæ sunt hæc duo iura administrationis, & licentiæ, in eo, quod religiosus ab officio absolutus, non amplius vti potest rebus ex vi administrationis, quæ iam expirauit. Vti vero potest licentia, qua subditi possunt vti ipso superiore ab officio absoluto, si fuit data sine limitatione temporis, non enim expirauit morte superioris, vt dixi q.15. Hinc resoluitur sequens quæstio.

Quæres 24. An superior parem licentiam sibi dare possit, quam dat subditis? Hoc est, an propria licentia, quam sibi dedit superior in causa voti paupertatis, duret in eo post absolutionem ab officio, sicut durat in subditis, qua vtuntur postquam ipse superior suum finiuit officium?

63 Resp. Affirmatiue, debet autem formaliter in eam intendere. Probatur, Tum quia sicut cassatio officij non facit cessare licentiam subditorum, ita neq; respectu sui ipsius cessat, cum ipse non minus sit in possessione vtendi sua licentia, quam sint subditi, quibus in hoc comparatur, cum & ipse sit subditus, dum est superior, quatenus vtitur in seipso licentia, non enim repugnat, quod eadem persona sit subditus, & superior, nam Guardianus est superior sui conuentus, & subditus Prouinciali. Tum quia licentia superioris intransitiua, pro seipso est eiusdem rationis, sicut est licentia ab eo concessa subditis, sine scilicet limitatione temporis, nuncupata transitiua, ergo de vtrisque idem iudicium est faciendum. Tum demum, quia est absurdum, quod in eodem genere beneficij possit subditis impertire maius beneficium, & non sibi, debet ergo esse par in huiusmodi licentia cum subditis. Nullum huius responsi habeo Doctorem, sed præfatæ rationes videntur conuincere, vnde stant pro Doctoribus, neque enim his creditur qua Doctores sunt, sed quatenus eorum opinio rationibus firmatur.

64 Cardinalis de Lugo *de sacram. Pænitentiæ disp.19. num.42. referente Diana part.11. tract.8. resol.54.* Ait, superiorem finito officio, retinentem sibi pecuniam, quam receperat, dum erat in officio, non peccare, si non petat licentiam à superiore, eam vero non posse expendere sine illius licentia. Pro huius rei probatione aduertit, facultates, quas Prælatus concedit, esse in duplici differentia, aliæ enim sunt, quæ nunc mandantur executioni, licet earum effectus postea perseueret, vt licentia accipiendi vestem, Breuiarium, quæ sine alia licentia retineri possunt. Ad hæc Prælatus potest sibi dare licentiam, sicut dedit subditis, dum est superior, retinendo acceptum sine alia licentia, quia se habet sicut vnum de subditis. Aliæ facultates sunt, quarum effectus, & executio est postea ponenda in esse V.g. facultas nunc data accipiendi aliquid, vel

donandi anno sequenti, quo non amplius erit superior; Posita hac distinctione, ait Cardinalis, quod Prælatus non potest sibi dare nunc hanc licentiam recipiendi, aut expendendi pro anno sequenti, quo non amplius erit superior.

Difficultati vero, cur superior nunc subditis possit dare licentiam recipiendi, & disponendi pro anno sequenti, quo non erit superior, & eandem non potest pro se recipere, respondet, eam esse differentiam, quia hæc delegatio cadit inter personas distinctas, & capaces, ipse vero superior nō est capax recipiēdi a se ipso hanc commissionē, quia inter delegantē & delegatū debet esse distinctio. Vnde nec potest nunc dare facultatem absoluendi homini non baptizato, vel non clerico, qui futurus est Baptizatus, vel clericus. Exemplificat etiam in delegatione absolutionis a reseruatis, dicendo, superiorem posse dare facultatem suo subdito absoluendi à reseruatis pro eo tempore, quo non erit superior, quam tamen sibi dare non potest ad tempus sequens, prædictam rationem afferendo, quia est incapax pro tunc, cum non est superior.

65 Dicastillus vero *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 10. dub. 6. nu. 47.* nouam licentiam petit tam in expensione, quam in retentione rei acceptæ à superiore potente tunc recipere, quando erat superior. Itaq. Dicastillus, quem Diana sequitur, vult cum officio finire licentiam, quam sibi dederat, quando erat superior, ex quo noua est necessaria ad retinendum, & expendendum pecuniam, quam ex propria licentia acceperat, dum erat superior. Probat, quia vterq. actus retinendi, & expendendi pro eo tempore, quo amplius non erit superior, est factus sine legitima facultate à non domino, & simul impedito per votum; & sicut superior non potest sibi dare licentiam expendendi, quando non erit amplius superior, ita neque retinendi, quando non erit in officio. *Confirmat*, & declarat, quia retentio pecuniæ pro illo tempore, quo non est amplius superior, est moraliter quædam acceptio pro eo tempore, quæ differt à prima acceptione sicut in physicis quædam conseruatio à prima productione, quæ ideo non est prima productio, quia hæc præcessit tempore præcedenti exitentia termini ab eadem, vel alia causa, quod est satis extrinsecum &c.

Ego autem quamuis ipsorum vix nomen discipuli merear, prædictis non obstantibus meæ opinionibus firmiter adhereo ob rationes adductas, & producendas contra illorum probationes.

66 Contra primo, quia differentia, quam de Lugo supponit, in suis facultatibus, non potest diuersificare naturam ipsius licentiæ, quæ in se vna est, per quam superior sibi dat ius accipiendi, retinendi, & expendendi pecuniam acceptam, sicut dat subditis, nam facultas statim ac per licentiam confertur à superiore pro se, seu subditis, recipit suam virtutem ad operandum, cum opus erit, & occasio se præsentauerit, non vero fit talis per suos effectus, & executionem, quæ illam vt causam sui supponunt, non constituunt, Præcedit ergo facultas, & licentia cum suo vigore quemlibet effectum, & executionem, vt qualibet causa suum effectum, non solum natura, sed etiam vt plurimum tempore, vt patet in exemplis allatis ab ipso Cardinali. Quare facultas siue ab initio mandetur executioni siue post, non diuersificatur, nec variatur in sua virtute, quæ operatur, cum opus est. Cum ergo superior possit sibi dare nunc licentiam dum est superior, recipiendi, retinendi, & expendendi, sicut dat subditis exercendi illos tres actus pro futuro tempore, quo non erit superior, cur

cur non poterit in eo durare illa facultas,postquam erit absolutus ab officio, si durat in subditis? Vtitur ergo licentia intransitiua pro se, sicut subditi transitiua ad eos, nihil renouando, neque enim assignabilis differentia, cur vna, extinguatur & alia, non absoluto superiore ab officio, cum vtraque data sit sine limitatione temporis.

Neque dicas,antiquam licentiam,quam sibi dederat,expirasse cum officio, & sic noua indigere quo ad expensionem secundum Cardinalem,& etiam quo ad vtrunque secundum Dicastillum. Quia respondetur *Primo* non esse maiorem rationem, cur in ipso cessauerit superiore,& non in subditis, cum respectu vtriusque fuerit concepta, & data sub eodem tenore, & limitatione temporis. *Secundo*, in superiore non cessauit,finito officio, respectu retentionis, secundum Cardinalem,ergo nec respectu expensionis,cum ex natura rei pecu-
67 nia maxime à religiosis non retineatur,vt conseruetur, id enim est signum auaritiæ fugiendæ non solum à religiosis,sed etiam à laicis,sed vt expendatur pro indigentijs ipsius retinentis,nam eius vsus,pro quo retinetur, est consumptio,& expensio, ergo qui dedit licentiam retinendi,dedit etiam facultatem expendendi, ad quem effectum retinetur. Retentio ergo pecuniæ tamquam
68 antecedens ordinatur ad illius expensionem tamquam ad illam consequens, vt occurratur proprijs indigentijs; sed concesso antecedente,censetur quoque concessum consequens, *l. Non cogendum* 45. §. *Si procuratori ff. de procurat. l. Si cui 91.ff.de condit.& dem.* Absurdum enim est dicere, quod quis habet licentiam retinendi arma, & illis non vtendi, ergo licentiam habens retinendi pecuniam,eandem etiam habet expendendi,ne sit frustratoria,& otiosa facultas retinendi. *Quarto* ex sententia ipsius de Lugo num.38.licentia,seu iurisdictio delegata ad absoluendum à reseruatis non expirat morte concedentis, quia est gratiosa,& fauorabilis ad differentiam contentiosæ,ergo nec perit licentia,& facultas ad recipiendum,& expendendum, cum & ipsa sit fauorabilis,& gratiosa. Immo magis videtur durabilis facultas disponendi,seu expendendi,quã absoluẽdi,quia facilius perditur potestas delegata,quam ordinaria,
69 *l.1.§.Qui mãdatum ff.de offic.eius, cui mans. l.Iudicium solnitur ff.de indic. Sanch.lib.3.disp.22.num.*24.Sed licentia ad reseruata est delegata;licentia uero intransitiua magis habet de ordinario,cum de iure sit debita,ergo plusdurare debet in persona, ac proinde etiam post absolutionem ab officio.

70 Contra secundo,allata distinctio personalis inter dantem, & accipientem non est necessaria in omnibus facultatibus,sed tantum vbi agitur de iurisdictione contentiosa,seu præiudicio tertij, & de iurisdictione in materia sacramentorum, dans enim sacramentum debet esse distinctus à recipiente, vt
71 colligitur ex tenore verborum formæ exprimentium pronomina Ego,& Tu, quæ important distinctionem personalem, & patet ex dictis hic sub num.60. Sed licentia,& facultas,de qua loquitur est omnino gratiosa,ergo non requirit distinctionem personarum,sicut nec requirit, dum est in actu officij,dum ergo est superior non impedit identitas personæ,neq;cum erit absolutus ab officio, cum remaneat eadem persona.

72 Contra tertio, quia esto non possit conferri facultas absoluendi non baptizato,neque non clerico, nec minus laico pro eo tempore,quo erit sacerdos exercenda, tamen superior sibi facultatem pro voto paupertatis dare potest exequendam à se postquam erit absolutus ab officio, quia sicut illius capax

est receptionis dum est prior, ita & post officium remanet capax illius exercitij. Vnde hinc patet ratio disparitatis, nam nondum clericus omnino est incapax recipiendi pro illo tunc facultatem absoluendi pro eo tempore, quo erit clericus, ac proinde semper talis remanebit clericus, & sacerdos factus, quia ea facultas vere non fuit illi delegata ob eius incapacitatem nec tunc, nec pro futuro tempore, vt enim facultas vere delegetur debet ab initio persona esse capax, quia tunc confertur, & non futuro tempore quo erit habilis, implicat enim quod aliquid nunc detur pro futuro tempore, & non dicatur nunc datum, in quo consistit radix nullitatis dati, quia scilicet hic, & nunc est incapax, datum ergo respicit tempus præsens, cum actus fiat de præsenti, & non de futuro, agendum enim non est actum, sicut nec futurum est præsens, si ergo quis dat nunc aliquid cum respectu ad futurum, si vere datio sortitur suum effectum, signum est recipientem esse capacem, & tunc ille respectus in futurum importat executionem illius potestatis datæ antecedenter ad operandum tempore debito. Modo superior existens dat sibi licentiam recipiendi, retinendi, & expendendi pecuniam absque limitatione temporis, & efficaciter illam sibi dat, cum sit incapax non solum pro subditis, sed etiam pro seipso, ergo eam exercere potest facultatem cum absolutus fuerit ab officio. Neque enim absolutio ab officio reddit eum incapacem ab exercitio suæ facultatis, quæ adhuc in eo viget secundum Cardinalem, absolutio enim ab eo aufert solam superioritatem, non datam alias licentiam, quæ in conseruari non pendet à superioritate, sed ab existentia propria nondum destructa. Itaque capacitas in superiore producit suum effectum receptionis licentiæ exercendæ pro eo tempore futuro indeterminate, cum opus erit, habet enim tractum sui exercitij successiuum. Non clericus vero ex sua incapacitate nihil recipit, nec pro præsenti, nec pro futuro tempore, quo erit capax, ita quod, si tempore capacitatis conferretur illi facultas non dicetur retroacta ad tempus præteritum incapacitatis, cum antea nullatenus subiectum fuerit habile?

Dices, Cardinalis non loquitur de licentia, quam superior sibi dat ad agendum præscidendo à tempore præsenti, & futuro, sed loquitur præcise de licentia, quam sibi nunc dat ad vtendum pro eo tempore, quo erit absolutus ob officio. Intendit enim futuram licentiam quæ incipiat sortiri suum effectum vsus postquam non amplius erit superior, tunc enim incipit esse.

Sed reuera verba facit de licentia, quam tunc sibi dat ea intentione, vt illa vtatur absolutus ab officio, ita quod nunc sibi confert licentiam in habitu, vt ita dicam, ponendam in actu futuro tempore, quo non erit superior. Et hęc dabilis est cum suo exercitio, siue sit generalis absq. limitatione temporis, & cum exercitio, & eius vsu coniuncto cum ipsa datione, vt concedit subditis; siue specialis, data tunc, solum exercenda post officium, vtramque vere, & efficaciter conferre potest, nam generalem sibi conferre potest, quia confert alijs etiam secundum Cardinalem & supra numer. 19. ergo & hanc specialem, cum videatur esse quid minus.

Contra quarto, quia non bene comparantur inter se hæ duæ facultates absoluendi, & expendendi, quod scilicet possit superior sibi eas dare exercendas pro tempore, quo non erit superiot, nam facultatem absoluendi nec sibi dare potest, nec in seipso exercere potest in quocumq. tempore, quia petit distinctionem personarum, vt dictum fuit supra, non vero facultas disponendi

seu

seu expendendi, quinimmo ex natura rei qui habet licentiam agendi in seipsum agit dum vtitur licentia, non in alium, nec per alium. Subdit. Non poterat superior existens dare sibi facultatem absoluendi alios religiosos à reseruatis, quando iam non esset eorum prælatus, nec etiam vt ipse ab eis absolueretur, quia illa licentia mandanda esset executioni tempore sequenti, quo iam ipse non posset eam concedere, ergo seipsum licentiare ad actus exercendum post officium.

Ego dico, quod superior potest dare facultatem sacerdoti suo absoluendi à reseruatis totis, quoties casus occurrerit etiam sine limitatione temporis,
73 quę non expirat morte concedentis tum naturali, tum ciuili, sed vlterius durat, quousque positiue reuocetur. Ita fere omnes cum *Florono de casib. reseru. par. 1. cap. 4. §. 3. num. 14. Suarez de Penit. disp. 26. sect. 3. num. 7. Sair. lib. 7. de cens. cap. 14. num. 7. cum alijs Bonac. de priuileg. disp. 1. quæst. 3. p. 8.* §. 1. *num.* 24. Nec dissensit de Lugo, qui eadem disp. 19. num. 37. dicit potestatem audiendi confessiones non expirare morte concedentis, etiam ciuili, ergo neque potestas absoluendi à reseruatis, cum sit eadem ratio ex illimitata temporis concessione. Ratio est, quia hæc licentia est gratia facta, quæ non expirat morte
74 concedentis, *Castropal. de priuileg. disp. 4. de legib. p. 16. §. 4. num. 1.* Cum ergo talis licentia sine limitatione data duret post mortem concedentis, illam habens uti poterit absoluendo à reseruatis post absolutionem ab officio, & si durat vlterius, poterit superior existens se declarare cum subdito, do licentiã tibi absoluendi me a reseruatis, dum absolutus ero ab officio, si enim eam concedere potest indefinite duraturam ex natura rei post amotionem ab officio, á fortiori eandem dare poterit cum expressione, vt absoluat, dum non erit superior, id enim nihil aliud est, quam licentiam indeterminatam determinare, & declarare valere, vel non valere morte concedentis. Et tunc sicut ille confessarius potest absoluere alios, ita & ipsum alias superiorem virtute dictę licentiæ, quæ ab ipso emanauit. Et ex his manet probatum, quod dabilis nunc est licentia sibi exercenda pro tempore futuro, quo dans non amplius erit superior. Igitur superior existens potest sibi dare licentiam, vt absoluatur, vt expendat, post amotionem ab officio, quia ab initio est capax accipere illam, licet postea sit factus incapax, quia tunc per electionem confessarij non dicitur illi tribuere licentiam, cum iam habuerit ab eo, sed tantum ab illo petere executionem fundatam in ea potestate existente iam in delegato, vnde parum refert, quod amotus ab officio dicatur incapax ad dandam licentiam, cum illam dederit, cum erat in officio non solum alijs, sed etiam sibi exercendum per alium respectiue ad absolutionem, & per seipsum in ordine ad votum paupertatis,

Respondeo contra Dicastillum, ipsum supponere licentiam extingui cum cessatione officij, dum requirit nouam licentiam tam pro retentione, quam rei expensione, quod tamẽ non probat, & supra patet sub n. 38. in sententia omnium, licentiam concedi posse sine limitatione temporis, & ad vitam, ac proinde morte concedentis non expirare, vt dixi sub num. 73. consequenter prosecutio retentionis, & subsequens expensio rei retentæ est ex legitima facultate facta, dum pendet ab illa licentia adhuc durante, cum ipse non probauerit eius extinctionem, vt debebat, facile enim est, ex suppositione ad vlteriora procedere. Ad confirmationem, quando dicit retentionem pe-

cuniæ eo tempore, quo non est superiorem, esse quandam nouam acceptionem differentem à prima, sicut conseruatio differt à prima productione præcedente conseruationem, dico hanc similitudinem potius facere pro me, nam conseruatio est perseuerantia existentiæ rei in esse sine noua actione, sicut enim productioni respondet existentia, ita conseruationi duratio, quę
75 immediate nullo tempore interiecto sequitur ipsam rei existentiam, vt docent omnes Philosophi, & sicut conseruatio continuatur existentiæ, & tempus non intermediat, ita prima acceptio conseruatur vsque ad expensionem sine noua actione ex parte retentionis, sicut nihil noui datur in conseruatione rei existentis; nec video existentiam tempore præcedere conseruationem, cum sine intermissione res dum incipit existere incipit etiam conseruari, pari ratione res legitime accepta sine aliqua actione noua conseruatur apud eum, qui eam legitime retinet quousq; reuocetur positiue à superiore successore, vnde si non reuocatur retinens eam cum eadem prima licentia, quæ ad nullum actum fuit limitata, vt suppono, expendere potest, viget enim vlterius, cum absolutione ab officio non fuerit extincta, nec à successore reuocata.

76 Dices Parochus ingressus religionem professione desinit esse Parochus, ac proinde in eo expirat potestas ordinaria, quam habebat ex iure parochiali ministrandi sacramentum pænitentiæ suis parochianis, vt dixi cap. 3. de profess. regul. num. 155. & tradunt omnes, quia potestas ordinaria absoluendi fundatur in beneficio parochiali, quo si caret, perdit quoque potestatem, *Suar disput. 28. de Penitent. sect. 4. nu. 20. Florон. cap. 4. de casib. reseru. §. 12. nu. 7.* Ergo pari ratione absolutus ab officio absoluitur etiam non solum ipse, sed etiam quilibet eius subditus habens ab eo licentiam recipiendi, retinendi, & expendendi, quia hoc ius dandi licentiam fundatur in officio administrationis, ergo hac non existente tollitur ius, & licentia concessa, ac proinde noua est necessaria non solum ad expendendum, sed etiam ad retinendum iuste acceptum.

Resp. Hoc argumentum nihil aliud probat, nisi quod parochus amotus ab officio suo, vlterius non posset audire confessiones, quia caret potestate, & subditis, ita superior amotus ab officio, amplius non potest dare sibi, nec alijs licentiam recipiendi &c. quia caret superioritate, in qua fundabatur ius licentiandi; non vero probat, ex superiorem, qui sibi superiori dedit, & alijs licentiam, non posse cum illis sua vti licentia, id enim falsum est, quia iam ambo & superior; & alij licentiati sunt in possessione licentiæ sibi datæ, in ea conseruantur quousq; positiue reuocetur à superiore, cum absolutione officij, vt sæpius doctum fuit, non extinguatur licentia data, sed tantum ius dandi illam.

Ex hac responsione sequitur, posse Parochum dare licentiam audiendi suos Parochianos alteri sacerdoti absque limitatione temporis, ac proinde etiam secuta professione sacerdos ille delegatus poterit prosequi auditionem confessionum, & absoluere, quamuis ille non amplius sit parochus, à pari de licentia data à superiore subdito, qui ea vti potest post absolutionem ab officio. Immo ipse Parochus antequam exparochietur poterit sibi dare licentiam audiendi parochianos post retentionem factam de parochia à pari de superiore dante sibi licentiam recipiendi, &c. postquam absolutus erit ab officio.

77 Resp. Ad illud, licentia à Parocho data non habet tractum successiuum, sicut licentia regularis vt patet ex actibus recipiendi, retinendi, & expendendi, qui successionem habent, ideo hæc datur sine limitatione temporis, illa vero pro ea vice, qua vocatur ad audiendas confessiones suorum parochianorum, ideo non ex morte expirat, sed ex modo, quæ conceditur, neque enim à Parocho tali modo tractiuo concedi potest, quia eius natura id non exigit, quia Parochus id per se efficere potest, non vero superior regularis, cum non possit esse omnia in omnibus, & natura rei ex postulet huiusmodi licentiam. Ad hoc de eodem Parocho sibi dante licentiam prosequendi confessiones, resignato beneficio, respondetur, id dicere vanum esse, & ridiculum, quia vti Parochus iam habet iurisdictionem ordinariam absoluendi, ergo eam sibi dare non potest, nam dare supponit, illum, cui datur, carere danda, re, cum ergo potestas euanescat dum vacat beneficium, in quo fundabatur, non potest eam sibi ulterius prorogare, sicut eam sibi dare non potest. E contra, licentiam retinendi superior sibi dare potest exercendam non solum dum actu est in officio, sed etiam finito officio, ut iam multis probatum est.

Queres 25. An Episcopus possit dare hanc licentiam religiosis sibi subiectis ratione conuentuum paruorum restitutorum?

78 Resp. Negatiue, quia quo ad obseruantias regulares nunquam fuerunt, nec modo subiecti Episcopis, sicut ab initio erant temporibus sanctorum Augustini, & Benedicti, & nunc in aliquibus, sed semper quo ad illas fuerunt, & sunt, subiecti tantum superioribus regularibus, ut constat ex Decreto Gratiani, & in cap. de statu regul. ex quibus habetur, Abbates quo ad obseruantias regulares fuisse semper superiores priuatiue ad Episcopos, quorum auctoritas non se extendit ad hæc gratiosa, sed tantum ad nonnulla contentiosa, & ipsis regularibus odiosa.

Quæres 26. An dicta de viris religiosis locum habeant in monialibus? An scilicet Abbatissa, & superiorissa habeat eandem potestatem licentiandi, seipsam, & monialem, eo modo, quo superiores viri licentiant se, & suos subditos, iuxta superius dicenda?

79 Resp. Affirmatiue, Tum quia Abbatissa recipit votum paupertatis à monialibus sibi subiectis, sicuti superiores regulares recipiunt idem uotum à suis nouitijs, ergo super ipsis, & pro ipsis habent potestatem licentiandi illas ad obseruationem huius voti, sicut habent superiores. Tum quia hæc potestas est administrationis, & superioritatis non præsupponentis aliquem ordinem, nec clericalem characterem, vt dixi q. 4. & ideo Abbatissa illius est capax, consequenter ea vti potest pro se, & pro suis monialibus. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 1. 9. num. 44. Laymam lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 15. Castropal. disp. 3. p. 23. fine.* Nullus contradicit.

Quæres 27. An religiosus sine licentia possit agere aliquid pretio æstimabili absque violatione voti paupertatis? E. g. An religiosus pictor sine licentia possit facere picturam magni valoris amico, qui dedit illi omnia necessaria ad illam perficiendam, absque eo, quod incurrat vitium proprietatis! Similiter, an monialis facere possit pretiosum corporale, aut pallium altaris acceptis omnibus impensis à Rectore ecclesiæ? *Tertio*, an acceptet depositum sine licentia? *Quarto*, an acceptet distributionem legati? *Quinto*, An remittat donum pro consanguineo? *Sexto*, an pictantiam suam donet sine licen-

ria? Hoc casus refert noster Cotonius lib.4.controu.6.cap.2.quæst.3. à num. 104. & dicit non requiri licentiam ad vitandum peccatum contra paupertatem, quia in his actibus non exercetur aliquod ius in bona temporalia, quod est obiectum voti paupertatis, non enim paupertas respicit vsum membrorum,& opera,atque res nondum est Monasterij. Ita inquit Cotonius. Ego autem respondeo singulis,vt infra.

80 Resp. primo, & secundo exemplis, ad faciendum picturam, & corporale, vel aliud quodcunque pro amico, requiri licentiam in ordine ad euitandum vitium proprietatis,esto Amicus det omnia necessaria ad perficiendum opus artificiosum. Probatur, quia in artefacto spectantur duo, materiale,& for-
81 male ipsius artefacti,materiale est illa materia super quam fabricatur, vt in pictura tabula, & colores, in pallio sacro, tela, sericus gemmæ &c.formale vero est artificium apparens in materiali proueniens ex illo labore artificioso. Esto totum materiale sit datum ab amico sine translatione dominij retenti apud se petente, vt super eo fiat artificiosum, & sic ex hoc capite religiosus artifex nihil aquirat, ex quo violet votum paupertatis, tamen formale, hoc est, artificium, quod procedit à manibus artificis, non est ipsius amici, sed omnino religiosi, cum sit distinguendum inter dominum tabulæ, & materialis, atque ipsum pictorem,qui dominus est picturæ, quam sua ma-
82 nu, & opera fecit, nunquam enim pictura cedit tabulæ, sed è contra, *Instit. de rer. diuis.§. Si quis in aliena tabula pixerit*. Certum autem est,quod pictura de se est pretio estimabilis, quomodo ergo eam facere poterit pro amico si-
83 ne violatione paupertatis, cum faciat,& donet aliquid quod suum,& Monasterij est? Hoc enim facere, quod tuum est, cum à te omnino procedat, alienum non est, ergo dum illud pro alio facis, facis illi, & donas aliquid pretio æstimabile, ergo exerces actum proprietatis; nec enim intentio laborandi pro alio efficit,illud artificium à te non procedere,cum sit tuus effectus,ergo ea intentio te excusare non potest à vitio proprietatis, dum non efficit, vt tuum non fuerit artificium,dum a te tantum deriuatur.

Diana resol.6.de Paupert.cum Bonacina, Scortia, & Valero, docet, hanc religiosum facientem amico picturam,vel aliud de licentia superioris non incidere in pœnas Bullæ de largitione munerum,quia non agitur de re alienanda,seu donanda,quæ sit monasterij, sed tantum de non aquirendo. Illum sequitur Card.de Lugo disp.3.de Iust.num.149.requirenti duo, primum intentionem pingendi pro amico; secundum, quod ille petierit picturam. Probat, quia sicut religiosus absque licentia potest acceptare obsequium sibi ab alio præstitum; ita & ipsemet potest absque preiudicio paupertatis alteri inseruire, & suam operam ei gratis exhibere. Sic potest altero dictante scribere pro ipso codicem magni valoris, qui nunquam est in dominio illius religiosi accommodantis,& exhibentis suam operam alteri, cuius nomine scribit,& ideo nihil sibi appropriat, sed totum aquirit domino, cui gratis laborat. Itaque Diana petit licentiam ad euitandum vitium proprietatis,non vero Cardinalis.

Bonacina citatus à Diana solum dicit, quod monialis vendens vili pretio albam, vel superpelliceum a se elaboratum non facere contra Bullam Clementis,quia id non est proprie donatio, sed locatio operarum cum modico pretio,vel non aquisitio,& citat pro se Valerum Diff.1.num.66.V.Munera.

Vide

Vide disput. 3. Var. Tract. p. 1. num. 5. Itaque casus videtur diuersus à casu Cardinalis, qui absolute loquitur, & dicit sic operantem pro amico non violare votum paupertatis ex eius ratione supra dicta.

Diana vero loco citato dicit, facientem picturam, vel aliud pro amico non frangere votum paupertatis, vt clarius se explicat par. 7. tract. 11. resol. 17. Sed reuera non potest facere contra votum paupertatis, si habet licentiam superioris, secundum quam ea resol. 6. de Paupert. proponit titulum quæstionis, licentia enim hæc non respicit obedientiam, sed paupertatem ne illam violet locans etiam gratis suas operas, & labores, cum id sit illas donare, quę pretio sunt æstimabiles, & sic de illis disponendo independenter à superiore incurrit vitium proprietatis.

Ad rationem Cardinalis dico eodem modo religiosum non posse disponere de suis laboribus independenter à superiore aliter violat votum paupertatis, quia labor ille scriptionis ex sua natura est appretiabilis, ergo ad euitandum violationem voti paupertatis necessaria est licentia superioris saltem tacita, esto gratis scribat, quia tunc donat suum laborem appretiabilem, quod facere non potest cum liberam administrationem non habeat disponendi de suis laboribus, sicut enim seruus alijs aquirere non potest laborando, cum non possit abesse, sed debeat prodesse domino suo l. 2. C. de pactis. Ita neque religiosus alijs seruire potest, nisi de licentia sui superioris, quæ cum referatur ad aliquid pretio estimabile, signum est, quod specificatur à voto paupertatis, non obedientiæ, ius ergo locandi suas operas, vel eas donandi est penes ipsum superiorem in ordine ad conseruationem voti paupertatis, ideo sine licentia laborando non potest effugere violationem voti paupertatis.

Et ex his patet etiam ad rationem P. Cotonij, nam actus pingendi, laborandi pendent à iure passiuo in subdito, quo independenter à superiore non potest exercere opera, nec opus, dum sunt pretio æstimabilia cum sint bona temporalia, à quibus specificatur illud ius, & actus ab eo prouenientes. Ex quo etiam patet paupertatem violari per vsum membrorum, dum religiosus exercet opus appretiabile.

Caramuel in Regulam S. Benedicti à num. 859. vsque ad 870. probat, Monachum, etiam conuersum facere posse, nisi Abbas contrarium præceperit, sua industria oris vacantibus, picturam, scripturam, sculpturam amicis, quia huiusmodi actiones non sunt monachi, qua monachi, quia artefactum, quà tale pertinet ad artificium, vt effectus ab causam; sed monachus artifex quà artifex non pertinet ad communitatem, ergo neque illud artefactum. Conuersus vero horis, quibus tenetur operari pro communitate non poterit aliquid facere pro amico extraneo, quia quà artifex pertinet ad Monasterium; ergo in reliquo tempore poterit seruire amico. Et ponit differentiam in vtroq; respectu artificij, quod Monachus per accidens est artifex, cum per se solum sit Chorista, conuersus vero per se est artifex, ad id enim ex Regula deputatur, sicut ad Chorum destinatur Monachus.

Meo iudicio Caramuel non probat suum intentum, quia illa reduplicatio, in qua tota argumentorum eius vis existit, non excusat à vitio proprietatis monachus sine licentia pingentem pro amico, nam reduplicatio formaliter
84 accepta vnicum importat in intellectu speculante conceptum ab alijs, qui in subiecto sunt, præscindente, non excludente illos; sed ea reduplicatio *Mona-*

chu.

chus qua monachus non pertinet ad communitatem respectu artefacti, *ac proinde nec ipsum artefactum* in intellectu Caramuelis nihil aliud importat formaliter secundum hanc considerationem, nisi quod ad monachum non pertinet per se artificere, quod conceditur; si vero artificiat, & pingat, adhuc Monachus operatur, licet non qua monachus, quia reduplicatio quamuis præscindat non tamen præcidit, nec destruit à monacho obseruantiæ votorum obligationem, & illa præscisio monachum facit differre à conuerso ratione officij orandi, & operandi, ergo si in operando, & pingendo adhuc est monachus non reduplicatiue, in operando debet obseruare vota sua, & sic non operari contra votum paupertatis independenter, & sine superioris licentia; & cum in hoc casu spectetur adhuc vt artifex, si non per se, saltem per accidens, quod non negat ipse D.Caramuel, suum facit artificium quo ad auctorem, cum ipse faciat, ac proinde ex natura rei illud aquirat monasterio, licet sub conditione donandi opus amico, pro quo illud facit, quod sufficit, vt illud non dicatur incorporatum monasterio, dum non facit illud pro monasterio, sed pro amico. De conuerso loquens dicit, quod conuersus, qua artifex non potest laborare pro amico, quia sub hac consideratione pertinet ad monasterium. Ex hoc argumento infertur, quod nullo modo potest propria auctoritate laborare pro amico absque violatione voti paupertatis, quia semper consideratur sub hac reduplicatione, cum non per accidens, sed per se sit artifex, ergo semper talis, & semper artifex, non potest ergò pro amico laborare, quia qua artifez (vt ipse ait) pertinet ad monasterium cum suo artificio, ergo operari non potest pro amico, nisi cum violatione paupertatis. Confirmatur, quia
85 idem semper facit idem, ergo artificiendo non potest non operari pro Monasterio, cum illius seruus per se, & semper sit. Nec tempus vocationis potest illum excusare, quia tempus nec ponit, nec tollit obligationem *l.Obligatio-*
86 *num 43.§.Placet, ff.de act.& obligat.* ea enim oritur ex pacto, seu contractu, aut lege, ac proinde non ex tempore, ergo nihil refert tempus vocationis, quod solum importat, dum religiosus tenetur in officio suo seruire Monasterio, non potest seruire amico, quia tunc non solum violaret votum paupertatis, sed etiam præiudicaret Monasterio, cui tenetur seruire. Vide eundem Caramuelem, qui in sua Theologia, fundamentali inuehitur contra Diana sub nu.1419. in secunda editione, quæ est Romana fol.33. lib. 2. nullam facientem differentiam inter monachum, & conuersum in laborando pro amico in ordine ad votum paupertatis in hac quæstione. Et bene loquitur, quia in ordine ad ob-
87 seruationem voti par in vtrisque est obligatio, non enim magis obligatus vnus ad seruandum votum, quam alter, cum vterq. in professione eadem vsus fuerit forma in se obligando. Nec obstat ea diuersitas qua monachus, qua artifex, quia ambo in seruiendo amico dicuntur artifices pro extraneo, ergo nulla diuersitas hic spectatur, cum ea referatur ad statum vtrisque in ordine ad seruitutem, quam faciunt monasterio, nam monachus in choro cantat, conuersus in monasterio seruit, & sub his considerationibus non spectatur quando seruit vterque amico, dum illi seruit tempore vacationis, quo neuter monasterio seruit, ergo in hoc casu non est habenda consideratio illius differentiæ Monachi, & Conuersi. Sed hæc satis dicta ad fauorem venerandi senis Dianæ.
88 Resp. Ad tertium requiri licentiam respectu obedientiæ legatis, quia ex regu-

gulis Patrum nihil recipi potest sine licentia ad minus præsumpta; non vero respectu voti paupertatis, quia receptio depositi in custodiam nullum dicit actum vitij proprietatis contra votum paupertatis, vt dixi cap. 19. num. 33.

89 Resp. ad quartum de distributione, solum requiri licentiam ex obedientia legali, vt dixi de recipiente deposito, quia acceptatio distributionis, & ipsa distributio nō est aliquid pretio æstimabile; nec per ipsam religiosus sibi quicquam aquirit, nec monasterio regulariter loquendo, cum ergo religiosus electus in elemosinarium sit merus executor non eget licentia in ordine ad euitandum vitium proprietatis; & hoc idem docui cap. 18. num. 54. & c. 20. n. 36.

90 Resp. ad quintum, nulla licentia indigeo, dum rogo amicum mihi volens dare largam elemosinam, vt det meo consanguineo, nolendo acceptare illam pro me; nec pro monasterio quia sic agendo non facio contra obedientiam, quia nihil accipio, nec contra paupertatem, quia mihi nihil vsurpo. Et ita docui cap. 20. num. 17.

91 Resp. ad sextum, ad donandum propriam pitantiam requiritur licentia, ne donans sit reus voti paupertatis, donare enim est actus proprietatis prohibitus religiosis. Et ita docui cap. 20. num. 39. Patet ex his, in quibus casibus requiratur licentia, ne peccetur contra votum paupertatis.

CA-

CAPVT XVIII.

De peculio, testamentis, & legatis Fauore religiosorum factis.

1 *Monasterio aquiritur relictum quo ad proprietatem, vtilitas professo.*
2 *Probatur ex Regula S. Augustini.*
3 *S. Benedicti.*
4 *Et Pontificum reseruantium relictum pro ipso legatario.*
5 *Vt adimpleatur mens testatoris.*
6 *Datum ob causam non secutam restituitur.*
7 *Hereditas aditur à conuentu.*
8 *Aditio in legatis non est necessaria.*
9 *Legata debentur post aditam hereditatem.*
10 *Legati dominium transit recto ad legatarium.*
11 *Repudiari non potest hereditas pracise in præiudicium legatarij.*
12 *Accipiens hereditatem repudiatam tenetur soluere legata.*
13 *Legatum monachus recipit de manu Abbatis.*
14 *Legatum conditionatum, quod est expreßum conditione.*
15 *Conditio de præterito, & præsenti non suspendunt, sicut de futuro.*
16 *Conditio impossibilis, & turpis non vitiant legatum, sed ipse vitiantur.*
17 *Conditio nihil ponit in esse idest obligationem.*
18 *Conditio, quę nullum parit effectum, frustra expectatur.*
19 *Conditionum turpia exempla.*
20 *Legatum ex conditione, vt non aquiratur monasterio valet, & explicatur.*
21 *Testari nemo potest contra leges.*
22 *Actus vt valeat verba impropriantur.*
23 *In testamentis dubia benigne interpretantur.*
24 *In testamentorum dispositione non debet præsumi peccatum.*
25 *Testatoris verba intelligenda sunt secundum conditionem personæ.*
26 *Legatum cum turpi conditione est absolutum ab ea.*
27 *Turpis conditio pro non scripta habetur.*
28 *Vitiatur, non vitiat legatum.*
29 *Testamentum non rumpitur per turpem conditionem.*
30 *Caducatur testamentum, & legatum non adimpleta conditione honesta.*
31 *Legatum relictum nubenti datur profitenti.*
32 *Legatum incertis puellis datur etiam profitentibus.*
33 Si maritabitur *quomodo est conditio turpis?*
34 *Legatum maius debitum nubenti datur etiam profitenti.*
35 *Tertij ordinis alter secularis, alter regularis descendentis ab illo.*
36 *Legatum relictum ingredienti datur etiam Tertiarijs.*
37 *Legatum relictum clericanti datur profitenti*
38 *Legatum dandum non ingredienti adhuc datur reiecta conditione.*

39 Con-

DE peculio egi cap. 2. à num. 45. vsque ad finem illius Capitis. Peculium autem dictum monasticum, quia ad solos religiosos pertinet est omnis res bona, & vtilis, quam monachus possidere potest, & de ea agere de licentia sui superioris, cum dependentia perenni ab eodem, ad euitandum proprietatis vitium.

Relictum ergo per testamentum, seu legatum nuncupatur communi nomine peculij, & de hoc hic agendum est sub appellatione testamenti, & legati, sub quibus titulis aquiritur.

Quæres igitur primo, cuinam aquirantur hereditates, & legata relicta alicui religioso, sibine, an monasterio. Non quæro de relictis ipsi monasterio, quia certum est illi tantum aquiri quo ad proprietatem, & quo ad emolumentum, & fructus. Vide dicta sub cap. 11. præsertim numer. 3. 11. & seq.

1 Resp. Vsus practicatus, & probatus est, vt monasterio aquiratur proprietas relictæ hereditatis, seu legati, religioso vero in testamento, seu dispositione quouis alio modo facta nominato aquiratur emolumentum; & vtilitas ad subueniendum suis indigentijs, quibus non potest occurrere monasterium pauper. Hereditas autem delata aditur à monasterio etiam contra voluntatem ipsius religiosi instituti.

2 Primum de proprietate monasterij, & vtilitate professi instituti, seu legatarij probatur etiam ex intentione Patrum, nam S. Aug. in Regula, quæ vocatur prima in calce tomi primi, eius operum, hoc indicare videtur his verbis: *Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum aliquid offerre voluerit primo quidem Priori insinuetur, & sic sucipiatur, si ipse mandauerit, de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit, vel permiterit* Relictum ergo religioso insinuandum est superiori, an velit illud aquirere monasterio aditione hereditatis, si relictum est hereditas, *& sic suscipiatur* idest religosus, cui relictum fuit, accipiat eius emolumentum, *si ipse mandauerit*, de commissione scilicet superioris, ab eo enim dependenter tale emolumentum relicti accipere debet, & quidem cum continua dependentia ab eodem superiore, vt indicant ea verba: *De quo tamen* scilicet relicto, *nihil fiat aliud nisi, quod Priori placuerit, vel permiserit*. Hæc autem dependentia efficit hoc in superiore, vt data cau-

sa, auferatur relictum á professo, cui datum fuit ad vsum, non ad abusum.

3 S.Benedictus in sua Regula cap.54. *Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud dare iubeat, & non contristetur Frater, cui forte directum fuerat, vt non detur occasio diabolo.* Ex quibus verbis plane apparet, proprietatem á quiri monasterio ibi: *Non præsumat suscipere illud* idest conuertere in suam vtilitatem, *nisi prius indicatum fuerit Abbati*, non solum quia est monasterio aquisitum, sed etiam, vt velit monacho vsum relicti concedere ad mentem parentis, quod facere debet Abbas ex quadam honestate, non solum ne Frater contristetur, sed etiam ne detur occasio diabolo incitandi parentes contra Abbatem, vt dixi cap.3. num.21.

4 Quod autem relictum religioso debeat in eius vtilitatem superior expendere insinuat Pius V. in Bulla Reformationis Minorum Conuentualium, incip. *Ad extirpandas* 61.§.5. *Pecuniæ vero, & quæcunque aliæ res, quæ cuique priuatim etiam intuitu personæ vndequaque donatæ, & relictæ fuerint superiori horarum viginti quatuor interuallo exhibeantur, qui illas statim deposito committat, & inde tantum exhibitori ministrari iubeat, quantum præsens rei conuenientis necessitas videbitur postulare.* Sed vsu acceptata non fuit, prosequentibus illis viuere vt ante, nolentes admittere depositum, sed retinere apud se cum dependentia a superiore. Quam reseruationem in vsum eius, cui fuit relictum approbauit etiam Pius IV. in sua confirmatoria statutorum eiusdem ordinis, Bulla incip. *Sedis Apostolicæ* 103. sub cap.6. Vers. Mobilium.

5 Ratio prædictorum est, quia mens testatoris, & legantis, seu donantis est, vt relicto vtatur professus pro sua vtilitate, & quidem dependenter á voluntate superioris, & non aliter, quod si faciat superior, prudenter se geret, cum talem licentiam dare possit, vt Regulæ Patrum manifeste docent, & subditum præseruabit á vitio proprietatis; quod si velit esse nimis iustus, & rigidus magis, quam prudens, & caritatiuus, sciat certo, se non esse illum prudentem dispensatorem, quem constituit Dominus super familiam suam, sit ergo liberalis erga filios suos, quia pater est, dispensator, non dominus, sic enim agendo, quod sine peccato facere potest, neminem contristabit, nec testatorem, nec legatarium, nec diabolo dabit occasionem excitandi contra se oblocutio

6 nem, vt dicit S.Benedictus loco præcitato. Sciat quoque datum ob causam, ea non secuta, obnoxium esse restitutioni, l.1. ff. de condict. causa data. Nec in hoc in contrarium adduci potest, quod causa non adimpletur, quia turpis est. Quia reuera est omnino iusta, cum finis dantis sit ad occurendum indigentijs professi, ea quoque intentione, vt superior de iure suo sit contentus, vt legatarius vtatur re sibi legata cum eius dependentia, vt si abutatur ab ea auferri possit. Et ita sentiunt infra citandi de proprietate aquisita monasterio, & de vtilitate concedenda legatario, seu heredi.

7 Secundam de aditione hereditatis adeundæ á Monasterio etiam contra voluntatem professi, ex communiori sententia docui cap.11. quæst.3. ideo non oportet ea hic repetere. Ista autem solemnitas aditionis non est neces-

8 saria in legatis, quæ ipso iure aquiruntur Monasterio, cuius superior inscio etiam legatario acceptare illa potest, vt docet *Paris in cap. In præsentia, de probat. num.206. sine, Guillelmus de Benedictis in cap. Ranucius il 2. V. Si absque liberis*

ris num.8.de testam.Sanch.lib.7.cap.12.num.38.de Lugo disput.3.num.94. Verum
9 quidem est, quod legata debentur ab adita hæreditate, *l.omnia 32.ff.de legat.2.*
10 Vnde dominium legati transit in legatarium recta via, sicut in herede adeun-
te hereditas, *l.Legatum 8.ff.de legat.2.* Si hereditas, quæ adiri poterat, repudia-
11 tur in fraudem legatorum habet locum edictum *l. 2. C. si omissa sit causa te-
stam.* Qui vero acceptat hereditatem repudiatam, tenetur soluere legata,
12 sicut ille, qui succedit in bonis obligatis *l. Si Titio 63.ff.de legat.2.* Legatum
autem professus propria auctoritate acceptare, nec recipere potest sine supe-
13 rioris licentia, vt docent omnes *cum Imola in cap.Dudum, de sepult. Addentes
ad Capellam Tolosanam decis. 226.* Dicta procedunt in legatis tum sine condi-
tione factis, tum cum conditione factis. Præmittendum autem est quid sit le-
gatum conditionatum, vel non conditionatum, pro intelligentia dicendorum
in sequentibus quæsitis.

14 Legatum absolutum est illud, quod caret conditione, legatum vero condi-
tionatum est illud, quod exprimitur conditione. Quæ est triplex de præteri-
to, præsenti, & futuro; priores duæ non suspendunt obligationem, sicut facit
15 tertia, vsque aduentum, & impletionem ipsius conditionis, *l. Cum ad præsens
37.ff.de reb.cred.l.In conditionibus 19.ff.de cond.& dem.l.Conditio 100.ff.de verb
obligat.Instit.de verb.obligat.§.Conditiones.* Hinc est, quod *l.Si quis 8.ff.Si qui
omissa causa testam.l.Cedere 213.ff.de verb.obligat.* Dicitur, quod conditio nihil
16 ponit in esse, quia legatum non est dandum legatario, nisi post impletam
conditionem, scilicet de futuro; nam de præsenti, vel futuro dicitur habere
suum effectum, de futuro vero solum spem dat reducendam ad actum per il-
lius euentum.

Inter conditiones autem aliæ dicuntur possibiles, aliæ impossibiles, aliæ turpes, aliæ honestæ, aliæ necessariæ, aliæ contingentes, sed quoniam intentio nostra, nec institutum præsens patitur, vt de omnibus dicamus, solum de impossibilibus, turpibus, & honestis dicam aliquid pro intelligentia dicendorum in sequentibus quæstionibus.

17 Conditio impossibilis, sicut & turpis, quæ & ipsa dicitur impossibilis, non
vitiat legatum, sed ipsa vitiatur, quia pro non scripta habetur, cum sit contra
leges, quas testatores in suis dispositionibus seruare debent, nemo enim face-
re potest, quo minus leges in suo testamento locum habeant, l.Testandi 13. C.
de testam. Reijciuntur ergo conditiones impossibiles, & turpes, quæ moraliter
sunt impossibiles, *l.Obtinuit 3.ff.de cond.& dem.l.Non dubitamus 20.eod.l.f.1.Si
quis ita 6.l.Quæ sub conditione 8.l.Conditiones 9.l.Conditiones 14.ff.de condit.in-
stitut.l. Seruo 58.ff.de condit.indeb. l.Ab administratione 8. C.de legatis.* Et ita
docent omnes *tum Eman.Acosta de selectis cond.lib.1.cap.8.num.9.Molina disp.
205.concl.2.Castropal.de iu,titra.t.32.d.f.1.p.7.de Lugo disp.22.n°342.* Abiectis
ergo his conditionibus legatum habetur pro absoluto, ac proinde ipso iure
sortitur suum effectum, cum non sit expectandus conditionis effectus, frustra
18 enim expectatur conditio, cuius euentus nihil operatur, *l.Aliquando 13.§.Si
sub ff.ad senat.Vellcian.l.Si quis 33.ff.de hered.instit.*

19 Turpes autem conditiones in hac materia sunt illæ, quæ sunt præiudiciales regulari obseruantiæ, cuiusmodi sunt auertentes ab ingressu religionis, vt lego tibi centum, si nupseris, quinquaginta vero, si ingrediens religionem. Lego tibi centum, si nupseris, nihil si ingredieris religionem. Lego centum cum con-

ditione, ne Monasterium se in illis intromittat. Volo vt legati habeas non solum emolumentum sed etiam proprietatem, aliter superiore contradicente, substituo &c.

Quæres 2. An valeat legatum sibi relictum à Nouitio, seu ab alio factum cum ea conditione, vt pertineat ad ipsum independenter à voluntate superioris, qui in eo nullatenus debeat se ingerere? Fieri autem potest non solum ab extraneo fauore professi, sed etiam ab ipso Nouitio aquirente illud post professionem. Ideo respectu vtriusque modi respondendum est.

20 Resp. Valet legatum similibus verbis conceptum, etiamsi testator expresse dixisset, volo, quod legatarius sit proprie dominus, & non tantum vsufructuarius, aliter intendo me nihil illi reliquisse. Idem dicendum de hereditate relicta professo.

Primum probatur ex benigna interpretatione mentis testatoris, quæ est, vt nihil facti pertineat ad Monasterium, cuiusmodi sunt emolumentum, vtilitas, & commoditas, seu vsus, aut vsusfructus rei, permittente superiore, qui non debet prohibere vsum legati professo legatario. Ad conuentum vero dominium, & proprietas, quod est quid iuris. Sensus ergo testatoris interpretatur vt legatum sit legatarij quo ad vsum dependenter à voluntate superioris, quatenus scilicet non debet priuare subditum illo emolumento, sed illud ei permittere, & sic non debet in eo se ingerere. i. ab eo auferre illud, vnde illi superiori non negatur a testatore intromissio in proprietatem, & dominium legati, quod spectat ad Monasterium quo ad hoc, non quo ad emolumentum, quod est legatarij vtentis eo dependenter à voluntate superioris.

Probatur hæc benigna testatoris voluntas, nam hæc, sicut & cuiuslibet alio modo disponenntis, omnibus modis seruanda est, & ita interpretanda, vt actus valeat, & sit conformis iuri, neque enim præsumendum est in dubio testatorem voluisse facere contra leges, quæ disponunt, vt illis sit locus in testamentis

21 *l. Testandi* 13. *C. de testam.* Et in dubio pro valore actus iudicandum est, verba

22 etiam impropriando, quando opus est, vt actus subsistat, & non pereat *l. Titia* 35. *§. Lucius ff. de legat.* 2. Ambigua enim in testamentis sunt interpretan-

23 da benigne, *l. Cum in testamento* 25. *ff. de rebus dubijs*. Verba testatoris in dubio intelligenda sunt, vt in constitutione testamenti non sit peccatum,

24 *l. Plautius* 9. *ff. de auro, & arg. legato*. Quod autem verba sint impropriandа ad sustinendum valorem testamenti omnes docent *cum Mantica de coniect. vltim. volunt. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 1. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 17. *num.* 4. *Pasqual. quæst.* 72. *n.* 5. Confirmatur, quia verba testatoris intelligenda sunt secundum conditionem

25 personę, cui fit legatum, *l. Plenum* 12. *§. Equitij ff. de vsu, & habiat. ex Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 78. *num.* 40. *Mantica lib.* 6. *tit.* 1. *initio Sanch. cit. num.* 5. Constat autem religiosum esse incapacem dominij, capacẽ vero vsus, & emolumenti, ergo superior non arcetur à proprietate, sed tantum ab emolumento, quod habere debet professus independenter a voluntate superioris. Ita Sanchez *lib.* 7. *cap.* 17. *num.* 4. referens viginti Doctores, *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 125. *art.* 2. *cum suo Compend. resol.* 88. *num.* 2. *Donatus par.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 43. *Laymam lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 20. *Peiriz. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 194. *Carena resol.* 199. *Buratus decis.* 584.

26 Alio quoque modo potest sustineri valorem testamenti, seu legati, dicendo, legatum esse absolutum, & non conditionatũ, ea ratione, quia ea conditio vt

turpis

turpis reijcitur,& pro non adiecta habetur. In testamentis igitur & legatis turpis conditio non vitiat id,cui adijcitur,sed vitiatur illa seipsum perimens,

27 *l.si quis 6.l.quæ sub* 8.*l.Conditiones 9.& 14.ff.de condit.instit.*Ratio est ex parte testatoris,quia præsumitur omnibus modis velle magis prodesse heredi, seu legatario,quam illi obesse carentia legati; ex parte vero legis reijcitur turpis conditio, quia illius est dirigere humanas actiones in actus bonos, non in turpes,ex quibus timeri potest aliquod malum. Ita omnes cum *Vasq; de Reddit.cap.3.dub.2.num.12.Castropal.disp.3.de Obligat.relig.p.6.num.3. de Lugo disp.22 de Iust.num.370. Ego cap.13.num.125.Tondutus lib.1.quæstion.benef.cap.96.num.35.Possent.singul.*Et hæc secunda via est expeditior, qua omissa Sanch.sequitur priorem cit.cap.17.num,4.

28 Secundum, quod valeat legatum factum sub illa expressione probatur, quia illa conditio, quod legatarius, seu heres sit proprietarius, sine dubio est turpis,& sic pro non adiecta habetur, iuxta superius dicta, & cum ex non eius obseruatione testator moueatur ad dicendum, & protestandum, vt nihil illi aquiratur,etiam hoc adiectum est turpe, dum oritur ex illo turpi proprietatis in religioso, abissus enim abissum inuocat, & ex vno absurdo non nisi aliud absurdum sequi potest,ideo & hoc consequens absurdum pro non adiecto habetur,ac proinde sequitur, quod dispositio illa sit omnino pura, & absoluta fauore Monasterij,& professi recipientis emolumentum dependenter à voluntate superioris. Ita Sanch.lib.7.cap.17.num.12.Contra Castropal.disp.3.p.6.num.1.dicentem, nullam esse dispositionem, si testator velit religiosum esse proprietarium illius legati,quia hæc non tam est conditio,quam substantia ipsius legati. Sed displicet hæc ratio vti plane falsa,nam substantia legati est res ipsa relicta legatario,quæ cum possit esse sine illa conditione,vt notum est, si adijciatur non potest transire in illius substantiam, dum illi iam constituto aduenit, aliud ergo est ab essentia ipsius legati illa adiecta proprietas, & sic cum sit mera conditio adueniens legato, perimitur vt turpis, & dispositio remanet pura,& libera sine illa.

Quæres 3. An legatum rumpatur,& fiat nullum si superior nolit, vt legatarius eo vtatur.

29 Resp. Non rumpi, quia ex dictis illæ conditiones vti turpes pro non adiectis habitæ nihil operari possunt ad destructionem hereditatis, vel legati, cum non sint in rerum natura. Confirmatur, quia superior iure merito arcet suum subditum a vitio proprietatis,ergo eius nolitio cum sit legitima non debet esse præiudicialis monasterio,sed prodesse.

Sanchez lib.7.cap.17.num.7.dicit,quod si superior non consentiat,vt commoditas ad religiosum non pertineat,continuo legatum erit nullũ,& pertinebit ad heredem,l.Vn.C.de caduc toll.& plures pro se citat. Non placet, quia certe conditio est turpis,concipitur enim ab eo his verbis. *Ne relictum ad Monasterium pertineat*, & sic pertineat solum ad legatarium, distinguendo etiam, ad legatarium pertinere vsum,ad conuentum proprietatem, a [illegible] usus est vitiosus,cum sit independenter à voluntate superioris, quem vsum concedere non potest,ergo pro non adiecto habetur, & sic remanet pura dispositio,non conditionata. Consequenter lex allegata non facit ad rem,dum in [illegible].Sin autem,dicit legata conditionata conditione non impleta caducari, quod in casu nostro locum non habet,cum legatum sit purum, licet factum

sub

sub conditione non licita, sed turpi, de qua non loquitur dicta lex, sed de licita, ne aduersetur alijs legibus supra citatis. Verum quidem est, quod superior prudenter se geret, si licentiam det subdito vtendi legato cum expressione reuocationis, & dependentiæ, vt consoletur ipsum religiosum, dummodo is paratus sit ita acceptare legatum sub his limitationibus aliter anima non consolabitur.

Itaque hic duo spectantur, primum negatio vsus independentis, in quantum legatarius vult possidere irreuocabiliter, & nomine proprio, & independenter, & in hoc sensu præualet legatum, & vitiatur conditio, quæ pro non adiecta habetur. Alterum, quod legatarius intendit gaudere legato more religiosorum reuocabiliter, & cum dependentia à superiore, & in hoc sensu si superior nolit aquiescere, corruit legatum ad fauorem heredum, quia conditio hæc cum sit honesta non vitiatur, sed vitiat legatum, si non adimpletur, & in hoc sensu intelligitur Sanchez præcitatus.

Quæres 4. An dicta locum habeant, si adijciatur pœna, vt hereditas vel legatum transeat ad alios, si conditiones non ad implentur, ac proinde valeat substitutio?

30 Resp. Hereditatem, & legatum caducari, quandocunque non adimpletur conditio licita, & honesta, & scilicet religiosus vtatur re dependenter, & reuocabiliter à superiore, si enim hoc negat subdito, quod illi licite concedere potest, & debet, caducatur legatum ad fauorem substituti, ex citata l. Vn. §. sin autem ff. C. de caducis tollend. dispositio enim spectatur ac si immediate, directa fuisset ad tertium. Ita Sanchez *lib. 7. cap. 17. num. 16. Castropal. disp. 3. p. 6. num. 4. Donatus par. 2. tract. 11. quæst. 44. num. 4. Ego cap. 13. numer. 125. Vers. Tertium* Si vero superior deneget vsum, quem subditus prætendit habere irreuocabiliter, & independenter ab eo, in hoc casu legatum subsistit, cum talis conditio vti turpis pro non adiecta habetur, sed censeatur purum, & absolutum, ac proinde cum ex non subsistente non subsistit substitutio, cum pendeat ab ea turpi conditione, quæ nullas habet uires. Et hac ratione concordantur duæ opiniones, de plus Sanchez cit. num. 15. & 16. Aliquibus sentientibus cum Sanchez legatum a nitti, & transire ad substitutum, superiore nolente consentire in illa conditione honesta, alijs vero negantibus transire ad substitutum, volentibus remanere apud monasterium, cum illa conditio tamquam turpis reijciatur à legato, & non consideretur ad fauorem substituti.

Dicta autem in præcedentibus locum habent non solum si disponens sit laicus, & secularis, sed etiam verificantur in nouitio deinde professuro in religione, quia in hoc non differt à laico, dum de suis bonis disponit, vt faciunt seculares. Sanchez lib. 7. cap. 17. numer. 25. Verum quidem est, quod huiusmodi dispositiones non debent permitti nouitijs, quia ostendunt, illos ignorare virtutem votorum paupertatis, & obedientiæ, & arguunt non esse animo paratos ad obediendum suis superioribus, cum erunt professi.

Quæres 5. An legatum relictum filiæ, si nupserit, debeatur, si fiat monialis? Idem quæritur, si relinquatur masculo, vel extraneis, cum idem sit casus in rei substantia.

31 Resp. Affirmatiue, est textus expressus in Auth. de sanctiss. Episcopis §. *Sed & hoc præsenti addimus sanctioni, si forte quis sub conditione nuptiarum, vel liberorum, siue dotis causa, siue antenuptialis donationis donauerit, siue reliquerit*

suis

suis liberis,siue alij cuicunque persone hereditatem,siue legatum,aut ab initio pure relinquens eis,oneret eos substitutione,aut restitutione, aut sub vna dictarum conditionum reliquerit, vel donauerit,substitutiones vero, vel restitutiones eis fecerit,adiectis conditionibus quibuscunque ex ijs;quæ superius enumeratæ sunt, sancimus,si personæ talibus conditionibus subiectæ siue masculi siue fæminæ monasteria ingrediantur,aut clerici,aut diaconiscæ , aut ascetriæ fiant,tales conditiones inualidas,& pro non scriptas. esse Ea ergo conditio inualida est, & pro non scripta habetur,consequenter non obstat ingredienti Monasterium,qui lucrabitur legatum , seu hereditatem pro suo Monasterio.Ratio est, quia cum sit conditio turpis ex eo,quod est impeditiua melioris boni,nimirum status religionis,qui est melior statu matrimoniali ,vitiatur ipsa,non vitiat dispositionem,cui adijcitur ex dictis hic sub num.16.Ita plerique apud Dianam *par.5.tract.14. resol. 35. Sanchez lib.1.disp 33.num.29 .Pontius lib.3.cap.7.num.11. quos citaui cap. 13.de profess.num.114. Rota par.4.tom.2. decis.398. numer.1. Ludouis.decis.301.* cui non placet adducta ratio de impedimento vitæ contemplatiue,reprobata etiam à Sanchez ibidem, & alijs, ab eo , & à Rota citatis , quia volunt eam insistere in præsumpta voluntate testatoris,qui si fuisset interrogatus,an legatum reliquisset ingredienti religionem, censetur,quod affirmatiue respondisset fauore religionis , & hæc ratio receptissima est apud iurisconsultos, inquit ibi Rota numer.6.nam hæc præsumpta testatoris voluntas cessat,cum probatur coniecturis, testatorem intellexisse de nuptijs carnalibus excludendo spirituales . Sed hoc multis displicet,& videtur id esse contra mentem textus,finis enim legislatoris fuit , vt homines alliceret ad eligendum statum religiosum,ac proinde præfatas conditiones vti impeditiuas talis ingressus tamquam turpes pro non scriptis voluit haberi ; vnde Baldus Nouellus de dotis priuil. 77. & alibi apud dictam Rotam n.3.dicit cum alijs in ea Authentica disponi contra voluntatem testatoris,& ita puto esse, alias eius dispositio raro verificaretur,quia recurrendo ad coniecturas fere semper concluderetur pro matrimonio carnali contra spirituale . Deinde legislator expresse,& simpliciter declarat inualidas dictas conditiones,& vult pro non scriptis habendas, quare ? Nisi quia impediunt religiosum ingressum, disponit ergo directe contra expressam testatoris voluntatem in hoc illum inhabilitando ad sic disponendum . Et quod ita sit,videtur etiam colligi ex illis verbis : *Hoc autem solatio & clerici, & diaconissę fruantur* magnum enim solatium est Deo seruire etiam cum emolumento legati,& quidem magis,quàm seruire sine illo , nam ecclesia temporalibus adiuta proficit in spiritualibus,cap.Fundamenta 17.§. Ne autem, de elect.

32 Et ex his deducitur , legatum factum incertis puellis maritandis , deberi eisdem religionem ingressis , quia vt dixi Authentica fuit inducta fauore religionis,& contra mentem testatoris,consequenter,cum illa coditio à lege omnino reijciatur sortitur suum effectum,contra omnes maritandas siue certas, siue incertas,vt bene probat *Poncius lib.3.cit.cap.7.num.9. contra Sanch.lib. 1. disp.33. num.32.* Et hoc videtur bene colligi ex tenore verborum textus , ibi ; *Siue reliquerit suis liberis,siue alij cuicunque personę* ponderando illa verba *Alij cuicunque* nam prima refertur ad signum particulare,secunda vero ad signum vniuersale,per illam intelligitur persona in particulari, & per hanc explicatur incertitudo personarum,quę sub vniuersali includuntur ex earum pluralitate,

vt

vt dixi cap. 13. de profeff. num. 114. Verf. Prædictis.

Probat Sanchez num. 32. legatum non effe dandum incertis puellis religionem ingredientibus destinatum pro incertis maritandis *primo* quia Authentica exorbitat à lege petente conditiones impleri in vera, & fpecifica forma, & non in ficta, l. Meuius, l. qui heredi, ff. de condit. & dem. quare ad perfonas incertas trahenda non eft, dum loquitur de certis. *Secundo*, difpar eft ratio, quia teftatoris voluntas adimpletur, fi certa puella ingreditur religionem, erga quam habuit particularẽ affectionem, quia præfumitur voluiffe eidem legare etiam in cafu ingreffus, non adimpletur vero fi detur alteri certæ ingredienti, neque incertis, quia erga illas non potuit habere fpecialem affectionem, vt ab illo incognitas, debet ergo eius voluntas impleri in forma fpecifica, vt fcilicet illis detur legatum quæ contrahunt matirmonium carnale, & non ingredientibus religionem *Tertio*, legauit teftator certæ virgini matrimonio collocandæ, fi tempore teftamenti iam effet nupta, poffet illi dari legatum, fecus effet, fi incertis matrimonio vinciendis legatum effet, multis allegatis, fimiles eft cafus præfens, ergo.

Argumenta hæc fupponant, præfatam conditionem vigere quod falfum eft, quia legislator manifeftæ eam reprobat, & vult effe inualidam, & pro non fcripta haberi, vt conftat, ergo argumenta nihil probant dum fuppofitum non fubfiftit, fuper quo fuperponuntur inutiliter. Quare *Ad primum* refpondetur, eam conditionem adhuc adimpleri in forma fpecifica, ficus adimpletur fi dirigeretur ad certam perfonam, quia mens teftatoris non præfumitur effe contra Authenticam, fed illi conformis, vt ea conditio non impediat ingreffum in religionem, ac proinde eius mentem effe, vt detur ingredientibus. *Ad fecundum*. quamuis habeatur fpecialis affectio refpectu perfonæ certæ, tamen id non tollit generalem affectionem, quam habet teftator ad incertas puellas, mouetur enim ex pio affectu fuccurrendi illis, ac proinde non magis eft affectus pro illis ad ftatum matrimonij, quam religionis, quam non nominauit, quia non occurrit memoriæ, ficut ftatus matrimonij, vnde cum non præfumatur exclufiffe ftatum religionis, quem nec potuit excludere contra Authenticam, dicitur eius voluntas feruata in forma fpecifica. *Ad tertium* affignatur difpar ratio, quia iam nupta adimpleuit, & reftrinxit ad fe executionem legati, quod non apparet refpectu incertarum, de quarum matrimonio non poteft conftare, nec de illis difponere teftator, dum loquitur de maritandis, non maritatis, his enim defignatis, fuperfunt aliæ maritandę, de quibus verificari commode, & adæquate poteft difpofitio legati, & ita dicendum eft in cafu noftro difpofitionem teftatoris dirigi poffe tam ad incertas, quam ad certas.

Dices, hęc conditio *fi maritabitur*, non eft turpis, vt docet Poncius lib. 3. cap. 7. num. 2. nam matrimonium ducere valde honeftum eft, cum à Deo fit inftitutum, vt humanum genus propagetur, & perpetuo conferuetur, ergo non eft reijcienda, fed admittenda, & fortiri debet fuum effectum.

33 Refp. Eam fpectari poffe duobus modis, primo abfolute, & fimpliciter, in quo fenfus certe turpis non eft ob rationem adductam, fecundo relatiue ad ftatum religiofum, in quantum illius eft impeditiuum, & hac ratione vti turpem legislator noluit habere fuum effectum contra religionis ftatum, ita quod fi legatarius dicat, volo fieri religiofus, non nubere, eius volun-

tás

tas impedienda non est negatione legati.

Quæres 6. An legatum sub hac forma scriptum: *Si filia mea nupserit, lego ei ducentum, si vero religionem fuerit ingressa,* & *in ea emiserit professionem, relinquo e idem centum, & non plus.* Aquiratur ingredienti, & profitenti in religione pinguius legatum?

34 Resp. Affirmatiue, & deducitur ex Auth. citata, quia ista dispositio magis retrahit à religione, quam præcedens, vt patet comparanti vtranque dispositionem, ergo pro non scripta habenda est. Confirmatur, quia ex cap. In præsentia, de probat. fauore religionis euanescat substitutio, & tamen agitur in eo de præiudicio tertij, ergo à fortiori debet euanescere hæc dispositio de minori legato, vbi nullum reperiri potest præiudicium. Ita omnes cum triginta sex doctoribus, quos pro se citat *Pasqualig. quæst. 245. num. 4. Sanchez lib. 1. disp. 34. nu. 12. Diana par. 1. tract. 2. resol. 124. & par. 3. tract. 6. resol. 29. §. Sexto. Lezana V. Legata num. 17. Ego cap. 13. de profess. num. 117. Mobedan. decis. 12. de consuet. & decis. 3. de testam.* dicens, quod pro absurdo habetur, quod minus relinquatur pro ingressu religionis, quam pro matrimonio carnali, teste Ludouis. decis. 301. numer. 9. Rota nihilominus *apud Farin. par. 2. decis.* 480. tenet oppositum, valere scilicet legatum pro nubente, & sic minus deberi ingredienti.

Quæres 7. An legatum relictum ingredienti religionem, sit debitum intranti masculo, seu fœminæ in ordinem Tertij Ordinis S. Francisci? Loquor, respectu ordinis in quo non profitentur tria vota solemnia, nam de hoc ordine prout regulari sub tribus votis solemnibus non est difficultas, cum sit presse religio, vnde ordo hic duplex est, secularis immediate institutus ore proprio à S. Francisco, & regularis deductus ex illo, cuius professores solemni professione deinde se erexerunt in statum religiosum, & sic de ordine seculari transierunt ad ordinem regularem, seruata identitate ordinis, cui addiderunt perfectiorem qualitatem, dum illum eleuauerunt in religionem, summis Pontificibus approbantibus, vt multis probaui in meo Cronologio Ordinis cap. 8. per totum.

36 Resp. Legatum debetur Tertiario vtriusque sexus viuenti collegialiter cum religiosis intra Monasterium licet non emittat professionem solemnem, immo debetur mulieri cum voto simplici viuenti vt sorori Tertiariæ in domo sua, vel propinquorum, quia gaudent priuilegijs aliorum proprie religiosorum, & eorum nomine veniunt, vt statuit aperte Leo X. in Bulla incip. Dum intra 20. §. 22. Ita *Franc. del Castillo dec. 88. Riccius par. 4. Collect. 4051. apud Barb. lib. 1. de iure ecclesi. cap. 43. num. 8. fine, Donatus par. 4. Rerum Regul. tract. 15. quæst. 7. & tract. 17. quæst. 3. num. 23. Gutier. de Gabelis quest. 98. Diana par. 1. tract. 2. resol. 84. Vers. Vnde ex his, & in Addit. secund. resol. 28. ubi citat Nouarium de elect. fori sect. 1. q. 67. num. 16. iterum Donatus ibid. tract. 17. q. fin. num. 23.* qui loquuntur de Tertiarijs fœminis in domo propinquorũ viuentibus sub voto castitatis quibus debetur legatum. De hac quæst. egi *cap. 13. de profess. q. 70. à num. 118. ad* 120. Tertiarijs vero secularibus in proprijs domibus viuentibus de proprio non debetur legatum, quia eorum status nullam habet figuram status religiosi.

Quæres 8. An legatum relictum cuidam si fiat clericus, illud aquirat, si fiat monachus?

37 Resp. sic ex dicta Auth. de sanctiss. Episcop. quia melior est status religionis, quam clericatus, hoc enim insigniti ascendunt ad statum illius, & non è contra, D.Thom.2.2.quæst.184.art.8. ergo cum illa conditio sit impeditiua ascensus ad meliorem statum reijcitur, & pro non scripta habetur. Ita ex *Portello par.2.Responsf.casu 2.docui cap.13.de profess.quæst.74.num.126.*

Quæres 9. An legatum relictum sub ea conditione, *si non ingredietur religionem; vel ingressus si reuertatur ad seculum*, debeatur à non adimplente eam, si possit?

38 Resp. Debetur, quia ea conditio habetur pro non scripta ex Authent. sæpius citatur, ac proinde censetur legatum purum, & simplex. Confirmatur, quia ea conditio est magis turpis, quam assignatæ in præcedentibus, nam directe retrahit à religione, quod malum est consilium volenti bene agere, ergo pro non adiecta habetur; im mo in iure reputatur impossibilis, l.Filius 15.ff. de condit. instit. *Nam, quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & vt generaliter dicam, bonos mores, ea nec facere, nec posse credendum est*. Ergo cum ea conditio sit impossibilis cum lædat pietatem bonæ voluntatis legatarij, vti turpis nullius est momenti. Ita Sanchez *lib.1. disp.34. num.11. Poncius lib.3. cap.7. num.13.* Non vult tamen eam conditionem esse turpem, neque reijci vt talem, sed legem velle, illam in illo casu non obstare religioni; probat autem num.21, eam conditionem, *si religionem non ingredietur*, non esse turpem, cum enim in religionem ingredi sit opus consilij, & non præcepti, conditio contra opus consilij non est turpis, nec enim non ingredi malum est; alias si ex se ea condicio turpis est, cum iure naturæ turpis sit, & non aliquo iure positiuo, nec in maioratibus opponi posset. Potest ergo esse aliquis finis honestus cuius intuitu quis excludat alium à participatione alicuius commodi si religionem ingrediatur, ideo Molina disp.207. num.14. iudicat hanc conditionem non esse turpem.

39 Sed contra, quia legislator non remouet eas conditiones vti veras, & subsistentes à dispositione testatoris fauore religionis, vt tales essent, si honestatem in se continerent, sed vult esse inualidas, & pro non scriptis habendas, quia turpes sunt, quia præiudiciales religioni. Ad eius rationem dico, ingredi religionem esse quidem opus consilij, & non peccare non ingredientem etiam exhortatum, tamen qui dissuadet ingressum, seu aliquo medio retrahit, aut impedit, ne quis ingrediatur, certe peccat, quia malum consilium dat in præiudicium habentis animum paratum ad ingressum. Confirmatur id ex Tridentino sess.25. cap.18. vbi excommunicantur retrahentes fœminas à reli-
40 gione sine iusta causa, quod arguit, talem retractionem esse peccatum mortale, propter quod solum incurritur excommunicatio; sed huiusmodi conditiones sine dubio retrahunt à religione, ergo non possunt esse nisi turpes.

Quæres 10. An Monasterium adire possit sequens legatum? Et an superior possit compellere legatarium religiosum ad illud petendum? Vericellus tract. 3. q.36. sit illud format. Consanguineus sic facit legatum, vt heres teneatur necessitatibus legatarij succurrere, prout ab ipso fuerit requisitus, dummodo quantitas petita singulis annis non excedat ducatos octoginta, & eo anno, quo à dicto religioso non fuerit requisitus ad nihil teneatur. Is casus videtur similis alteri, quem proposui initio Resol.60. his verbis: Cum pacto;

quod

quod suprascripti mei consanguinei singulis annis, obligati sint, & teneantur exbursare, & soluere mihi durante vita mea scutos viginti quatuor, si mihi videbitur petere, & exigere illos dictos scutos, aliter si non exigam, remaneant, & cedant in bonis ipsorum meorum consanguineorum, & eorum successorum supranominatorum. Vt vides, non differunt in substantia rei, sed sunt vnum, & idem in re, ideo responsio erit communis vtrique.

41 Resp. Monasterium potest petere dictum legatum, immo & cogere professum ad illius exactionem singulis annis. Probatur hac vnica ratione. Ex dictis hactenus patet, Monasterium posse petere quæcumque legata facta professis, cum ipso iure fiat dominus, & proprietarius conuentus, siue legatum sit absolutum, siue conditionatum purificata conditione à lege non reprobata; sed in casu nostro dicta conditio *Si requisitus. Si mihi videtur petere*, non est honesta, sed turpis à lege reprobata ex Authent. de sanct. episcop. ex dictis superius; ergo cum pro non adiecta habeatur, remanet legatum purum, & absolutum, ac proinde nihil prohibet, quin peti possit à superiore, non obstante professi reclamatione, & resistentia, cum debeat suam voluntatem subijcere superiori ex promissa obedientia. *Minor*, in qua tota

42 difficultas consistit, probatur, quia ea conditio aduersatur votis obedientiæ, & paupertatis, indicat enim illos actus requirendi, & petendi legatum esse independenter à voluntate superioris, dum ex hac negatiua petendi legatum, vult illud non esse Monasterij, neque suum, quoad proprietatem illius, & emolumentum pro se, sed esse consanguineorum, quod sine dubio actum proprietatis cum sit quædam actualis dispositio de re contra voluntatem superioris, ergo conditio hæc est turpis, ac proinde pro nulla habetur. *Confirmatur* quia illa conditio arguit actum remissionis legati, quod est dare, secundum Bartol. in l. Peculium 4. de peculio, vbi dicit, quod remittere est dare, isti autem actus sunt proprietarij, maxime in casu nostro, in quo locum non habere voluntatem superioris vult dispositio legati, ergo ea est turpis.

43 Deinde *si mihi videbitur petere*, hęc conditio importat liberum arbitrium ab alio independenter, & quidem boni viri, in quantum scilicet bene, & iuste arbitrari debet Menoch. *lib. 1. de arbitr. quæst. 8. numer. 2. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell §. 7. proœm. à numer.* 112. sed religiosus bonus vir non est, quando vult operari independenter à voluntate superioris. Ita docui dicta Resol. 60.

Dictus Vericellus, quem secutus sum cap. 13. de profess. quæst. 80. nu. 139. multum laborat a num. 6. vsque ad decimum, probando dictum legatum esse conditionale, quod vltro admitto, ac proinde subdit, illud esse omnino adimplendum in forma specifica, multis adductis argumentis ad id probandum, cuius dicta non reprobo, sed tantum dico, illum supponere eam conditionem subsistere, ac proinde esse in forma specifica adimplendam; sed quoniam meo responso non aduersantur, dum probaui, eam conditionem vti turpem non subsistere, neque haberi pro scripta, ideo non est opus respondere eius argumentis, & sic recanto, quod dixi ea q. 80. Citat pro se Cardin. de Lugo disp. 3. de iust. num. 107. sed pro nobis est, vt patet ex illis verbis. *Quoties ego cum licentia Prælati ab eo certam summam petiero.*

Dices, cum legatum conditionale nihil ponat in esse, sed suspendat obligationem vsque ad impletionem conditionis superior nullum ius habet petendi illud, cum nondum sit inducta obligatio soluendi illud ex parte legantis, qui

Gg 2 ad

ad requisitionem legatarij incipit se obligare, ergo superior nec petere potest illud, nec compellere professum ad requirendum.

44 Contra est primo, quia argumentum supponit existentiam conditionis adimplendæ, quod iam negauimus. *Secundo*, data etiam subsistentia conditionis, dico illam conditionem esse resolutiuam, quia testator se obligauit ab initio dispositionis, cum ab ea recedere non possit, vnde conditio est resolutiua quo ad obligationem, suspensiua vero quo ad executionem, ac proinde superior ius habet ex subsistentia obligationis legatæ petendi executionem legati, nomine professi, cuius personam repræsentat monasterium, cum professione illud ius petendi transtulerit in monasterium.

Quæres 11. An omnes religiosi cuiuscunque ordinis sint capaces hereditatis, & legatorum?

45 Resp. Affirmatiue, exceptis Minoribus de Obseruantia, & capucinis, vt dixi cap. 5. numer. 7. & cap. 10. numer. 25. Aquirunt ergo hereditates, & legata suis monasterijs, quia hoc ius secum transtulerunt in religionem.

46 Minores vero de obseruantia & eorum Reformati, & multo minus Capucini possunt recipere legata perpertua per se, vel per suos syndicos rerum immobilium retinendo illa, sed debent per syndicos vendere, & pecuniam applicare suis necessitatibus, vel fabricare, emere libros pro studijs. Sunt vero capaces legatorum rerum mobilium vnica perceptione finientium, & non annuorum, recipiendorum per manus suorum syndicorum. Ita colligitur ex cap. Exijt 3. de verb. sign. §. Ad hæc quia. Pro cuius ampliori expositione pono sequellas subiectas.

47 Sequitur primo, legatum illis factum cum expressa conditione, vt res legata perpetuo maneat apud ipsos, esse contra Regulam eorum, quæ vult ordinem esse incapacem stabilium etiam in communi, vt docent fere omnes cum *Castropal. disp. 3. p. 9. num. 3. Sanch. lib. 7. cap. 26. num.* 28. ait legatum quidem valere, sed Fratres debere æstimationem procurare per suos syndicos vendendo proprietatem. Eorum tamen constitutiones de anno 1625. registratæ, & confirmatæ ab Vrbano VIII. sub eius Bulla incip. *Sacrosanctum* 49. & alia ibidem incip. *Iniuncti nobis* §. *Et quoniam*, statuunt, quod superiores *protestari debeant coram ijs, ad quos spectat, se nolle amplius legata perpetua ipsis à testatoribus relicta exigere, & de facto amplius non exigant, immo ea, quantum in ipsis est, eo modo, quo possunt, resignent, & respuant*. Et super annuis redditibus, & legatis non habendis per ipsos etiam cum onere missarum, ibidem subijcitur decretum Sacræ Congregationis, non prohibentur tamen titulo elemosinæ recipere, non iure legati, quia nolunt habere aliquod ius super dicta legata.

48 Sequitur secundo, legatum illis factum de domo viridario, seu vinea monasterio contiguis, quæ possunt vniri clausuræ in vsum Fratrum, posse perpetuo retineri, vt dicitur in cap. Exijt hæc enim sunt necessaria ad habitationem, nec dedecent eorum mendicitati. Sanchez lib. 7. cap. 26. num. 19. ad 23.

49 Sequitur tertio legatum factum ecclesiæ, seu sacristiæ, aut lampadi de paramentis, cera, oleo &c. immo ipsis Fratribus, seu monasterio pro manutentione ecclesiæ, & sacristiæ, esse illis soluendum, quia cedit in cultum Dei, & vtilitatem ecclesiæ, quod a Regula non prohibetur. Ita *Mellinus cap.* 12.

consit.

constit. statuto 5. quæst. 5. fol. 887. citando Rodriq. tom. 2. quæst. 126. art. 5. Villalobos par. 2. diff. 33. nu. 7, cum multis alijs Barbosa in Clem. Exiui nu. 19. Castrop. disp. 3. p. 9. num. 15. cum alijs Rota par. 5. tom. 1. decis. 365. nu. 17. & 29.

50 Sequitur quarto, licere illis recipere legata panis, vini, olei, pecuniæ, &c. hæc enim mobilia sunt eis in dies necessaria. Ita omnes cum *Castrop. num. 8. Rota cit. num. 9.* Quæ scilicet sint moderata. Sed nostris temporibus non est necessarium considerare hanc limitationem, quia rara sunt legata, & ea quidem exigua.

Sequitur 5. illos non posse recipere legata perpetua habentia adnexa missarum onera, quia in his adest annua solutio pro elemosina missarum, quod repugnat eorum paupertati, & illis prohibentur annui redditus, & census, cum inter immobilia computentur, Clem. Exiui, de verb. signif. Ita Sanc. ex *lib. 7. cap. 26. num. 44. Rota par. 5. tom. 1. decis. 365. num. 15. vbi* referuntur quamplures Doctores, *Castropal. disp. 3 p. 9. num. 16.* Et id expresse prohibetur in dictis eorum constitutionibus Vers. Cum annuos redditus. Multi tamen tenent oppositum relati à Sanchez numer. 43. quia id non est tollere eorum mendicitatem, sed eam subleuare, cum Glos. V. Cumque annui in dicta Clementina.

51 Sequitur 6. illos posse recipere legata ad breue tempus, nempe infra decennium, dum solum prohibentur habere legata perpetua. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 26. num. 46. Rota cit. num. 22. cum seq.*

52 Sequitur 7. legata annua perpetua valent pro studijs, pro valetudinario, pro ecclesia, pro fabrica, pro alijs indigentijs, quæ immediate non diriguntur ad victum, & vestitum eorum, quia hæc non tollunt eorum mendicitatem, sed eis tamen prosunt quo ad beneficium communitatis ordinata in ad conditioné animæ. Ita *Menoch. cons. 1013. num. 38.* de studio, *Barb. in Clem. num. 21. Castropal. num. 18. Rota cit. decis. 365. num. 45.* contra Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 19. num. 30.* quia hoc legatum est in vtilitatem religionis, & immediate cedit in commodum religiosorum. Sed hæc ratio non probat intentum, quia legatum pro studio non sustentat corpus, cuius mendicitas refertur ad victum, & vestitum, sed animam nutrit, & perficit. Legatum pro infirmis etiam perpetuum recipitur, quia iti magis indigent, quam sani, accedentem præterea seruitute medico, & medicinis, quæ mendicitatem non tollunt, sed tantum subleuant infirmos. Ita *Ann. inias cons. 30. Rodriq. tom. 2. quæst. 126. art. 4. fine*, contra Sanchez *lib. 7. cap. 26. num. 47. & Castrop. il. num. 19.* quia id cedit in sustentationem religiosorum, quod cedit in eorum vitæ conseruationem. Sed hæc ratio non vrget, omnis enim elemosina cedit in sustentationem religiosorum, ergo nulla esset recipienda ex hoc capite, sufficit ergo, quod non tollat mendicitatem, licet ex parte illam subleuet. Deinde legata huiusmodi non sunt communia omnibus Fratribus, sed tantum reseruantur pro infirmis, medicis, & medicinis, ergo non ordinantur ad victum ordinarium, & vestitum religiosorum.

53 Sequitur 8. quamuis isti religiosi sint incapaces legatorum perpetuos, & singulis annis soluendorum, tamen quia solum prohibentur ea retinere, & non vendere, dum possunt ea vendere, vt dixi hic sub num. 47. infertur legatum Minoribus factum adhuc valere, quia aliter eius estimationem conuertere non possent in subleuandis suis necessitatibus. Ipsi autem nullum ius habent

habent

bent illud exigendi, sed tantum rogare possunt. Ita *Bartol.lib.2.Minoric.dist.4. cap.3. Sanch.liq.7. cap.26.num.29.Castropal.disp.3.p.9.num.5.*

Queres 12. An legatum relictum inter pauperes distribuendum per superiorem regularem, vel aliquem specialem Monachum possit se connumerare inter pauperes? Vel illud totum applicare Monasterio?

54 Resp. Monasterium si sit Mendicantium posse connumerare se inter pauperes, sicut & ipse monachus; non vero potest illud totum retinere sibi, aut tradere Monasterio, & si testator proprium reliquit legatum, non potest facere partem cum alijs pauperibus.

1 Prima pars, quod faciat partem cum cæteris pauperibus, probatur, quia
55 religiosi, & monasterium veniunt sub nomine pauperis, ex grasso par.1. decis.lib.2.cap.10.num.7. & tom.1. consil.2.de furtis, vbi legatum factum pauperibus potest dari ecclesiæ, ergo & religiosis, qui paupertatem profitentur. Ita *Ioan.Andr.in cap.1. In nouella. de testam.lib.6. Imola l.in l.Captatorie fine ff.de legat.1.Pasqual.q.228.* Inter pauperes autem continetur ille, qui
56 licet non sit mendicans, tamen secundum statum natalium suorum aliqua eget sustentatione. *Palat. in repet. Rubr.de donat §.11.num.11.Tiraquel.de pia causa in præfat. num.10. & de nobilit. cap.10. num.136. Surd. de alim.tit.7. q.9. num.27.apud Barbosum in l. Si. quis 37. de Episc.& cler.* Dixi, si sit Mendicantium, quia monasteria Monachorum, vel Canonicorum non veniunt nomine pauperum, quia non mendicant pro suis monachis, & Canonicis.

57 Secundum, quod totum monasterio tradi non possit patet, huiusmodi applicatio totius non esset distributio, quæ dicit relationem ad plures pauperes capaces legati distribuendi, aliter non seruaretur mens testatoris. Pasqual. citatus.

58 Tertia pars, distributor, quando habet sibi designatum proprium legatum a testatore, non potest cum pauperibus facere partem, probatur, quia mens testatoris præsumitur velle, vt taciteter per suum legatum, inclusio enim vnius, est exclusio alterius. *Pasqual.quæst.229.* contra Anchar. *cons.84.Manticam lib.8.de coniect.vltim.vol.tit.5.num.19.fine.* Addit, quod si legatum sit pro fabrica, in eo casu posse participare cum alio legato pro pauperibus, ex diuersitate motiuorum.

CAPVT XIX.

An religiosi possint contrahere, & negotiari absque vitio proprietatis?

1 *Contractus est actus vtrinque obligans ad aliquid agendum, vel non agendum.*
2 *Obligatio alia naturalis, alia ciuilis, quid vtraque.*
3 *Quomodo discernantur in contractibus.*
4 *Contrahere licite, nec valide possunt sine licentia superioris.*
5 *Nulli sunt contractus initi à professis sine licentia.*
6 *Solemnitas voti paupertatis inhabilitas ad contrahendum.*
7 *Agens contra legem prohibentem nihil operatur.*
8 *Contractus fauore monasterij valent.*
9 *Non obligatur naturaliter.*
10 *Seruus differt à religioso in actibus voluntatis.*
11 *Vota, & contractus differunt.*
12 *Vota subintelliguntur facta sub conditione, si* placuerit superiori *non vero contractus.*
13 *Licentiam dat superior subditis contrahendi.*
14 *Cum Capituli consensu circa res communitatis.*
15 *Non potest superior contrahere sine consensu Capituli.*
16 *Irritare non potest contractum, in quem semel consensit.*
17 *Religiosi eiusdem ordinis contrahunt inter se ex præsumpta licentia.*
18 *An licitus sit contractus de Vestiario?*
19 *Obligatio etiam ciuilis dari potest inter superiorem, & subditum.*
20 *Obligatio naturalis alium non habet iudicem, nisi conscientiam, ciuilis præterea iudicem cogentem.*
21 *Mutuum pecuniarum non datur in professis sine licentia.*
22 *Nec accommodatio.*
23 *Pecunias ad cambium recipere non potest.*
24 *Ita declarauit S. Congr.*
25 *Monasterium non tenetur de mutuo, cui non præstit consensum.*
26 *Fideiubere non possunt sine consensu Capituli.*
27 *Emere, vendere, & commutare potest.*
28 Dare & accipere *i. uendere, & emere.*
29 *Conductionis contractus non licet.*
30 *Negotiatio prohibetur religiosis per seipsos.*
31 *Non autem per alios.*
32 *Depositum rei exhibitæ apud proprium dominum licet.*
33 *Depositum recipitur de licentia saltem præsumpta.*
34 *Si pereat, monasterium non tenetur ad restitutionem.*
35 *Ad damnum illatum ex delicto, uel contractu conuentus non tenetur.*
36 *Professus tenetur ex suo speciali.*

37 Non

37 *Non monasterium, nisi de bonis professi, qui contraxerat ante professionem.*
38 *Ludi finis honestus recreatio animi, turpis lucrum.*
39 *Dare licentiam ludendi vsque ad quinque aureos singulis annis.*
40 *Ludus non est quid malum de se.*
41 *Ludere potest etiam cum extraneis, nisi licentia sit limitata.*
42 *Summa est quinque aureorum in singulis annis.*
43 *Licentia expresse non debet dari ad ludos prohibitos.*
44 *Data liberat à vitio proprietatis.*
45 *Ludi prohibiti nituntur casu, & fortuna.*
46 *Religiosi in materia decentiæ status in odiosis veniunt sub nomine Clerici.*
47 *Ludens cum religioso habente licentiam non tenetur restituere.*
48 *Esto licentia sit illicita.*

1 CONtractus est actus interueniens inter plures, qui mutuo consensu se obligant ad aliquid, ex l. Labeo 19. ff. de verb. signif. vbi contractus dicitur vltro, citroque obligatio. Substantia ergo, & formalis ratio dans esse contractui est mutuus illorum consensus, aliter nec est, nec meretur nomen contractus. Ita autem appellatur ex etimologia, quia duo se mutuo verbis trahunt obligationem, vt dixit Alciatus in dicta lege. Vel contractus. i. communis actus.

2 Notandum autem est, quod in contractibus possunt considerari duæ obligationes, vna appellatur naturalis, altera ciuilis. Est autem obligatio naturalis, quæ oritur ex mutuo consensu radicato in iure naturali, quod standum est promissis. Ciuilis vero est illa, quæ regulariter sequitur naturalem, ad cuius executionem datur actio in foro externo, non autem ad naturalem, quæ in solo conscientiæ foro constringit contrahentes, & non in ciuili, quia eius promissio non est vestita, & redacta in stipulationem per confectionem instrumenti, aut per probationem testium. Ita omnes distinguunt cum *Angelo V. Obligatio num. 2. Sanchez lib. 7. cap. 31. num. 35. & lib. 1. disp. 7. num. 14.*

3 Ad cognoscendum, quando ex contractu oriatur obligatio vna, & non alia, vel vtraq; dantur sequenter Regulæ. *Prima*, quando lex humana contractum reprobat, & ipsum prohibet resistendo ei vti nullo, & irrito, nulla ex eo oritur obligatio, quæ supponit illius valorem, si ergo non valet, nec ex eo oriri potest aliqua obligatio, quia ex nihilo aliquid non fit. *Secunda*, quando vero lex minime resistit contractui, nec illum reprobat, sed tantum negat illi actionem in foro externo, tunc tantum remanet cum sola obligatione naturali, sine ciuili. *Tertia* demum quando lex contractui non resistit sed illi assistit, tunc vtroque modo obligat. De hac rè late Sanchez lib. 1. disp. 7. à nu. 16. Sed conuersamus calamum ad quæstiones.

Quæres igitur primo, an religiosi possint contrahere propria auctoritate, & valide?

4 Resp. Non possunt contrahere nec licite, nec valide pro seipsis, vtique pro Monasterio, nisi accedat licentia sui superioris.

Prima pars, quod non possint licite contrahere, probatur; quia id prohibetur in Regulis sanctorum Patrum, vt videri potest hic sub cap. 3. Et iure Canonico prohibitum est negotiari religiosis, quod contingit per celebrationem contractuum, cap. 1. & 6. Ne cler. vel mon.

5 Se-

5 Secunda pars, quod inualide contrahant, probatur, quia ad valorem contractus requiritur consensus, quo caret religiosus, qui non habet velle, neque nolle, maxime in negotijs secularibus, ex dictis cap. 6. num. 22. ad 26. & 32.

6 Confirmatur, quia non minoris efficaciæ est solemnitas voti paupertatis, quam castitatis, sed huius solemnitas inhabilitat contractum matrimonij, ergo illius inhabilitat contractus per ipsos atentatos. Deinde testamentum per religiosos factum est nullum ex dictis cap. 8. q. 17. ergo & quæuis alia dispositio, & contractus, hæc enim omnia inficiuntur ex eadem radice solemnitatis voti, quæ voluntatem religiosi reddit inefficacem ad agendum. Facit ad hoc lex Non dubium C. de legib. ibi: *Nullum pactum, nullam conuentionem,*

7 *nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Vide ibidem Doctores citatos a Barb. num. 10. Constat autem ex dictis Regulas Patrum prohibere suis religiosis omnem negotiationem, & contractum, & confirmari idā sacris canonibus locis citatis, & alibi, ergo attentati contra tot prohibitiones sunt ipso iure inualidi. Ita docent omnes, infra citandi, docentes, religiosum contrahentem non obligari naturaliter, & in foro conscientiæ, nec ciuiliter, ea quidem ratione, quia cum nulli sint nullam pariunt obligationem.

8 Tertia pars, quod valeant contractus ab eis facti ad vtilitatem Monasterij, & non pro seipsis, probatur, quia semper aquirunt Monasterio, ex dictis cap. 11. num. 3. Confirmatur, quia in his præsumitur adesse licentia superioris, qui ex officio debet bene, & prudenter tractare negotia sui conuentus. Et in hoc omnes conueniunt.

Quæres 2. An religiosus faciens contractum cum quauis persona obligetur naturaliter, & ciuiliter?

9 Resp. Nullo modo obligari, nisi superior attentum contractum cum ratificatione eius approbet, & inde tunc incipit obligare. Probatur, quia quod non est, nec subsistit, obligationem parere non potest, cum non entis nulli sint effectus, & vulgatis iuribus, sed ex probatis in præcedenti quæstione contractus per professos initi sunt inualidi ergo nullam parere possunt obligationem. Ita *Host. in Summa tit. de fideiuss. num. 3. Vers. Item excipitur monachus, Abbas in cap. Ex rescripto de iureiur. num. 1. ibi Alex. de Neuo num. 6. Felin. num. 1. Zasius, Fortunius, Cagnolus, Caballus, Cuccus apud Sanch. lib. 7. cap. 31. num. 36. Lessius Reginaldus, Cenedus, Filliucius, Portellus, apud Peyrinum de Pralato quæst. 3. cap. 5. num. 4.*

Contraria opinio tenet obligari naturaliter, & in forro cōscientiæ, & hi sunt *Sanchez cit. num. 37. Peyrinus num. 6. de Lugo disp. 3. de Iust. num. 222. cum alijs ab illis citatis.* Probant *primo*, quia seruus naturaliter obligatur ex contractu naturaliter inito sine licentia domini, l. Naturaliter 13. l. si id 64. ff. de condict. indeb. *Secundo*, quia nulla differentia est inter vota, & contractus; sed religiosi tenentur naturaliter votis à se emissis, ergo & contractibus. *Tertio*, quia contractus ab initio initi à religiosis propria auctoritate validi sunt, licet infirmari possint, & irritari à superiore, ergo religiosi tenentur stare ipsis contractibus, cum ex eorum valore sequatur obligatio in eo, qui contraxit, donec superior aliud non disponat. *Quarto* confirmatur paritas inter vota, & contractus, quia in vtrisque subintelligitur conditio, *si superiori placuerit; si præbabit consensum*, ergo cum ab initio subsistant inducunt obligationem inter

Hh con-

contrahentes, ita quod neuter resilire potest à promissione.

10 Primo respondetur, latam esse disparitatem inter seruum, & professum, nam ille habet suum velle, & nolle non inhabilitatum ad contrahendum, licet subiectum suo domino, is vero transtulit professione efficaciam suæ voluntatis sub potestatem sui superioris inhabilitatæ per solemnitatem professionis, vt supra dixi.

11 Secundo, lata est differentia inter vota, & contractus nam religiosus in votis non inhabilitatur, cum non sint contra votum paupertatis, sicut contractus. Deinde vota non prohibentur fieri, cum fiat in cultum, & honorem Dei, vtique interdicuntur contractus, qui non cedunt in cultum, qui non sunt quid bonum morale, sed fortunæ. Præterea vota habent pro fine quid spirituale, contractus quid temporale, cuius dispositio prohibetur per votum paupertatis, non enim decet, religiosum immiscere se negotijs secularibus. Demum votum etiam de licentia superioris emissum irritari ab eodem potest, sed non contractus, quia iam fieret iniustitia alteri contrahenti.

Tertio, negatur, contractus ab initio valere initos à professis sine licentia, vt patet supra, quia inhabiles sunt, vnde nullum valorem illis tribuere possunt.

12 Quarto demum respondetur, talis conditio sub intelligitur in votis, ex communi Doctorum apud Bonac.quæst.2.de Voto p.7.§.2.num.26. Res vero non ita se habet in contractibus, dum enim ius illis resistit, non est præsumendum sub intelligi voluntatem superioris tacitam, maxime quando sunt præiudiciales monasterio, & fiunt in vtilitatem ipsius professi, quibus superior non intendit præstare consensum, nec approbationem, nisi expresse id faciat.

Quæres 3. An superior possit dare licentiam suis subditis contrahendi?

13 Resp. Affirmatiue, excepta causa alienationis bonorum stabilium, & mobilium pretiosorum ad formam Extrau.de reb. eccles. non alien. Probatur, quia est administrator bonorum monasterij, & ordinarius, ergo eam licentiam dare potest; vnde ad hunc finem de consensu familiæ constituit officiales, qui contractus ineant iuxta occasiones negotiorum occurentes. Et in hoc omnes conueniunt, nullo discrepante. Posita ergo superioris licentia initi contractus valent, & firmi sunt irreuocabiles, parte contradicente, quia fundantur in iustitia, ex quo sequitur, quod tunc religiosus obligatur naturaliter, & ciuiliter stare promissis. Ita omnes cum Abb.*in cap.Ex rescipto, de iureiur.num.*1.*Baldus ibidem in fine, de Neuo num.*5.*Felin. num.*1. *cum alijs Sanch.lib.*7.*cap.*31.*num* 40.*de Lugo disp.*3.*num.*218.

Quæres 4. An superior se solo possit dare hanc licentiam?

14 Resp. Debet vti consensu sui capituli, quia cum tractet de rebus communitatis, quæ ad omnes pertinent, sine consensu communitatis nihil disponere potest, *ex tit.de ys, quæ fiunt a prælat.Peyrin.de Tractato q.*3.*cap.*5.*num.*14.

Quæres 5. An per seipsum contrahere possit sine consensu capituli?

15 Resp. Negatiue, quia quæ omnes tangunt, ab omnibus approbari debent, & non ab vno tantum expediri. Ita *Sum.V. Religio* 8.*quæst.*3.*Angelus V. Monasterium initio Sanchez lib.*7.*cap.*31.*numer.* 10.*cum alys Pasqual. quæst.* 34. *numer.*6.

Quæ-

Quæres 6. An superior post datum consensum possit irritare, & annullare contractum?

16 Resp. Negatiue, quia fieret iniustitia alteri contrahenti, qui ex contractu iam perfecto quæsiuit ius in illo, & nullam habet potestatem contra extraneum, ideo id nullo pacto facere potest. Ita *Sanch. lib. 9. disp. 40. n. 14. & lib. 7. cap. 31. num. 41.* Ita quod nec Generalis reuocare, nec irritare potest contractum rite confirmatum à Prouinciali, aut locali, cum sit ius perfecte quęsitum parti, à quo non licet sine iniuria resilire.

Quæres 7. An religiosi eiusdem ordinis inter se contrahere possint sine licentia superioris V. g. emendo, vendendo, permutando libros, vestes, & similes res?

17 Resp. Necessaria est licentia saltem tacita, quæ præsumitur in religionibus, in quibus est talis vsus, vt fiant hi contractus, superiore scientie, & non contradicente, ea autem licentia excusat à vitio proprietatis. Et in hoc casu non est necessarius consensus capituli, quia res in contractum deducta non est communitatis nisi in radice, cum in vsu sit concessa particulari.

Quæres 8. An superior cum subditis possit inire contractum dandi illis singulis annis loco vestium tot pecunias, quod vocatur Vestiarium?

18 Resp. Affirmatiue, & ita practicatur in omnibus fere religionibus, id enim non repugnat voto paupertatis, nec Regulis, aut sacris Canonibus, cum religiosus dicatur possidere de licentia superioris. Ita *Ioannes Andr. in Reg. 58. in 6.* vbi probat, valere tale statutum, & esse licitum, *Panorm. in cap. Nisi essent, de præbend. in fine* Etiam post Tridentinum, multis probat *Nauar. com. 3. à num. 29. præsertim 31. & seq. sequitur Tambur. tom. 2. disp. 22. quæst. 16. Diana resol. 32. de Paupert. Peyrin. de Subd. quæst. 2. cap. 2. §. 1. initio. Rodriq. in sum. part. 2. cap. 33. num. 2. Sanchez lib. 7. cap. 22. num. 14. Ego cap. 24. de profess. quæst. 29.* Qui extendunt hunc vsum etiam ad victum, sed non placet, quia tolleretur omnino communitas, vnde vsus iste est tantum circa Vestiarium, nam experientia compertum est, esse id quo ad victum nimis dispendiosum, quam vita communis:

Quæres 9. An oriatur obligatio non solum naturalis, sed etiam ciuilis inter superiorem, & subditum, itaut teneatur vterque stare promissis? Dixi etiam cap, 8. q. 28.

19 Resp. oritur, probatur, quia ibi datur obligatio, vbi coactio locum habere potest; sed maior superior ad instantiam subditi creditoris potest cogere minorem superiorem ad standum promissis, ergo potest obligari etiam ciui-

20 liter. Confirmatur ex differentia vtriusque obligationis quo ad executionem, nam obligatio naturalis ad sui executionem alium non habet iudicem, nisi propriam conscientiam, ciui is vero habet iudicem superiorem præter conscientiam, quæ illum remordet ad standum promissis. Neque hic obijci potest inhabilitas ex voto, quia adest ipsius superioris voluntas, quæ habilitat personam ad se obligandum. Ita *Rodriq. tom. 3. quæst. 29. art. 9. cum suo Compend. resol. 107. num. 3. Peyrin. de Prælat. quæst. 3. cap. 5. num. 9. Portell. V. Pactum num. 3. Donatus par. 2. tract. 12. quæst. 11.* Contra Sanchez lib. 7. cap. 8. num. 18. vbi, & num. præced. ait obligari solum naturaliter; adde tu etiam ciuiliter, quia maior Prælatus illum cogere debet, vt stet promissis. Verum quidem est, quod promissione adimpleta maior talem subditum remouere

potest à possessione rei, quia possidet dependenter, & reuocabiliter. Dixi cap.8.quæst.28,

Quæres 10. An possit mutuas dare pecunias, vel easdem accipere? & quid simile?

21 Resp. Non potest sine licentia superioris saltem præsumpta, loquendo de mutuo inter ipsos religiosos, dare vero secularibus non videtur sufficere præsumpta, quia vt plurimum perditur, ideo cum magna cautione est procedendum. Vide *Peyrin. de Subd. quæst.2. cap.2. §. V. Sanchez lib.7. cap.19. num.65. de Lugo disp.3. num.*157. Qui in rebus paruis, & passim occurrentibus præsumunt licentiam tacitam.

Quæres 11. An possint accommodare aliquid alteri religioso, vel amico vel viceuersa recipere?

22 Resp. Affirmatiue etiam cum sola licentia præsumpta, quia in his non transfertur dominium, vnde videtur esse minus periculum. Ita præcitati in præcedenti quæstione.

Quæres 12. An superior possit recipere pecunias ad cambium cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis?

23 Resp. Id facere non posse etiam cum consensu sui capituli. Ita *Gauantus V. Alienatio num.*35. *referens ita fuisse declaratum à S. Congreg. relatum à Pyrrho Corrado in sua praxi dispensat. Apostol. lib.9. cap.1. num.12. tenoris sequentis.*

24 *Cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis, compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum monasteria peruenientibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; cumq; ex huiusmodi contractu eludatur mens S.C. cui in primis in votis fuit consulere indemnitati Religionum, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum læduntur S.D.N. approbante, decreuit, ac declarauit, huiusmodi contractus esse contra mentem decreti, vt supra editi. Ideoq: non licere Regularibus pecunias, vt præponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ die* 21. *Maij* 1626.

Cosmus C. de Torres. Prosper Fagnanus.

Non obstat hoc decretum contractui mutui in modicis pecunijs, vt fieri solet inter amicos cum simplici chirographo, loquitur etiam de mutuis formalibus in magna quantitate pecuniæ.

Quæres 13. An si superior mutuo accipiat quantitatem pecuniæ sine consensu capituli teneatur conuentus ad restitutionem.

25 Resp. Ad nihil tenetur conuentus, nisi probetur, pecuniam conuersam esse in beneficium eiusdem Monasterij, quia cum ex eo emolumentum non receperit, non conuenit, vt sentiat onus, & superior sic recipiens habetur pro religioso priuato, ex cuius delictis Monasterium non tenetur expresse cap. Quod quibusdam 4. de fideiuss. *Menoch. de arbitr. lib.2. casu* 432. *Molina tom.2. disput.* 300. *Rebell. de obligat. iust. par.2. lib.8. quæst.1. sect.3. Peyrin. de Prælato quæst.3. cap.5. num.31. ibidem Barb. num.8. & seq.* Versio autem pecuniæ in vtilitatem Monasterij non probatur, quando pecunia recepta fuit de consensu capituli ex opinione quorundam contra alios requirentes probationem.

Quæres 14. An superior, aut conuentus, seu etiam aliquis religiosus possit fideiubere?

26 Resp.

26 Resp. Quęstio deciditur cap.Quod quibusdam 4.de fideiussor. quod nullus religiosus,nec ipse superior,nisi de consensu maioris partis Monasterij potest fideiubere. Ita omnes ibidem *cum Barb.Peyrino de Prelato quæst.3. cap.5. nu. 29.Sanch.lib.7.cap.14.num.38.de Lugo disp.3 num.*224. Procedit siue fideiussio dirigatur ad securitatem contractus ratione personæ inhabilis, seu ad assicurandum debitum. Sed quoniam non est in vsu religiosos fideiubere cum non habeant liberam administrationem pro extraneis. Ideo hęc sufficiant.

Quæres 15.An religiosus possit emere,vel vendere? & commutare vnam rem cum alia.

27 Resp. Affirmatiue cum licentia ad minus tacita ad euitandum proprietatis vitium, isti enim actus sunt proprietarij. Ita Patres requirentes in exercitio horum actum licentiam superioris, S.Basilius Resp.41.S. August. illis verbis: *Dare,vel accipere debet sine superioris licentia* Dare enim importat vendi-
28 tionem, & accipere emptionem, quæ vti correlatiua non habent esse nisi per traditionem rerum, quæ veniunt in contractum, emptore prætium dante acceptum à venditore, qui rem dat emptori recipienti. Confirmatur id per ea, quæ habet de Lugo disp.3.num.159. In Regula mei ordinis cap.10.*Neque possit quispiam agere, negotiari,emere,vendere, vel commodare quidquam Ministri venia non impetrat a. Ita Sanchez lib.7.cap.19.num.67. Peyrin.de subd. q. 2.cap.2.§.V.concl.2.Faber disp.45.de Restitut.num.113.cum alijs Diana resol.26. de Paupert.Cotonius l.4. contr.6. n.*116. contra Cardin.de Lugo disp. 3.de inst. n.153.in eo casu,non sufficere, quod religiósus res acceptas palam exponat libros,picturam &c. ab amico pecunia emptos,sed requiritur licentia expressa. Cuius tamen dictum intelligitur respectu earum religionum, quæ petunt licentiam formalem, & expressam, non autem respectu aliarum, in quibus practicatur licentia tacita,& præsumpta, & hanc supponunt præcitati.

Quæres 16.An superior, seu subditus possint conducere fundum pro se, ve suo Monasterio.

29 Resp. Neuter conducere potest alienam possessionem lucri causa, quia id expresse sub excommunicatione prohibetur clericis, & religiosis cap. Secundum 6.Ne cler.vel mon.Est enim species negotiationis, quæ non licet religiosis,cum arguant vitium auaritię,quæ fouet proprietatem in religioso. *Castrop. disp.4.par.13.§.3.num.4.*Vsus tamen,quo superiores quodammodo locant suis officialibus religiosis possesiones,non est illicitus,sed tolerabilis,quia lucrum adhuc aquiritur Monasterio, & religiosus cum maiori diligentia fungitur suo officio in vtilitatem Monasterij.

Quæres 17. An religiosus possit negotiari saltem de licentia sui superioris?

30 Resp. Religiosus non potest negotiari etiam cum licentia sui superioris, cum prohibeatur expresse negotiatio omnibus ecclesiasticis,vt videre est in omnibus Capitulis distinct.88.Hęc autem prohibitio temperari potest,vt non habeat locum *primo*, quando religiosus intendit subleuare proprias indigentias,dum a Monasterio non adiuuatur, quia non est negotiator, qui non lucri gratia,sed eo fine negotiatur,vt se,& suos alat, cum aliunde non habeat vnde viuat, *Farinac.V.Clericus num.169.* negotiatio ergo non est, sed industria, & prouidentia propriæ domus,quando ordinatur ad propriam sustentationem, *Molina disp.342.num.14. Bonac.disp.2. de contr.quæst.9.p.2. cum alijs Barbos.ad*

cap.

cap.secundum 6.Ne.cler.num.4. Castropal.disp.4. de oblig.relig.p.13. §.3. num.8. Intellige dummodo non arceatur à diuinis mysterijs. *Secundo* excusatur, si vnum, vel alterum negotium incidenter faciat, alijs citatis Diana resol.72. de
31 contract. *Tertio* excusatur negotium gerens per alium, quia per hoc non auertitur à diuino seruitio, nec dicitur se implicare curis secularibus, qui per alium negotiatur, ita fere omnes *cum Lessio lib.2. cap.21. num. 6. Diana citatus.* Demum si religiosus negotiatur etiam turpis lucri gratia de licentia sui superioris non peccat vitio proprietatis, quia non est proprietarius agens de licentia sui superioris, quamuis illicita ex dictis cap.17.num.26.

Quæres 18. An liceat depositum pecuniæ hoc modo. Rogo amicum paratum dare mihi summam pecuniæ, vt eam apud se retineat non transferendo, in me nec dominium, nec vsum apud ipsum reseruata, vt cum egero, petita licentia, sint in promptu pecuniæ pro meo seruitio.

32 Resp. Licet, nec sum proprietarius, quia nec dominium, nec vsum mihi vsurpo. Ita *Sanch. lib.7.cap.19.nu.50.§.5. Fausto lib.8.quæst.115. Diana resol. 43.de Pauper.de Lugo disp.3.de Iust.n.150.* Cum remaneat adhuc apud Amicum iuxta condictum. Sanchez ibidem, ait idem esse dicendum, si religiosus apud se retineat eas pecunias, sicut erant apud Amicum. Sed non placet, quia actus acceptionis cuiuslibet rei est prohibitus sine licentia ad minus tacita, & præsumpta. Periculosum autem est accipere peculium cum conditione, *si superior consenserit* cum intentione, vt dominium, & vsus interim remaneat apud dominum, quia ista conditio non videtur suffragari, vbi ex decreto requiritur licentia formalis, & expressa, quæ destruit illam conditionem tamquam inefficacem, immo & contra ipsum decretum, ideo pro turpi habenda est non ratione sui, sed rellata ad decretum, contra quod est faciens reum religiosum ex sui trangressione.

Quæres 19. An liceat religioso sine licentia conseruare in depositum res alienas in sua cella?

33 Resp. Quamuis recipiens depositum nullum facit proprietatis actum, quia nihil sib. vsurpat, tamen quia Regulæ Patrum prohibent quicquam accipere sine licentia superioris, sic recipiens depositum sine vlla licentia peccauit saltem venialiter contra præscriptum huiusmodi Regulæ. Iure autem communi non prohibetur receptio depositi, vnde conceditur, cum non sit quid mali, sed potius actus beneficij, & opus caritatis erga proximum, requiritur ergo licentia saltem prçsūpta, cū voluntas religiosi in agendo continuo dependeat a voluntate sui superioris. Ita *Molina tom.2.disp.525.ex eo Sanchez lib. 6.cap.14.num.27.vbi num.29.* Si depositum pereat, vel deterius fiat, ad nihil
34 tenetur monasterium, quia licentia superioris ordinatur ad licitam depositi acceptionem, non ad illius conseruationem, quod ad solum depositarium spectat; nisi in aliquo per illud conuentus factus sit locupletior. Neque ex iustitia tenetur monasterij superior resarcire depositum furatum, ipso non impediente Furem à se visum, etiam si religiosus non restituat. Ita *Tabiena V.Monachus num.13.quæst.12. Armilla num.13.* Ex officio enim tenetur habere curam Fratrum, & rerum monasterij, non extraneorum. Contra D.Antonium, Rosellam, Siluestrum, Lopez, & Tapiam, quos Sanchez num. 33. vocat pro se, ea ratione, quia sicut lege iustitiæ cogere potest religiosum ad restituendum depositum, ita eadem lege tenetur impedire damnum, quod infer-

inferni ab ipso videt, & potest impedire. Non placet, quia etiam iudex laicus tenetur ex officio suo cogere depositarium ad restitutionem, non tamen tenetur impedire, & obstare furi ne depositum surripiat, quia iudex custos non est. Sanchez sequitur de Lugo disp. 3. num. 219.

Quæres 20. An monasterium teneatur ex damno illato propter delictum, vel contractum factum à superiore, aut à subdito?

35 Resp. Non tenetur neq; ex delicto, neq; ex contractu, siue sit subditus, siue superior, nisi in aliquo monasterium sit factum locupletius, vt clare habetur Reg. 76. in 6. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*. Quod procedit etiamsi bona secum in religionem transtulerit, quæ sint sub dominio, & vsu totius communitatis, cum ea dum illius non sunt, obligare pro alijs non possit. Ita omnes super dictam Regulam, *& cap. Si Episcopus 16. quæst. 6. Nauar. com. 3. de Regular. num. 62. Lessius lib. 2. cap. 42. num. 90. Sanchez lib. 7. cap. 31. num. 11. Castropal. disp. 3. de obligat. relig. p. 16. num. 1.* Sermo est de contractibus initis post professionem

36 sine licentia Monasterij, de factis vero ante professionem, tenetur Monasterium, si habet in bonis professi contrahentis, aliter non, vt affirmant *Felin. in cap. Cum I. & A. de sent. & re iud. Bertrand. cons. 22. num. 5. Vol. 7. Monaldus Vol. 2. cons. 30. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 10. q. 8. Sanchez cit. num. 4.* Eius enim bona cum eo reali onere transeunt etiam apud Ecclesiam, quam non decet locupletari cum aliena iactura.

37 Sed numquid ipse religiosus tenetur restituere, quando Monasterium ad nihil tenetur? Resp. Vtique, titulo contractus, si fuit iustus, vel ex radice iniustæ acceptionis, si fuit nullus. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 31. num. 22. vbi citat Fabrum, & Ceuallos, quos sequitur Castropal. disp. 3. obligat. relig. p. 16. num. 7. de Lugo disp. 3. num. 220.* Procedit in religionibus, in quibus professus habet vsum certorum bonorum, illi applicatorum secundum stilum ordinis, vnde ex fructibus sui liuelli, vel alijs ex industria aquisitis debet satisfacere, cum illi redditus non seruiant nisi illi soli. Nec obstat, quod filius familias non teneatur ad restitutionem pecuniæ mutuo acceptæ, & distractæ, quia est speciale illius priuilegium ad fauorem magis patris, ne mors illius captetur, quam ipsius filij succedentis in bona paterna, religiosus autem nemini succedit.

38 Quæres 21. An religioso superior dare possit licentiam ludendi? Finis ludentis potest esse duplex, nempe lucrum, & recreatio, ille dedecet religiosum, qui non debet optare lucrum contra votum paupertatis, is vero illi conuenit, quia est actus delectationis subleuans corpus a fatigatione, & labore, & recreans animam ex S. Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 6. & 2. 2. quæst. 168. ar. 2. & seq.

39 Resp. Superior potest dare licentiam ludendi suis religiosis inter se, & etiã cum amicis, ex causa recreationis, modo quantitas exposita sit moderata e.g. non excedens quinque ducatos in singulis annis, etiam cartis luforijs, seu aleis, & taxillis, semper recreationis causa, non præcise ob lucrum, nisi id prohibeatur expresse in Regula, & constitutionibus.

40 Prima pas de licentia ex se constat, cum non sit quid malum, sed quid bonum relaxare animi laborem aliqua recreatione honesta, & decenti; ordinatur præterea ad euitandum otium, quod a religiosis potissimum est abhorrendum. Est autem necessaria ad minus præsumpta, dum pecunia ludo exponitur, ad euitandum proprietatis vitium. Ita omnes *cum Maiore in 4. dist.*

18. q.

18. *quaest.13.Sanchez lib.7. cap.19. num.10. Peyrin.de Subdito quaest.2. cap.2. §. VII.concl.1. & de Praelato quaest.2. cap.2. §.V.num.90.* Vbi late de ludis in quibus religiosi non possunt se exercere. *Castropal.disp.4.de obligat.relig.par.13.§. V.* Habens licentiam generalem,& indifferentem ludendi potest ludere quouis genere ludi, quatenus excusatur à vitio proprietatis iuxta dicta sub cap. 17. quaest.5.

41 Secunda pars,quod per licentiam illimitatam possit ludere etiam cum extraneis,probatur, quia ex quo licentia non est limitata sed generalis,complectitur indifferenter tam subditos,quam extraneos, ludus enim est contractus, ergo dum vni conceditur,quod ludere possit,intelligitur cum alio quocunque potente ludere, dum nulla fit limitatio,nemo enim cum seipso ludit, nisi insipiens,& infans. Religiosus ergo extra domum degens negotiationis, vel peregrinationis causa potest ludere cum extraneis cum illa generali licentia,*ex illatis à Sanchez num.79.Tom.1 Hurtado tom.2.tract.8.resol 85.*

42 Tertia pars,quod in ludo non excedatur summa quinque aureorum,docetur,*à Sanchez lib.7.cap.19.num.79.Nauar.cap.20. num.12. Valent.tom.3. disp. 5. quaest.6. p.5. dub.8. Beladius V. Lusus num.6. de Lugo disp.3. de Iust.num.144. Peyrin.de subd.quaest.2.cap.2. §.Vit.Vers.Quaeres* ait, id relinquendum esse arbitrio prudentis,considerantis statum religionis,quantitatem peculij, & conditionem religiosi.

43 Quarta pars de ludis prohibitis, certa est,quia superior non potest indulgere licentiam contra Regulam, & statuta ordinis,cum talem non habet facultatem. Quod si eam concedat, si non irrita est, ludens non incurret vitium proprietatis, licet faciat contra votum paupertatis, cum non deceat
44 statum suum res prodigere,neque lucrum facere, dum id non conuenit pauperi voluntario. Ludi autem prohibiti sunt vsus alearum,& taxillos,qui vo-
45 cantur ludi non industriae, sed fortunae,& casus. Prohibitio autem fundatur in multis malis, quae oriuntur ex ludo taxillorum, & cartarum, recensita ab Archid.*in cap.Episcopus dist.35.apud Barb.ad cap.Clerici 15.de Vita, & hon.cler. num.6.* In quibus locis prohibentur clericis, quo nomine veniunt etiam reli-
46 giosi,quando agitur de materia quae respicit decentiam status ecclesiasticorum, *Nauar.cap.20.num.9.Suarez tom.4. de Relig.lib.1. tract.8. cap.11. num.2. Castropaldisp.4.p.13.§.V.fine*. Sed haec iuris prohibitio abijt in dissuetudinem, passim enim clerici,& religiosi ludunt, & non puniuntur, quia rarissime inter eos incurrunt mala, cum ludant ad euitandum otium,recreationis gratia, & ob spem lucri, quod licet clericis, non religiosis, nisi alium finem habeant honestum,prouidendi sibi,de his, quibus carent.

Quaeres 22. An ludens cum religioso habente licentiam ludendi teneatur restituere victum à religioso in ludo?

47 Resp. Negatiue, quia licentia ad minus praesumpta ludum iustum, ac proinde excusando à vitio proprietatis,sicut religiosus non peccat contra votum paupertatis peccato iniustitiae, ita neque victor in ludo iniuste accipit, ergo non tenetur ad restitutionem,cum nullius iustitiam violauerit. Licentia ergo excusat à restitutione. Ita *Molina disp.520. nu.1.Vers.quemadmodum, Sanchez lib.7.cap.19.num.79.Lessius lib. 2.cap.18.num.83.& cap.21.num.73.Con.c.disp. 3.Vari ar.de Largit.mun.p.6.num.18.cum illis Hurtadus tom.2.tract.8. cap.8. resol.85.num.1.*Limitant id in ludis licitis,quia superior non praesumitur dare li-

cen-

centiam in illicitis, *Molina citatus, & Azor.tom.3.lib.5.cap.26.quæst.8.* Nihilominus sub licentia indefinita comprehenduntur etiam ludi illiciti, & prohi-
48 biti iure communi, licet superior positiue ad eos non direxerit suam voluntatem, quia se habuit indifferenter, aliud non intendens, quam per licentiam remouere impedimenta, quæ possunt detinere religiosum in vitio proprietatis. Vide de Lugo disp.3.de iust.num.142. & seq. præsertim 145. Vbi an religiosus potens perdere quinque possit vincere, & lucrari censum? Resp. ipse, certum esse, posse lucrari quinque a singulis, cum quibus simul ludit, quia singuli ab eodem totidem lucrari poterant. Pariter eodem ludo perseuerante, poterit exponere totam eam quantitatem, quam lucratus est, lucrando aliam æqualem; idem ludus perseuerare dicitur, siue substituatur alia persona, siue vna recedat, & alia adueniat eodem die. Restituere ergo non tenetur, esto perdiderit, vel lucratus, sit a religioso habente licentiam ludendi magnam pecuniæ summam. Ita *Lessius lib.2.cap.26.num.33. Salas de contr.ludi dub.21.num.4. ex illis Hurtadus tom. 2. tract.8. cap. 8.resol.86. num. 866.*



CAPVT XX.

De donatione, & largitione munerum.

1 *Donatio est liberalis datio rei propriæ donantis.*
2 *Donatarius ante donationis acceptationem nullum ius aquirit rei donatæ.*
3 *Acceptatio est necessaria iure naturali, aliter non inducit obligationem.*
4 *Dominium quis non aquirit, nisi velit.*
5 *Donatio reuocari potest ante acceptationem etiam iurata.*
6 *Etiam in causis pijs.*
7 *Donatio alia causa mortis, alia causa vitæ.*
8 *Donatio liberalis non coacta, vi, nec dolo, aliter non valet.*
9 *Donatio admittit gratitudinem, & remunerationem.*
10 *Finis donationis honestus, aliquando turpis prohibitur in Bulla.*
11 *Donatio aliud à largitione, quæ refertur ad malum finem.*
12 *Donare potest habens administrationem, & vsum suorum bonorum.*
13 *Commodatum, & mutuum sine animo repetendi probibetur in Bulla.*
14 *Quinque casus excipiuntur à Bulla.*
15 *Omnes professi claustrales vtriusque sexus probibentur donare, non Militares.*
16 *Recipere munera omnes prohibentur etiam Cardinalis, etiam Imperator.*
17 *Reus Bullæ, dicens, nolo donum, da meo consanguineo, non est.*
18 *Reus non est mutuans, locans, commodans, & vendens etiam vili pretio.*
19 *Decem aurei poßunt donari sine violatione Bullæ.*
20 *Largitio importat crassam donationem.*
21 *Licentia in scriptis ad donandum.*
22 *Decretum S.C. declaratiuum Bullæ Clementis VIII.*
23 *Penæ inflictæ in Bulla numerantur.*
24 *Incurruntur solum post sententiam.*
25 *Recipientes tenentur munera restituere Conuentui.*
26 *Bulla Clementis VIII. recepta non fuit.*
27 *Iure communi non prohibentur religiosis honestæ donationes.*
28 *Religiosis inter se, & cum extraneis est prohibita donatio.*
29 *De licentia tamen superioris donare possunt.*
30 *Licentia tacita sufficit ad donandum de suis.*
31 *Expressa vero in datione rerum communitatis.*
32 *Elemosinam de licentia facere potest.*
33 *Casus quinque in quibus præsumitur licentia tacita.*
34 *Elemosinas facere debent superiores.*
35 *Decem aurei in stipem dari possunt.*
36 *Distributio pecuniæ in elemosinam non est actus proprietatis.*
37 *Patronus commissam distributionem reuocare potest etiam acceptatam.*
38 *Requiritur licentia relatiue ad obedientiam.*
39 *Pitantia non donatur sine licentia.*

1 DOnatio est liberalis concessio alteri facta de proprijs bonis. Si res promissa eodem promissionis contextu, detur donatio dicitur realis, & perfecta, alio non indigens ad sui subsistentiam. Si vero donum non tradatur, sed tantum promittatur, donatio appellatur verbalis, & imperfecta, requirens ad sui consistentiam acceptationem donatarij, aliter non inducit aliquam obligationem cum nondum adsit mutuus consensus, dum deest ex parte donatarij, ex vtroque enim oritur obligatio, quæ est duorum consensus, ponitur ergo, & perficitur consensus posita acceptatione ex parte donatarij. Ante autem huiusmodi acceptationem donator potest reuocare donationem, sine
2 iniuria donatarij, quia is nullum ius in re, nec ad rem aquisiuit. & ita docent communiter fere omnes *cum Antonis Gomez tom.2. cap.4. num.3. cap.9. num.1. Lessius lib.2. cap.18. num.34. Castropal. disp.2. de iust. commit. commut. p.2. de*
3 *Lugo disp.23. de iust. num.36. & seq. Sanchez lib.1. disp.7. num.18.* Et hanc acceptationem non solum iure positiuo esse necessariã ad inducendum obligationem *ex l. Apsenti ff. de donat. l. nec ambigi C. eod. & alibi* Verum etiam iure naturali, quia quis non potest se obligare, vt res sua transeat in dominium al-
4 terius, nisi ipse velit, aquisitio enim dominij pendet à voluntate aquirentis. Ita *Molina lib.4. de primog. cap.2. num 62. sanch. lib.1. disp.6. num.10. cum alijs de Lugo num.38.* contra alios asserentes acceptationem, requiri solum iure positiuo, sed verior est opinio prælibata. Antequam ergo ponatur acceptatio, qui promisit potest reuocare promissum, & donationem, quod procedit etiãsi
5 fuerit iurata, quia iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, vnde si est inualidus, si nondum obligat, non tribuit illi valorem, nec obligationem. Ita *Molina cit. num.65. Sanchez lib.1. disp.7. num.24. Castropal. disp.2. de iust. commut. p.2. num.6.* Procedit etiam in causis pijs, quia illæ non efficiunt, vt
6 quod nullam iure naturæ habet obligationem, aquirat ex causa pia, dum promissio potuerit esse sine illa. Ita *Sanch. lib.4. cap.41. num.7. Castropal. num.5.*

7 Communis diuisio donationis est alia causa mortis, de qua hic agendum non est, cum dixerim cap.7. num.33. cap.8. num.6. & inter viuos, de qua est hic sermo, an religiosi inter viuos donare possint.

8 Quamuis donatio sit liberalis concessio, non solum quia gratis fiat, nulla obligatione & debito constringente, verum etiam quia sine vi dolo, & coactione fit, sed sponte, id enim illi quoque est essentiale, alias nullius est momenti, vt docent omnes præcitati, tamen si aliquid concedatur titulo gratitudinis,
9 & remunerationis non perdit nomen donationis, quia gratitudo non repugnat liberalitati, cum nullum habeat debitum iustitiæ, sed solum ex honestate, & beneuolentia moueatur ad donandum. Ita *Castropal. p.13. nu.1.* & alij communiter.

10 Sciendum autem est, quod quis potest moueri ad donandum propter duos fines, *Primo* ex beneuolentia erga donatarium, quod contingit ex parentela, vel amicitia, aut subleuatione miseriæ proximi, qua ratione appellatur proprie elemosina, his modis donatio iustificatur à fine bono, & honesto, & de hac nulla extat prohitio. *Secundo* ex prauo fine, & interesse, vt donatio ad obtinendum aliquid illicitum e.g. ad luxuriandum, ad impetrandum aliquem gradum, officium, beneficium, ad euitandum pænam, ad obtinendum domicilium &c. Mouetur ergo quis ad donandum propter interesse, & hoc genus donationis vti turpe prohibetur à Clemente VIII. in sua Constit.

28.incip. *Religiosæ Congregationes*, omnibus religiosis vtriusq. sexus sub titu-
11 lo de largitione munerum, vnde aliud est largitio, aliud donatio, nam illa habet pro fine aliquod interesse, hæc vero beneuolentiam & merita donatarij. His præmissis.

Quæres 1. Quis posit donare, & largiri munera?

12 Resp. Quilibet donare potest habens administrationem, & vsum suorum bonorum, donator ergo debet esse dominus, & patronus eius rei, quam donare intendit, non enim alienum donari potest, sed tantum proprium. Ita omnes cum *Castropal.disp.2.de iust.par.15.Bonac.disp.3.de contr.quast.12.de donat.par.2.num.1.*

Queres 2. Quid prohibeatur donandum in Bulla Clementis VIII.

13 Resp. Non solum prohibetur datio munerum, sed etiam commodare, & mutuare animo non repetendi, in re enim non differt á largitione, & donatione, quæ illis nominibus palliatur. Ita *Sanchez lib.6.disp.4. Antonius de Sousa in hac Bulla num.73.Bonac.in Tract.Var.disp.3.par.1.num.2.* Pariter remissio liuelli debiti prohibetur, quia remittere est donare & dare, *Bart.in l.Peculium 4.ff. de pecul. Panorm.in cap.Ex insinuatione de increpatron.num.5. in cap. Per suas il 3.de simon.num.7.* Ita docent præcitati *cum Bonac.num.3.* Erogatio pecuniæ in honorem cuiuscunq; personæ etiam Protectoris, illius conuiuia etiam faciendo vt expresse dicitur in Bulla sub §.V.Bonac.num.6.

Quæres 3. An dentur aliqui casus, in quibus licent largitio, & erogatio pecuniæ, vel alterius rei?

14 Resp. Quinque casus excipiuntur ab hac prohibitione. *Primus* si fiat de consensu Capituli Generalis. *Secundus*, si fiat de leuioribus poculentis, & esculentis, & manusculis ad deuotionem pertinentibus. *Tertius* de pecunijs, quæ in diuinum cultum expenduntur. *Quartus* de eleemosinis ad subleuandas veras necessitates. *Quintus* de hospitalitate erga pauperes, & peregrinos. Relati *á Bonac.p.1.num.7.& seq.* Necessaria autem est superioris licentia, quia nullus religiosus habet administrationem absolutam etiam sibi concessorum ad proprium vsum, sed in his dependet continuo á superiore.

Quæres 4. Quibusnam religiosis prohibeatur largitio munerum?

15 Resp. Omnibus subditis vtriusque sexus professis claustralibus Canonicis, Monachis & Mendicantibus, eorumque superioribus quibuscunque conuentibus, capitulis, & congregationibus eorum. Quorum inclusione excluduntur ab hac Bulla nouitij omnium religionum, professi Militiarum quarumcunque & Fratres Tertij Ordinis secularis, vt clare colligitur ex tenore Bullæ, & docet Bonac.p.2.per totum.

Quæres 5. Quænam personæ prohibeantur recipere munera á religiosis?

16 Resp. Quæuis persona, siue sit masculus, siue femina, siue religiosa eiusdem, vel alterius ordinis subdita, aut superior, ecclesiastica, etiam Cardinalis, aut secularis etiam Imperator, Clare ex §.V colligitur Bonac.p.3.per totum. Non prohibetur qui religioso impertiuit aliquod honestum seruitium, recipere aliquid in remunerationem, & recompensationem recipere accedente superioris consensu, quia id non est donare, nec largiri, sed potius soluere, & recompensare ex parte religiosi. Est commune responsum cum *Sorbo in explicat.huius Bullæ Vers.Item alius casus, ibidem Bonac.num.2.*

Quæres 6. An sit reus huius Bullæ, qui dicit Amico parato illi donare aliquid

quid, nolo tuum donum acceptare, quæso trade illud meo consanguineo?

17 Resp. Negatiue, quia donatio est distractio rei iam aquisitæ; sed ille religiosus nihil aquisiuit sibi, nec monasterio, dum illud non acceptauit. Ita docent omnes *cum Bonac. in terminis p.1. num.4. Diana resol.8. de Paupert. referens decem octo Doctores* quibus addo Cotonium *lib.4. contr.6. num.*108.

Quæres 7. An sit reus huius Bullæ, qui mutuat, locat, commodat, aut vendit aliquid etiam prætio infirmo?

18 Resp. Non esse, quia isti sunt contractus, non donationes, quæ solæ prohibentur. Ita omnes *cum Valero V. Munera Diffic.1. num.66.*

Quæres 8. Quanti valoris debeant esse munera, vt largitor sit reus Bullæ, & incurrat in eius penas!

19 Resp. Donans ex causa pia vsque ad valorem decem aureorum de licentia superioris, qua & ipse vti potest, non est reus huius Bullæ. Causa pia est ad subleuandam paupertatem alicuius, pro nuptijs consanguineorũ, pro gratificatione beneficiorum. Ita Fagund. *tract.2. de Præceptis lib.8. cap.6. num.12. Corduba in summa quæst.54. Lopez par.1. Instruct. cap.152. Cruz lib.3. dub.1. num.163. cum alijs Diana resol.4. de Pauper.* Et id suadetur ex ipso *largitionis* verbo,

20 quo Bulla vtitur, importat enim crassam donationem, vnde Glos. V. Prodigalitatis vitio cap. Ex part.10. de consuetud. inter prodigum, & auarum ponit largum, seu largitorem, donans autem decem nec prodigus, nec auarus dicendus est.

Quæres 9. Qualis licentia aquiratur ad donandum secundum hanc Bullam!

21 Resp. Requiritur licentia in scriptis approbata capitulo vt habetur sub. §. 4. & 5. quando fit extraneis, non inter ipsos religiosos eiusdem ordinis. *Ex de S. Fausto lib.8. quæst.219. & Valero num.83. Diana resol.20. de Paupertate.* Consensus tamen capituli non est necessarius in donandis poculentis, & esculentis, sed sufficit licentia solius superioris ex §.2. in fine, & patet ex subijcienda responsione in sequenti quæsito.

Quæres 10. Ex quibusnam causis licet largitio munerum sine transgressione huius Bullæ.

22 Resp. Recensus in Bulla incip. *Nuper à Congregatione* 46. post Append. Bullarij Vrbani his verbis: *Declarat, munera a religiosis vtriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis beneuolentiæ, eiusque conseruationis erga ipsam religionem, vel conuentum, alijsue causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeste tamen, & discrete, & dummodo id non fiat, nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu maioris partis conuentus, si talis consensus de iure, vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus, cuiuscunque religionis respectiue in huiusmodi casibus requiratur. Consensum uero conuentus in §.2. eiusdem constitutionis ad leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda &c. requisita intelligi debere de consensu alias de iure requisito, & vbi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam superiorum in scriptis in* §.4. *eiusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam etiam ore tenus eisdem concessam. Commessationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorifice, & laute, de quibus in* §.5. & 6. *censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status regularis aduersentur. Restitutionem vero receptorum*

torum

torum conuentibus faciendam, de qua in §. 10. *ibi cautum est intelligi debere de conuentibus, ad quos data, donata, siue missa, de iure pertinent, si id commode fieri potest, alias Cõuentui eiusdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuerit absolutio, restituatur. Ec.*

Quæres 11. Quas pœnas incurrunt transgressores huius Bullæ religiosi?

23 Resp. Incurrunt quinque genera pœnarum largientes munera contra tenorem Bullæ. Prima est priuatio dignitatum, graduum, munerum, & officiorum. Quibus nominibus veniunt officia non solum superioritatis, sed etiam sine superioritate gradus honorifici. Ita *Bonac. par. 5. num. 2. Sanchez lib. 6. cap. 15. num. 66. & cap. 18. num. 25.* Secunda pœna est inhabilitas, & incapacitas ad illa obtenta, & obtinenda. Tertia est perpetua infamia, & ignominia. Quarta priuatio vtriusque vocis. Quinta, vt contra transgressores procedi possit tam quam contra reos furti, & simoniæ. Hæc omnia expresse sunt in Bulla. Hæ

24 autem pœnæ ante sententiam non incurruntur, *secundum Sanchez lib. 6. cap. 15. num. 65. Faustum q. 230. Sousam num. 102. Molinam disp. 96. Vers. Duo obserua* Contra Bonac. hic n. 3. Veræ. Ego autem assererem incurri ante sententiam inhabilitatem ad officia, & priuationem vocum, sed prior opinio est magis pia, & misericors.

Quæres 12. An ipsi seculares munera accipientes à religiosis contra Bullam aliquam incurrant pœnam?

25 Resp. Recipientes munera exceptis quinque casibus supra enumeratis, tenentur ad restitutionẽ accepti, etiã ante sentẽtiam, quia munera non fecit sua recipiens, & non potest absolui, nisi prius realiter, & cum effectu restituat, quod habet, vel æquiualens. Ita colligitur ex Bulla Bonac. par. 4. & ex declarat sub num. 22. supra. Sed hæc pauca sufficiant, quia vsu recepta non fuit, vt probatur in sequenti.

Quæres 13. An hæc Bulla fuerit recepta, & in vsum deducta per Regulares?

26 Resp. Negatiuè, vt testantur *Gratian. cap. 202. num. 17. Magalius 1. 2. lib. 2. cap. 27. num. 65. & conf. 33. num. 17. Peyrin. de Subd. quæst. 2. cap. 2. §. VI. Vers. At huic cum quibus, & alijs est Diana resol. 1. de Pauper. Portellus par. 2. casu 67. num. 3. Hurtadus tom. 2. tract. 8. cap. 8. resol. 89. num. 912.* Et ab effectu probatur non fuisse vsu recepta, quia vbique dona dantur, & munera passim recipiuntur, & quo sunt altiores, eo auidiores.

Quæres 14. An iure communi propter hanc Bullam, quæ alijs in dissuetudinem, prohibeantur largitiones munerum?

27 Resp. Superiores iure communi non prohibẽtur donare moderatè & ex causa iusta, & rationabili suis subditis, & etiam extraneis, iuxta casus recensitos in quæst. Ratio est, quia habent administrationem bonorum sui Monasterij, ergo de eis disponere possunt ex causa & arbitrio viri prudentis. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 90. Nauar. com. 2. de Regul. num. 11. Bonac. super Bullam p. 6. num. 1.* & alij omnes.

Quęres 15. An subditis inter se, & cum extraneis sit prohibita donatio?

28 Resp. Affirmatiue, vt patet ex Regulis Patrũ prohibentium dare, & accipere, donare enim est dare, & alium recipere donum. Et in hoc nullus contradicit.

Quæres 16. An saltem cum licentia sui superioris donare possint?

29 Resp.

29 Resp. De licentia ad minus præsumpta donare possunt de ijs mobilibus, quę sunt destinata ad vsum donatoris specialem, non autem de bonis communitatis, nisi de speciali superioris licentia, exceptis minusculis eleemosinis.

Prima pars de licentia probatur, quia subditus vt sic nullam habet administrationem, sed tantum vsum bonorum sibi designatorum, ergo aliter de illis agere non potest donando alijs, nisi habeat licentiam à suo superiore. Confirmatur, quia donare est actus potissimum proprietatis, ergo ad id necessaria est licentia superioris ad euitandum vitium proprietatis. Ita omnes *cum S. Anton. par. 3. tit. 16. cap. 1. §. 11. not. 2. & 4. Rodriq. tom. 3. quæst. 29. art. 10. concl. 3. Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 64. Peyrin. de Subd. quæst. 2. cap. 2. §. VI. initio, Bonac. p. 6. in Bullam num. 5.*

30 Secunda pars, quod tacita licentia sufficiat ad donandum de his, quæ sunt concessa religioso ad suum vsum, probatur, quia cum per huiusmodi dispositionem non præiudicet communitati, superior præsumitur eam permittere dispositionem, præsertim in religionibus laxis, in quibus ita practicatur. Et in hoc casu sufficit licentia generalis vtendi re pro suo libito. Quod verum est non solum donando alteri religioso eiusdem ordinis, sed etiam extraneo, cum ea tamen differentia, quod donum respectu extraneorum sit minoris valoris, quam munus traditum confratri, quia respectu huius non transfertur dominium, sicut in donatione facta extraneis. Ita Peyrin. citatus Vers. Probatur, vbi ait non esse materiam notabilem, si religiosus alteri religioso eiusdem ordinis donet duodecim regalia, quia non transfertur dominium.

31 Tertia pars de bonis communitatis requirentibus expressam, & formalem licentiam probatur, quia non est verisimile, superiorem esse contentum, vt subditus distrahat ea, quæ sunt communitatis, ergo in his licentia præsumpta locum habere non potest, sed formalis necessaria est. Hinc est, quod esculenta, & poculenta pro communitate præparata auferre non potest nec donare, quia præsumitur inuitus superior, & vulnus immedicabile infertur gutturi, & iugulatur, & quandoque magis sobrie viuere opus est.

Ex hac distinctione bonorum communitatis, & particularitatis resolui possunt plura dubia, quæ passim a summistis proponuntur, quæ lector videre poterit apud Dianam in tract. de Paupertate religiosa.

Queres 17. An religiosus possit facere elemosinam?

32 Resp. Affirmatiue, de licentia sui superioris ad minus tacita, ea enim præsumitur respectu bonorum suo vsui destinatorum, cum sit opus pium ordinatum ad subleuandas necessitates proximi, etiam dando aliquid communitatis, panem, obsonium, vas vini, & huius generis, quia in his parui momenti superior non censetur inuitus, cum præsumatur caritatem habere erga pauperes. Ita omnes *cum Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 62. Sanchez lib. 7. cap. 19. nu. 103. Peyrin. de subd. q. 2. cap. 2. § VI. concl. 3. vbi* refert quin-

33 que casus, in quibus potest præsumi licentia tacita. *Primus* est, cum extreme eget. Dic tu etiam grauiter, immo & mediocriter tribuens de suo. *Secundus*, quando necessitas est magna; & non est recursus ad superiorem pro illo tunc. Dic vt supra. *Tertius*, quando est extra Monasterium. *Quartus*, si res est parui momenti, vt frustum panis solitum dari pauperibus ostiatim quærentibus. *Quintus*, cum habet proprium peculium sibi destinatus?

In his

In his casibus præsumitur tacita licentia, quæ non habet locum, inquit ipse Vers. Tertius, quando Ianitor est deputatus ad distribuendum elemosinam, tunc enim necessaria est expressa, quia non præsumitur tacita. Sed non placet, quia si per institutionem Elemosinarij expresse alijs non prohibuit dationem elemosinæ, consentur habere tacitam, aliud enim est distributio stipis, quæ competit officiali, aliud datio elemosinæ vni, vel alteri pauperi sine temporis determinatione, ordinaria ergo elemosina competit officiali, extra ordinaria alijs non negatur etiam de bonis communitatis moderata, nisi superior se declaret expresse.

34 Superior quoq; facere debet elemosinas pauperibus de superfluis, quia elemosinis facienda est elemosina, *Glos. V. Indigentibus, cap. Habebat* 17. 12. q. 1. Ita Rodriq. *par.* 2. *sum. cap.* 32. *concl.* 2. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 9. *Vasq. opusc. de elem. cap.* 4. *num.* 1.

Quæres 18. Quanti valoris elemosinam dare potest religiosus suis consanguineis pauperibus.

35 Resp. Decem ducatorum, seu aureorum de peculio sibi designato de licentia etiam præsumpta sui superioris attenta paupertatis qualitate, & conditione pauperis. Ita *Beia par.* 4. *casu* 32 *col.* 3. *Vega par.* 2. *sum. cap.* 86. *casu* 30. *Rodriq. cit concl.* 3. *Sanch num.* 42. *ex illis Peyrin. de S ubd. p.* 2. *cap.* 2, §. *VI. concl.* 2.

Quæres 19. An religiosus absque licentia sui superioris possit licite recipere pecuniam ab Amico ei committente, vt illam pro suo arbitrio distribuat pauperibus?

36 Resp. Licite distribuit, in quantum non transgreditur votum paupertatis, cum nihil sibi aquirat, sed est merus executor alienæ voluntatis. Ita Sanchez *lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 4. *de S. Fausto lib.* 8. *quæst.* 109. *numer.* 2. *ex illis Diana resol.* 29. *de Paupert.* Contra Cenedum *dub.* 24. *de Paupert. relig. num.* 11. *Layman lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 16. *& alios* asserentes facere contra votum paupertatis, quia donans pecuniam iam acceptatam à religioso ad distribuendum, priuauit se illo iure, & pecunia, quod transtulit in religiosum a quirentem liberam facultatem distribuendi, ergo facit contra votum paupertatis.

37 tis. Resp. ipse nihil dominij, nec iuris transferi in religiosum, sed nudum, & merum exercitium distributionis, cum facultate reuocandi datam executionem, nihil ergo proprietatis intruditur. Verum quidem est, quod videtur facere contra votum obedientiæ, respectu cuius propriam voluntatem subiecit imperio superioris, & sicut e. g. aduocati seu procuratoris

38 officium facere non potest etiam gratis sine licentia superioris, non vt euitet vitium proprietatis, quod in his actibus reperiri non potest, dum gratis exercentur, sed quia nihil agere potest independenter à voluntate superioris, ita nec exercere distributionem elemosinarum.

Quæres 20. An religiosus possit sine licentia donare suam pitantiam, seu rationem, & obsonium.

39 Resp. Non posse, cum donare propria auctoritate sit exercere actum proprietatis, quam exercere non potest independenter à voluntate superioris, quam independentiam tollit licentia ad minus præsumpta. Ita Salonius apud Dianam resol. 28. qui sentit, posse donare sine licentia vlla superioris, quia in illis rebus, quæ vnico vsu consumuntur, non potest secerni vsus à dominio, ergo si habet vsum suæ pitantiæ habet etiam eiusdem dominium

ra-

ratione cuius potest illam donare sine licentia. Ego quoque hanc sententiam secutus sum cap. 2. à numer. 24. & seq. Hæc tamen ratio videtur insufficiens, quia stare potest, quod ego in mensa accumbens habeam dominium inseparabile ab vsu mei obsonij, & tamen non possim donare, nisi de licentia, quia sicut vsus est limitatus, ita & dominium ab eo inseparabile; sed quoniam in his leuioribus facile præsumitur licentia, dum non adest expressa prohibitio, ideo non donatur pitantia sine licentia, confirmatur quia si posset donare sine licentia ex ea, quod dominium est inseparabile ab vsu, id etiam facere posset contra expressam voluntatem, & prohibitionem superioris, cum hæc non separet dominium à re, cui inest ex natura rei, secundum hanc opinionem.



CAPVT XXI.

An consuetudo possit aliquid in voto Paupertatis?

1 *Consuetudo est ius moribus multiplicatis institutum habitum pro lege, lege deficiente.*
2 *Consuetudo duplex inchoata,& perfecta.*
3 *Ex facto oritur ius i.consuetudo.*
4 *Consuetudo inchoata constat ex actibus peccaminosis,cum sit contra legem.*
5 *Consuetudo perfecta est,quæ est rationabilis,& legitime præscripta.*
6 *Rationabilis dicitur,quæ est honesta,& vtilis reipublicæ.*
7 *Causa mala potest producere bonum effectum.*
8 *Mala fides non præiudicat prescriptioni consuetudinis contra legem.*
9 *Consuetudo in dubio præsumitur rationabilis.*
10 *Consuetudo specialiter reprobata non potest censeri rationabilis.*
11 *Tempus eius pracriptionis longum est decennium.*
12 *Consuetudo quando dicatur interrupta.*
13 *Consuetudini sufficit legalis consensus Principis.*
14 *Etiam Papæ Auctoritas non vitalis,s.d legalis.*
15 *Consuetudo non abrogat legem naturæ,nec diuinam,sed eius accidentia.*
16 *Cum sint inducta per legem humanam.*
17 *In voto paupertatis spectantur duo,substantia,& modus eius conseruatiuus.*
18 *Acceptio,Retentio,& Dispositio contra votum paupertatis.*
19 *Consuetudo nihil potest contra substantiam voti.*
20 *Derogat vero circunstantys,& modis illud obseruandi.*
21 *Consuetudo fortior dispensatione.*
22 *Consuetudo retinendi sine licentia,vel cum ea irreuocabili non datur.*
23 *Consuetudo ad superflua dabilis est.*
24 *Ludi prohibitionem abrogare potest consuetudo.*
25 *Meretrici soluendi mercedem consuetudo valet.*
26 *Neque enim turpiter accipit.*
27 *Statutum licentiæ expressæ tolli potest per consuetudinem.*
28 *Vestiarium certum singulis annis.*
29 *Ius commune non reprobat consuetudinem contra accidentalia voti.*
30 *Consuetudo est altera natura.*
31 *Rigidior Regula S.Francisci præ alijs.*
32 *Obseruantia est, vbi est abundantia.*
33 *Clemens,& Vrbanus VIII.reprobant consuetudines in largitione munerum.*
34 *Etiam in Bulla de Apostatis.*
35 *Consuetudo damnata refertur tam ad futuram,quam præteritam.*
36 *Lectio Bullarum non tollit consuetudinem.*
37 *Consuetudo inter obseruantes continuo interumpitur.*
38 *Consuetudo potest contra expressam voluntatem superioris.*
39 *Conuentus quilibet potest introducere consuetudinem.*

40 Con-

40 *Conuentus quot personis constet?*
41 *Moniales inducunt consuetudinem*
42 *Tuti sunt in conscientia post decennium sequentes consuetudinem.*
43 *Nouitij non tenentur profiteri Regulam rigorosam.*
44 *Securi sunt in conscientia profitentes mitigatam.*
45 *Censentur eam profiteri etiam si expraße id non intendant.*
46 *Cogi non possunt seruare Regulam reformatam, quam non sunt professi.*
47 *Crescere nemo tenetur.*
48 *Vt dicit S.Bernardus.*
49 *Contrarium docent multi.*
50 *Intelligi possunt respectu consuetudinis inchoatæ.*
51 *Tenentur ergo ad reformationem solum venientes.*
52 *Consuetudo perfecta fauet professis ne teneantur recipere reformationem.*
53 *Conuentuales S.Franscici non dicuntur relaxati.*
54 *Præcepta Regulæ consuetudo abrogare potest.*
55 *Votum quadragesimale Mimorum ab rogari consuetudine non potest.*
56 *Castitatis votum inabrogabile, eius tamen accessoria abrogantur.*
57 *Sicut & ordinationes fauore voti paupertatis.*
58 *Votum paupertatis afficit singulariter personas,*
59 *Non communitatem.*
60 *Professio est actus personalis.*
61 *Communitas donando non facit contra votum paupertatis.*
62 *Commune non est proprium.*
63 *Consuetudo non habilitat personam nisi indirecte abrogando legem.*
64 *Superior consuetudine præscripta non peccat, sicut nec subditi.*

PRæmittenda sunt nonnulla de consuetudine, quæ faciunt ad intelligentiam dicendorum circa obseruationem voti paupertatis.

1 Consuetudo autem definitur, quod sit ius moribus institutum, quod pro lege suscipitur, quando lex deficit. Ita Gratianus ex Isidoro cap. consuetudo 5. dist. 1. Pro cuius explicatione vide *Sayr. lib. 3. Clauis cap. 11. num. 1. Suarez lib. 7. de legibus, Castropal. tom. 1. disp. 3. par. 1. Gotonium lib. 1. contr. 2. cap. 1.* Consuetudo spectari potest dupliciter respectu temporis, nempe vt inchoata
2 consistens in frequentatione actuum, respectu quorum dicitur quid facti, dum consistit in illis actibus illam paulatim, & successiue constituentibus, & vt perfecta consistens in iure non scripto, quod incipit obligare, & habere vim legis, finito præscriptionis tempore, quo prior lex cessat per abrogationem illius factam ab introducta consuetudine rationabili, & legitime præscripta. Consuetudo igitur prius est in facto, deinde transit in ius, factum enim dicitur
3 causa productiua iuris, ad quod facit illud pronuntiatum: Ex facto oritur ius.

4 Cum autem consuetudo ab initio sit debilis, & imperfecta, cum adhuc vigeat lex, contra quam paulatim introducitur, necesse est, quod originem trahat ab actibus peccaminosis, cum sint contra legem adhuc obligantem, & quandiu lex durat, ipsa consuetudo remanet imperfecta, & in nullo subleuat operantem contra legem. Cum vero de imperfecta fit perfecta, tunc cum lex cesset, & uires amittat, consuetudo incipit habere vim legis, & prodest valde

subditis, qui non amplius peccant contra legem, quia hæc defecit quo ad se, & quo ad obligationem. Ita omnes *cum Bonac. disp.1. de legib. quæst.1. p. fin. §. 3. num.45. Suarez lib.7. cap.18. nu.24. Sanch. lib.7. disp.4. nu.14. Castropal. de consuet. p.1. §.1. num.6.*

5 Vt autem consuetudo de imperfecta fiat perfecta potens destruere legem, duo sunt necessaria, primum est, quod sit rationabilis; secundum, quod sit legitime præscripta, vt clare colligitur ex cap. fin. de consuetud.

6 Rationabilis tunc est consuetudo, cum non est de re turpi, sed honesta, & vtili reipublicæ, quia vt transeat in naturam legis eius conditiones habere debet, quæ sunt honestas, & vtilitas reipublicæ. Ita omnes *cum Sanchez lib.7. disp.4. nu.4. Castropal. p.2. §.1. num.1. Cotonius lib.1. contr.2. cap.2. num.8. Diana resol.1. de consuet. Pasqual quæst.397. num.4.*

Sunt in contrarium argumenta, nam *Primo* impossibile, illam esse rationabilem, cum inducatur ex actibus peccaminosis, ex supradictis, ex quo sequitur. quod sit omnino irrationabilis. *Secundo* patet eius irrationabilitas ex mala enim fide introducitur, ergo nec præscribi potest ex Reg.2. in 6. quod possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit, ergo ex his prorsus tollitur ius consuetudinis.

Resp. Ad primum, illud esse contra consuetudinem inchoatam, illa enim consurgit ex actibus peccaminosis, non contra consuetudinem perfectam, quæ lex est non scripta, ac proinde rationabilis; quandoque enim ex causa

7 mala sequitur bonus effectus, mors enim Christo inflicta per turbas fuit bona, licet processerit à mala causa, iuxta illud: *Actio displicuit, passio grata fuit*. Bonac. *cit. num.45. & 46. Suarez lib.7. cap.18. num.24. ex illis Castropal. num.3.* dicunt, esse rationi consonum, & reipublicæ expediens ne vltra culpa progrediatur, & subditi ad obseruantiam rei difficilis tanto tempore ligentur.

8 Resp. Ad secundum assignando disparitatem, nam in præscriptionibus rerum requiritur ab initio bona fides, quia agitur de interesse particulari iustitiæ commutatiue, quæ bonam fidem exigit, sine qua non potest inchoari legitima præscriptio. In præscriptione autē legis de nullius interesse agitur, nec locum habet iustitia commutatiua, ideo præscriptio inchoari potest, immo necessario inchoatur cum transgressione legis. *Cardin. de Lugo disp.7. de iust. n. 96. Cotonius cit. num.8.*

9 An autem in dubio censenda sit rationabilis? Sic, nam vt inquit Suarez *lib. 7. cap.18. num.9.* minor causa requiritur ad tollendam legem, quam ad statuendam eam de nouo. Ita *Sanch. lib.7. disp.4. Suarez lib.6. num.15. ex illis Castropal. par.2. §.1. num.5. Diana par.6. tract.5. resol.1. & 9. Cotonius nu.10.* Quando autem consuetudo fuit à lege reprobata, tunc in dubio an sit rationalis,

10 standum est pro lege contra consuetudinem, quia constat de lege, & dubitatur de consuetudine. Ita præcitati, cum Diana resol.1. de consuet.

11 Longum tempus, quo præscribitur consuetudo, & vt perfecta legitimatur cum abrogatione, & destructione legis, est decennium, quia hoc tempus, *l. fin. C. de præscript. longi temp. & Instit. de Vsucap. §.1.* Vocatur longum, ita vt infra hunc numerum minus tempus dici non potest longum. Ita melior sententia *cum Bonac. p. fin. §.3. num.31. Suarez lib.7. cap.8. num.7. & cap.15. num.5. & cap. 18. num.12. Castrop. par.2. §.2. num.5. Diana resol.2. de consuet.* Qui petunt quadra-

dragenariam intelligendi sunt, quando agitur de tollendis iuribus ecclesiæ, & quando respicit clericum, & laicum simul, Merlin. *decis.* 554. *num.* 5. 6. & 7. alias sufficit decennium, *cum Rota par.* 2. *decis.* 375. *num.* 8. Cotonio num. 16.

12 Consuetudo interrupta infringitur, & nunquam legem abrogat, quia illud decennium à lege præscriptum debet esse continuum, quia præscriptio abhorret interruptionem. Ita *Suarez lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 14. *Castropal. par.* 2. §. 2. *num.* 1. Interrumpitur autem, si à communitate, vel a maiori eius parte fiat contra consuetudinem etiam per vnicum actum. Ita *Panorm. in cap. fin. de consuet. num.* 19. *Reginal. lib.* 10. *num.* 249. *Bonac. num.* 33. *Castropal. num.* 11. Item dicitur interrupta, si à Principe puniantur introducentes eam, *Suarez lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 15. *Castropal. cit.*

Præter illas duas conditiones rationabilitatis, & præscriptionis nonnulli requirunt specialem, & expressum Principis consensum, sed hæc conditio multis rationabiliter displicet, quia illorum opinio est nimis rigida, & nulla daretur legitima consuetudo, Principes enim nolunt aures suas porrigere sub-

13 ditis, nec eorũ preces exaudire maxime cum sint pœnales. Quare communis, & receptissima sententia inquit Castropal. §. 4. num. 3. ait sufficere consensum præsumptum, & legalem desumptum ex cap. fin. de consuet. vbi legislator pro lege admittit consuetudinem rationabilem legitime præscriptam. Ita *Suarez lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 6. *Sanch. lib.* 7. *disput.* 4. *n.* 11. *Bassæus V. eod. num.* 12. Vnde Vericell. de Mission. quæst. 87. num. 12. cum 26. Doctoribus, dicit, sufficere lapsum temporis, & quod consuetudo non sit contra ius naturale, nec diuinum. Vide Dianam resol. 13. de consuet. vbi plura refert in vtranque partem, & cum eo Cotonius num. 22. ea potissimum ratione quod Papa non habet potestatem à populo, sed immediate à Deo & ideo non populus, sed Papæ permittentis auctoritas consuetudinem introducit. Bene dicit, sed du-

14 plex est auctoritas Pontificis, altera vitalis, qua per seipsum personaliter operatur exprimendo suum consensum; altera legalis, per quam voluntatem suam exprimit sine vitali actione, cum ergo statuerit cap. fin. de consuet. consuetudinem rationabilem legitime præscriptam habere vim legis, patet subditos non facere consuetudinem vim habentem legis, sed ipsum Pontificem per suum legalem consensum, quem à Deo habet, & non à populo, qui solum præparat materiam, in quam Pontifex introducit formam legis.

15 Difficultas est, an consuetudo, si non potest derogare legi diuinæ, aut naturali, vt certum est apud omnes scribentes super c. fin. de cons. quos ibi citat Barbosa, possit saltem circa modos, & circunstantias aliquid operari fauore subditorum, eos eximendo à rigore iuris.

16 Resp. Affirmatiue *ex S. Thoma* 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. *cum alijs Barbosa cit num.* 4. Exemplificant in ieiunio, quod est de iure naturæ diuino, quo ad se ipsum, quo ad modum ieiunandi circa abstinentiam ciborum, & quo ad tempus esse in potestate superioris, & consuetudinis, vt experientia docet.

Supradicta de consuetudine sufficiant in ordine ad votum Paupertatis, in qua quærendum est, an locum habere possint in hoc voto, pro cuius rei intelligentia.

17 Obseruandum autem est, quod votum paupertatis est voluntaria abdicatio.

tio proprij, vt dictum fuit cap.1. Omnis autem actus proprietatis ad vnum ex tribus sequentibus capitibus reduci potest, nempe ad Acceptationem rei, Retentionem eiusdem, & Dispositionem recepti, consumando, distrahendo contrahendo &c. Religiosus autem euadit proprietarius exercendo vnum ex illis tribus proprietatis actū, agendo sine licētia expressa, aut tacita, & præsumpta sui superioris; hanc autem licentiam dare non potest irreuocabiliter, vt dictum est cap.17. q.10. quia tunc in agendo se gerit vt dominus, & operatur circa rem pretio æstimabilem tamquam esset propria; ad euitandum ergo proprietatis vitium necesse est agere cum licentia superioris saltem præsumta, vbi non requiritur expressa, aliter violatur votum paupertatis.

18 Duo autem in voto paupertatis considerari possunt. *Primo* eius essentia consistens in abdicatione proprietatis, dum enim nouitius facit professionem promittit Deo, se perpetuo futuro tempore suis bonis renuntiando, agere nolle de illis, vel alijs tamquam dominum, & proprietarium, sed in suis necessitatibus, & vtilitatibus velle dependere à voluntate superioris in bonorum contrectatione. *Secundo* in eiusdem voti obseruatione spectantur circunstantiæ, accidentia, & modi, quibus illud obseruari potest, qui modi, & circunstantiæ consistunt in legibus, & statutis expressis in Regulis Patrum, & constitutionibus singulorum ordinum e.g. quod non teneant apud se pecunias, sed conseruentur in deposito. Quod vestes sint in camera Vestiarij, quod sericis, & vanis indumentis non vtantur; quod superfluis non abundent; quod in confessionibus non recipiant quicquam. His præmissis deuenio ad quæstiones.

Quæres Igitur primo, an consuetudo possit abrogare votum paupertatis quo ad vtrunque hoc est, quo ad eius essentiam, & quo ad eius accidentalia iuxta superius dicta?

19 Resp. Nihil posse contra substantiam non solum voti paupertatis, sed nec aliorum duorum, obedientiæ, & castitatis, potest vero abrogare circunstantias & modos, quibus obseruabilis est paupertas religiosa.

Primum, quod consuetudo nihil possit contra essentiam, & substantiam votorum, pobatur, quia votum professionis quo ad substantiam est totum iuris naturæ, & diuini contra quod consuetudo nihil potest, ex ea ratione, quod Deus nec vitali, nec legali consensu approbat consuetudinem contra ius naturæ, tunc enim Deus consentiret in actus peccaminosos, quibus consuetudo inchoatur, vt diximus supra, est autem hereticum dicere, Deum positiue consentire in malum culpæ. Ita omnes nullo repugnante *cum Nauar. in sum. cap.12. num.30. Rodriq. tom.1. q.69. art.2. Sanch. lib.6. cap.2. num.26. Peyrin. de subd. q.1. cap.8. §.IV. concl.1.*

20 Secundum, quod deroget circunstantijs, & modis, quibus obseruatur votum paupertatis, probatur, quia huiusmodi obseruantię inductæ sunt iure humano, hoc est, vel ab institutoribus Regularum, vel á Summis Pontificibus, vt votum perfectiori modo obseruetur, ergo abrogari possunt per contrariam consuetudinem ex dictis initio huius capitis. Confirmatur, quia consuetudo non est minoris efficaciæ, quam sit dispensatio, immo maioris, dum

21 legem destruit, quod non potest facere dispensatio, quæ subditum eximit ab obseruatione legis, lege remanente pro alijs cum sua obligatione, sed dispensatio operatur ne subditus peccet, quamuis legi non obediat, ergo multo mi-

minus peccat religiosus,cum non amplius vigeat lex rigorosa de circunstantijs in seruando paupertatis voto,abrogata per consuetudinem legitime præscriptam. Ita omnes nullo repugnante, *cum Nauar.cap.12. num.50. Tapia in Auth.Ingressi cap.1.num.64.& 65.Rodriq.in sum.tom.2.cap.95. fine,Sanchez lib.6.cap 2.num.26.Compend.Rodriq.resol.34.num.2.Portellus V.Regula Miranda tom.2.q.28.art.5.concl.3.Lezana par.1.cap.8.num.24.Pyrin.de Subd. quæst. 1.cap.8.§.4.Diana part.11.tract.15.resol.8.Ego cap.2.de profess.q.12.& cap. 18 q.71.num.103.*

Quæres 2.An consuetudine induci possit, quod religiosus possideat aliquid sine licētia cuiuslibet superioris,aut etiam cum licentia,sed irreuocabili?

22 Resp.Negatiue, quia id est concedere proprium, quod immediate, & directe repugnat voto paupertatis secundum substantiam, contra quod consuetudo nihil potest. Confirmatur,quia nec Papa facere potest, quod religiosus talis remanens sit proprietarius sine peccato. Ita omnes præcitati. Quod licentia irreuocabilis non possit concedi, probaui cap.17.q.10.

Quæres 3.An consuetudine induci possit, vt licita sit concessio rerum superfluarum,vt quis habeat plura vestimenta,quibus non eget,imagines plures pretiosas,habitus vanos?

23 Resp.Potest,quia hæc accidunt voto paupertatis, quod adhuc obseruabile est dum ea possidet de licentia sui superioris. Confirmatur,quia hæc inducta sunt iure humano,non diuino,respectu cuius votum paupertatis dicit abdicationem proprietatis,hoc est, non possidere sine licentia superioris.

Quæres 4. An consuetudine induci possit, vt ludens non faciat contra votum paupertatis.

24 Resp.Affirmatiue, quia solum iure humano prohibetur. Confirmatur, quia superior concedit licentiam ludendi, iuxta dicta cap.19.à num.38.ad 48. ergo idem præstare potest consuetudo,derogando prohibitioni.

Quæres 5.An sit licita consuetudo soluendi mercedem meretrici?

25 Resp.Affirmatiue,quia fundatur super actum iustitiæ,meretricium enim est pretio æstimabile,vnde ea non dicitur turpiter accipere,*Glos. V.Licite cap. Ex transmissa 23.de decim.l.Idem §.quoties,ff.de cond.ob turpem caus.* Vnde ne-

26 que repetitur,*Glos.in quæst.5.caus.14.& in cap.qui 8.dist.86.* Vide dicta cap. 17.num.34.Et ex hoc capite non tenetur restituere, præter quam quod in religionibus,in quibus solent concedi licentiæ generales, & indifferenter,præsumitur superior permittere solutionem mercedis,per hoc tamen nolle dare occasionem peccandi subditis. Ita plerique sentiunt *cum Hurtado part. 2. tract.8.cap.8.resol.87.num.870.*

Quæres 6.An consuetudo, quod sufficiat licentia præsumpta induci possit contra statutum ordinis exigentis expressam in contrectando &c.?

27 Resp.Affirmatiue,quia illud statutum est humanum,ergo abrogari potest. Confirmatur quia licentia præsumpta non est contra mentem Patrum,cum eam etiam admittant,vt probaui cap 17.num.3.4.6.& 8. & si esset, adhuc consuetudine tolli posset expressa, cum sit hominis, & induci tacita. Ita *Sanch.lib.7. cap.19.num.7.Suarez tom.4. de Relig.lib.8. cap.11. num.7. Tamb. tom.2. disp.22.q.8. num.3.*

Quæres 7. An valeat consuetudo dandi singulis annis tot pecunias pro Vestiario immo,& pro victu?

28 Resp.

28 Resp. Affirmatiue præsertim quo ad vestiarium, quia cum recipiatur dependenter à voluntate superioris non fit contra votum paupertati, ergo nihil prohibet, quin hæc consuetudo vigeat. Confirmatur ex praxi omnium fere religionum. Dixi cap.19.num.18. Præter ibi citatos idem docent Faber. de Restitut. quest.45.num.109. Sperell. decis.2.num.73. Id tamen mihi non placet, vt ibi dixi, respectu victus, quia tollitur communis vita., & multo dispendiosius est monasterio viuere in particulari, quam in communi, vt experientia docet. Nauar. docet vtrunque & quod talis consuetudo sit licita confirmat exemplo nonnullorum religiosorum, qui hanc consuetudinem practicarunt, & nihilominus inter sanctos sunt connumerati, vt refert sub num. 26. tom.3. de Regul.

Quæres 8. An adsit aliqua constitutio Pontificia, vel ordinis statutum aut Regula reprobans consuetudinem, ne inducatur contra obseruantiam regularem?

29 Resp. Nihil inueni in iure communi, nec in Regulis Patrum reprobans consuetudinem contra nec substantialia, nec accidentalia Regularum respectiue etiam ad tria vota, vnde mirum non est, si facile introduci potest consuetudo contra accidentalia, cum vt plurimum hæc sint etiam sub potestate superiorum, dum per concessionem licentiæ possint mitigare rigorosam obseruationem voti paupertatis, cum enim consuetudo sit altera natura, vt inquit Ari-
30 stot. apud Surdum de Alim. tit.1. nu. 7. & ea vti vitę humanæ cagnosa valentior sit omni lege, vt ait Seneca lib. 5. de benef. cap. 6. Vetus consuetudo naturæ vim obtinet, & quasi est altera natura, inquit Cicero apud Nizolium. Hinc desumitur ratio, cur regulares, non obstantibus tot reformationibus factis in Concilijs, & à Summis Pontificibus, semper prosecuti sunt eundem inueteratum viuendi modum præsertim in materia voti paupertatis, ita quod summi Pontifices non potuerint tot ordinationibus reducere ad rigorosam obseruantiam voti paupertatis, nimirum, hanc difficultatem tribuendam esse ipsi naturæ, quæ spectatis indigentijs religiosorum, & casibus occurrentibus, aliter nō potest operari, nisi viuere eo modo, quo naturaliter dicitur homo. Et radix huius imperfectionis ortum habet ex defectu consistente in Mendicitate, vnde vbi non est magna abundantia, non potest introduci rigorosa obseruantia, secundum Lupum *Abbatem Canobij Ferrar. Ep. 42. & post cum S. Bernardus, apud*
31 *Poncinm lib. 3. de Matrim. cap. 7, num.* 20. Mendicitas enim cito facit euanescere obseruantiā, vt constat in religionibus pauperioribus, quę cum non possint suis alumnis adęquate prouidere, concedere illis coguntur amplam licentiam procurandi sibi vtilia, & necessaria; nec in hoc aduersantur Patrum Regulis, & Summorum Pontificum Bullis, qui rigorosam obseruantiam supponunt, quando illis subministrantur abunde necessaria. Addo, quod Sancti Patres in suis Regulis non intendunt tam rigorosam obseruantiam, vt voluit S. Pater
32 Franciscus in prima sua Regula pro Conuentualibus, Obseruantibus, & Capucinis, quia tam remittunt superioribus, qui non solum expresse vsum peculij concedere possunt, sed etiam illud permittere, vt de hac duplici licentia ad mentem Patrum tractaui cap.17.num.3.4.6.& 8. ideo religiosi, eorum ordinum, qui dicuntur relaxi, non ita sunt appellandi, relatiue ad alios, qui nuncupantur reformati, sed dicendi sunt viuere secundum Regulam, cuius superior habet licentiam amplam, & tacitam, qua recipientes, retinentes, & expenden-

pendentes peculium non sunt transgressores, ideo nec reformatione in hoc egent, quia viuunt secundum Regulam, non enim negant peculij contrectationem de licentia superioris, id enim nulli prohibetur cum licentia, nisi solis Franciscanis primi ordinis, quibus eorum superior non potest dare licentiam tangendi formaliter pecuniam.

33 Dices Clemens VIII. in suis Constitutionibus num. 1. innouat ea, quæ de reformatione Regularium præscribuntur in sacris C nonibus, & Tridentino. Quæ postea Paulus V. Confirmauit, & Vrbanus VIII. extensa in sua Bull. sub num. 25. in qua priori Bulla de Apostatis §. 10. Derogauit contrarijs quibuscunque consuetudinibus etiam immemorabilibus. Et in alia Bulla declaratiua alterius Clem. VIII. de largit. mun. hanc innouat, *quemcumque prætensum non vsum, aut prætensum vsum, seu prætensam consuetudinem damnando, & irritando*. Ergo consuetudines huiusmodi vti damnatæ, & reprobatæ nullo modo possunt suffragari religiosis contra obseruantiam regularem, cum enim sint reprobatę, pro rationabilibus haberi non possunt. Confirmatur, quia legendę sunt in mensa & leguntur de facto, ergo nullas vires recipere possunt, nec præscribi, ea s interrumpente lectura.

34 Resp. primo; Vrbanum VIII. derogasse consuetudinibus, quæ possent esse contrariæ suæ Bullæ de Apostatis, in qua nihil de voto paupertatis. Et quandocunque clausula derogatoria consuetudinis exprimitur in aliqua Bulla,

35 vt est in vsu, restringitur ad consuetudinem præteritam, cum sit id odiosum, ita Sanchez lib. 7. disp. 4. num. 13. nisi damnetur consuetudo vt quid prauum, quia tunc clausula: *Non obstante contraria consuetudine*, non solum reuocat consuetudinem præteritam, sed etiam impedit, ne futura uires recipiat. Ita *Abbas in cap. 2. de probat. num. 7. Bald. lib. 1. cons. 232. num. 2. Couar. lib. 3. Var. cap. 13. num. 4. Suarez lib. 7. de legib. cap. 7. num. 8. cum alijs Vericell. tract. 8. quæst. 31. num. 3.* In Bulla vero declaratiua illiuis de largitione munerum irritat, & damnat prætensam consuetudinem, & quidem specialiter, non per clausulam ordinariam, & merito, quia in Bulla de largitione munerum potissimum prohibetur donatio, quæ ordinatur ad malum finem, ad obtinenda scilicet officia, quod sapit simoniam, & ideo ea damnatio consuetudinis referenda est ad futuram quoque cum non possit introduci, cum de se sit praua, & irrationabilis fouens peccatum ambitus, & simoniæ. Sed ex hoc nihil contra nos. Nec refert, quod legantur, quia lectio refertur ad memoriam, non ad tollendam

36 consuetudinem iam præscriptam, est præterea actus speculatiuus, non practicus qui necessarius est ad conseruandam, vel tollendam legem, & consuetudinem, leguntur ergo sed non practicantur, consequenter lectio in nullo præiudicat præscriptæ consuetudini.

37 Scio Sanctorum de Melfio Reformatorũ minorũ Obseruantiæ in suo opere de examine destrictionum pœnal. c. 6. diffic. 1. casu 14. multis probare, consuetudinem introduci non posse legitimam contra Regulam primam Sancti Frãcisci maxime in materia voti paupertatis, cuius rationes non iudico, an id probent, solum dico id verum esse præcise, quia superiores in singulis capitulis innouant statuta de obseruantia voti paupertatis, ita quod attentata consuetudo vti interrupta legitime à subditis præscribi non potest. Eius doctrinam, & rationes refert alter Reformatus eiusdem Ordinis F. Illuminatus Moronus in opusculo inter *Bigaduas vehens controuersias*, *Bergomi* 1651. à fol.

51.& impugnat putans contra fuisse à Melsio scriptas. Quæ cum non faciant ad rem præsentem prætereo. Reuera melius esset pro illis allegare consuetudinem inter obseruantes de familia, quam lacerare consuetudinem, attenta infirma conditione religiosorum, quibus vere non subuenitur ob peruniam.

Quæres 9. An induci possit consuetudo contra expressam voluntatem superioris resistentis consuetudini?

38 Resp. Affirmatiue, quia hæc resistentia non sufficit ad eam interrumpendum, nec ad tollendum iam præscriptam, quia ad vtranque infirmandam tam inchoatam, quam perfectam requiritur vel positiua eius derogatio facienda per superiorem habentem vim ferendi legem, vel quod maior pars communitatis faciat contra consuetudinem; sed solus superior hanc potestatem non habet, ergo consuetudinem interrumpere non potest inchoatam, nec perfectam tollere, cum facta sit lex, quam solus legislator, vel maior pars communitatis abrogare potest. Quod inchoata consuetudo interrumpatur à legislatore, vel à maiori parte communitatis probaui supra sub nu. 12.

Quæres 10. An vnicus conuentus possit consuetudinem introducere? An vero corpus vnius Prouinciæ? An autem requiratur consensus maioris partis religionis?

39 Resp. Quilibet conuentus potest introducere consuetudinem. Probatur, *ex l. De quibus 32. l. Ad ea 35. ff. de legib.* vbi quod populus, seu ciues possunt inducere consuetudinem; sed quilibet conuentus formalis constat ex populo, & suis ciuibus, constituitur enim ex multitudine religiosorum, & sicut populum constituunt decem homines, *ex Glos. V. Duo cap. 1. de elect. per cap. 3. 10. quæst. 3.* Ita & decem religiosi constituunt conuentum ad introducendam consuetudi-

40 nem, licet ad alium effectum ibidem dicatur, quod duo, vel tres faciunt congregationem, *Glos. V. Vbi congregatio cap. 1. 10. quæst. 1.* Conuentus dicitur, vbi duo sunt, vel plures simul conuiuentes *Glos. V. In conuentuali cap. Nobis fuit 25. de iurepatr. Glos. V. Ecclesijs extr. com. Ne sede vac.* Dicitur autem conuentus eò quod ibi homines conueniant in vnum, *in fine cap. 4. dist. 15.* Confirmatur, quia ad inducendam consuetudinem sufficit populus, & communitas, quamuis de facto ipsa legem facere non possit de se, potest tamen de consensu legali legislatoris inducere consuetudinem, & se eximere à iugo legis derogatæ per consuetudinem, vt docent *Bonac. disp. 1. de legib. quæst. 1. par. fin. §. 3. num. 13. & 28. Suar. lib. 7. cap. 9. à num. 7. cum alijs Castropal. par. 3. de consuet. num. 4. Vers. Dicendum.* Quilibet autem conuentus importat communitatem iuxta supradictum numerum, ergo potest inducere consuetudinem, etsi non posset ferre leges.

41 Idem omnino dicendum est de monialibus ob prędictas rationes, sicut enim sunt capaces recipiendi leges, ita & habiles eximendi se ab illis, per introductionem consuetudinis. Ita *Suarez lib. 7. cap. 16. num. 11. Bonac. cit. num. 15. Castropal. num. 6. Vers. Fit secundo. Diana resol. 14. de consuet.*

Quæres 11. An introductores consuetudinis possint impune ea vti transacto decennio? Ratio dubitandi est, quia nemo ex sua iniquitate commodum reportare potest.

42 Resp. Affirmatiue, quia posita præscriptione, lex iam per consuetudinem abrogata non amplius obligat, ac proinde eius transgressor non amplius dicicitur, & sic nec peccat, vti ergo consuetudine potest, quę eũ excusat a peccato.

Qua-

Quare cum perfecta consuetudo sit lex fouere debet subditos,qui sicut in ea inchoanda passi sunt incommodum, & detrimentum ita & per eandem perfectam sentire debent commodum exemptionis,vt non peccent. Et sic patet ad ad rationem dubitandi. Ita *illuminatus Moronus Resp.3.num.16.*

Quæres 12. An Nouitij teneantur profiteri secundum rigorem Regulæ? An vera possint profiteri secundum relaxationem Regulæ?

43 Resp. Non tenentur profiteri Regulam ad literam, sed possunt profiteri eam collapsam prout seruatur à professis. Ratio est,quia consuetudo seruandi Regulam mitigatam est communis professis, & nouitijs, qui aliam obseruantiam non intendunt, nisi eam, quam experiuntur similem professis, igitur dum similem cum professis vitam degere debent, ad aliud non intendunt se obligare, nisi quod à professis obseruatur, ideo enim profitentur, ut communem cum illis vitam degant sic ratione dictante, debent enim esse vnius moris, qui in eadem domo habitant secundum Psalmistam; neque enim in eodem monasterio sociari debent homines disparis professionis, ex Clem. 1. de elect. Nec illis obstat certus rigor obseruantiæ,quia ille adhibetur, vt experiantur,an sibi placeat talis modus viuendi. Et cum iuuenes vlterius non speculentur,attendentes solum ad id,quod à professis fit, aliud certe non intendunt,nisi viuere eo modo,quo professi vitam degunt. Nec expedit,immo imprudentis est, illos inducere ad professionem rigorosam, dum commoraturos cum professis in conuentibus,vbi viuitur secundum consuetudinem, certum est, esse victuros secundum consuetudinem,& exigit communis aliorum vita. Heu malum est reformari ab extraneis,qui nunquam experti sunt vitam regularem, status enim plus experitur in domo sua, quam sapiens in extranea.

44 Securi ergo sunt in conscientia nouitij profitentes Regulam secundum consuetudinem mitigatam,quia cum ea sit legitima præscripta, non peccant, dum non amplius sit illa obseruanda cum suo rigore, sublata quo ad hoc per eam consuetudinem,quæ omnino excusat, nam professus tunc operatur ad tenorem suæ professionis. Ita Doctores citati sub quæst. 1. Moronus Resp.3. num.131.

Quæres 12. An vt nouitij sint tuti in conscientia debeant habere expressam intentionem profitendi Regulam mitigatam, an sufficiat implicita virtualiter contenta in consuetudine sic viuendi?

45 Resp. Sufficit implicita. Tum quia eadem est virtus taciti, ac expressi, viribus vulgatis. Tum quia quilibet nouitius intendit sequi mores eorum, cum quibus conuersatur,nec eius mens est irrationabilis, cum ea, quæ publice ab omnibus fiunt de se indifferentia pro bonis habeatur vident enim professos expendere pecuniam, carnes comedere diebus mercurij e.g.& tempore Aduentus Domini,portare camisias lineas, domire in linteaminibus pariter lineis &c.ergo talem vitam intendunt prosequi,qualem ducunt professi. Tum quia nouitius profitetur eam Regulam prout nunc obseruatur, non enim discipulus debet esse maior magistro,sed sufficit illi esse sicut magister,Matth. 10.25. ad præsentem enim modum viuendi diriget suam professionem, ergo censetur profiteri Regulam prout nunc obseruatur.

Aduertat nouitius,si in loco,vbi peragit nouitiatum,sit aliqualis reformatio,non tenetur secundum illam profiteri, sed multum illi expedit profiteri

Regulam iuxta quod profitetur,& ſeruatur in conuentu ſuæ filiationis, quia cum illis debet ſe conformare,cum quibus viuere debet,aliter eſt illaqueare animam. Quare mihi non placet diſtinctio Conuentuum Reformatorum, & non Reformatorum, dum profeſſis de recenti poſt aliquot tempus tranſitus conceditur ad alios conuentus non recenſitos inter Reformatos, aliter in eodem conuentu eſſent religioſi profeſſi diſparis obligationis, & obſeruantiæ, quod iuribus reprobatur.

Quæres 14. An profeſſi Regulam ſecundum præſentem conſuetudinem, qua nunc obſeruatur, cogi poſſint á Pontifice Romano, aut á generali capitulo ad eiuſdem Obſeruationem ſecundum rigorem, quo ab initio obſeruabatur, & eadem obligatione?

46 Reſp. Poſita legitima præſcribtione conſuetudinis,iuxta dicta initio huius capitis, profeſſi Regulam mitigatam non poſſunt cogi ad obſeruationem rigoroſam eiusdem,quia hanc profeſſi non ſunt, ſed illam,cum ergo rigoroſam obſeruare non ſe obligarunt,ad hanc cogi non poſſunt ex vi voti profeſſionis.

47 *Confirmatur*,quia nemo cogitur creſcere, cap.2.diſt.54.Nauar.conſ.16. de Regul.num.6.vbi probat,nec Romanum Pontificem poſſe cogere profeſſum vnius religionis tranſire ad aliam,quam non vouit,ergo qui non vouit Regulam rigoroſam,ſed mitigatam,ad hanc cogitur, & non ad illam quia eam non vouit; id enim eſt aliqua ratione tranſire ad aliam religionem. Et id patet exemplo,nam e.g.Carmelitani obſeruantes Regulam mitigatam non poſſunt cogi ad tranſeundum ad Diſcalceatos, qui ſeruant Regulam reformatam. Comprobatur id ex S.Bernardo de Præcepto.& Diſpenſ.his verbis: *Ergo Prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, vel vltra*

48 *extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi; Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate.* Profeſſus ergo cogi non poteſt ad id,quod Deo non promiſit; ſed Regulam rigoroſam non promiſit, ergo nec ad eam cogi poteſt. *Corroboratur* id ex modo, quo Innocentius X.inchoauit Reformationem Regularium,nam eam generaliter non indixit,vt fecit Clem.VIII.ſed tantum pro conuentibus deſignandis puta locis nouitiorum,& profeſſorum,ad quos conuentus profeſſi non coguntur tranſire, ſed tantum qui volunt accedunt, (locum mutant, ſed non mutantur:) id autem eſt certum argumentum, quod profeſſi Regulam mitigatam cogi non poſſunt ad ſubeundam reformationem, dum in eadem religione diuiduntur conuentus,& quod mirum profeſſi ſecundum hanc reformationem, non prohibentur poſt certum tempus traſire ad alios conuentus non deſignatos, ergo non uidetur congruum, quod debeant profiteri Regulam reformatam, ſi poſtea poſſunt viuere cum alijs non reformatis,cum quibus ſe accommodare debent, vt dicebam ſupra. Et hæc certe deploranda, quia monaſteria & religiones irreparabile detrimentum paſſæ ſunt, vt omnes de propria ſcientia,& experientia fatentur. Quare profeſsi cogi non poſſunt,ſed ſolum venientes ad religionem poſt inchoatam reformationem, ſed non videtur proficua,ſi poſſunt tranſire poſt profeſsionem ſub reformatione ad conuentus non reformatos, ob adductas rationes. Vide Caſtrumpal.diſp.4.de voto relig.obed.p.4.num.11. Moronum ex eo in Biga Reſp. 1. num.132.& 138.

49 Contrarium,quod omnes profeſſi teneantur Regulam reformatam á Ponti-

tifi-

tifico, vel à Capitulo Generali obseruare non tantum futuros post reformationem, sed etiam professos ante illam, tenetur fere ab omnibus, docent viginti Doctores allegati à Sanchez, quos sequitur *lib.6.cap.2.num.35. Layman. lib. 4. tract.5.cap.9.quæst.4.Suar.tom.3, de Relig.lib.10.cap.8.num.19.cum eis Castro. pal.cit.nu.* 10. & alij. Probatur à Sanchez, quia subijciens se alicui ad aliquem finem, se quoque subijcit in ijs, quæ valde necessaria sunt ad illum finem, quale est, Regulam iam collapsam reformari. Confirmatur ab eodem, nam sponte sua profitens in religione ita se Regulæ, & vitæ religiosæ se subijcit, vt paratus esse debeat, quantum est ex se ad procurandam illius obseruationem, quare si bonus status religionis collapsus est, tenetur pati vt instauretur, & sic per consequens tenebitur obseruare Regulam sic instauratam. Addit Castropal. eam rationem, quia illa reformatio non est noua austeritas, sed antiquæ debita restitutio. Confirmat, quia Capitulo Generali concessum est posse erigere religionem collapsam, nouis constitutionibus eam reparando, sed hoc efficaciter præstare non potest, nisi cogendo subditos ad eam obseruantiam, ergo reformatione posita omnes ad eam tenentur.

50 Respondendum est ad hæc argumenta, quæ non vrgent, & si quid probant, illud facit contra consuetudinem inchoatam, non perfectam, illa enim cum nondum sit præscripta non potest tollere legem professionis quo ad accidentalia in Regula præscripta obseruanda, ideo professus viuere debet iuxta tenorem suę professionis, & tueri non potest ea consuetudine imperfecta, quæ cum excusare non potest à peccato obseruationis contra ea, quæ sunt in Regula expressa. Quare.

51 Ad primum argumentum ex Sanchez dico, verum esse, illum, qui se subijcit alicui ad aliquem finem, se quoque eidem subijcere in ijs, quæ necessaria sunt ad illum finem; sed cum professus se professione subiecerit superiori iuxta nunc emissam professionem Regulæ mitigatæ, eidem superiori se subiecit respectu eorum, quæ necessaria sunt ad illum finem scilicet seruandi Regulam mitigatam, non rigorosam, quam nunquam intendit obseruare, dum non dedit ei initium in anno probationis. Eadem responsio datur confirmationi, nam sponte profitens ita se subiecit vitæ religiosæ, vt debeat esse paratus ad conseruationem illius procurandum non simpliciter, sed iuxta modum, quo fecit professionem; quare cum fuerit professus Regulam mitigatam, sufficit illi procurare conseruationem, & obseruantiam Regulæ mitigatæ, & non rigorosæ, quam non fuit professus, nec ad eam se obligauit, nec tenebatur, quia professionem emisit secundum vsum, & consuetudinem, quæ vigebat tunc.

Ad argumentum Castropalai dico, sicut reformatio est noua actio, ita nouum est eius obiectum austeritatis, nam hæc tantum materialiter existebat, non formaliter, cum nullas uires haberet destructa, & sublata per contrariam consuetudinem perfectam. Posita ergo illius austeritatis restitutione ad eam tenentur post modum profitentes, non vero professi ante illam, quia non se obligarunt ad eius obseruationem, vnde nec ad eam cogi possunt. Quod comprobatur ex nouis modis reformandi, qui nunc exercentur, dum nemo cogitur adire conuentus reformatos, vt supra dictum fuit. Quod certum argumentum est, securos esse in conscientia viuentes sub Regula mitigata non minus, quam viuentes sub rigorosa. Ad eius confirmationem datur idem responsum, Capitulum Generale posse quidem erigere Regulam colla-

collapsam non vero cogere professos mitigatam obseruare restitutam, quia hanc obligationem non sibi imposuerunt, & quamuis per iam professos Capitulum producere, & restituere obseruantiam Regulæ collapsæ in pristinum, potest tamen id efficere per professuros, posita reformatione. Itaq; hac communi distinctione quibuscunque argumentis occurri potest.

52 Consuetudo igitur decennio legitime præscripta multum valet profitentibus secundum illius tenorem, cum rigorem Regulæ pænitus sustulerit, ita quod sic professi cogi non possint ad reformationem obseruandam, quia id esset ei imponere nouum iugum, ad quod non se obligarunt. Vnde religio non dicitur relaxata, vbi contraria consuetudine obstante non obseruantur accidentalia trium votorum, quæ non important illorum essentiam, & substantiam, sed tantum quandam illorum perfectionem, quæ consuetudine tolli potest. Ita *Silu. V. Religio 3. quæst. 12. Rosella V. eod. 2. num. 12. Abbas in cap. Super eo, de Regul.* dicentes, professos non teneri ad Regulam reformatam, apud Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 41. qui præcedent. numer. 29. dixerat, consuetudinem, posse abrogare non substantialia votorum, sed præcepta, per quæ tenditur ad eorum perfectionem. Vnde Faber. de Re-

53 stitut. disp. 45. nu. 84. dixit, Conuentuales non viuere relaxate, quia relaxatio supponit vigorem præceptorum Regulæ, quod tamen falsum est, quia eis derogatum fuit per consuetudinem, ergo dici non potest, eos viuere relaxate, dum non amplius vigent præcepta. Sanctorus de Melsio de penis cap. 17. fol. 203. dicit, quod profitens expresse Regulam pro ut nunc seruatur, & non vltra, non tenetur in foro conscientiæ ad reformationem inductam.

Quæres 16. An consuetudine abrogari possint statuta, & præcepta expressa in Regulis? E.g. ieiunium Veneris, Aduentus Domini, licentia expressa in recipiendo &c.

54 Resp. Affirmatiue, quia hæc sunt præcepta consequentia essentiam ipsorum votorum, ac proinde illis accidentia, consequenter abrogari possunt sine destructione votorum. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 2. num. 29.* de præceptis in Regula prima S. Francisci, *Nauar. cap. 12. num. 50. Rodriquez tom. 1. quæst. 69. artic. 2. Peyrin. ad constitut. 4. Iulij 11. num. 21.* Et alij omnes. Vo-

55 tum vitæ Quadragesimalis quartum solemne Minimis debitum certe abrogari non potest, nec in se, nec in suis circunstantijs, cum in seipso sit totum substantiale, negat enim simpliciter comestionem prohibitorum in Quadragesima, nimirum Carnem, & lacticinia, quamuis enim hoc votum quo ad materiam sit diuisibile, ex quo componitur ex carne, & lacticinijs inter se diuisis, & diuersis, tamen quo ad formam, quæ est ab illis abstinentia consistit in indiuisibili, nec ad sui executionem non requirit aliud præceptum, quam ipsam abstinentiam, ideo consuetudo illud infringere non potest, cum carent præceptis accessorijs.

56 Consuetudo in voto Castitatis nihil potest, quia de iure naturæ importat abstinentiam a venereis, quod consuetudine tolli non potest, vt dixi supra num. Possumus autem illi assignare præcepta ieiuniorum, mortificationum, disciplinarum, mortificationis corporis &c. Et cum hæc sint accessoria, & conseruatiua eius perfectionis, in his potest consuetudo, quia sunt extrinseca substantiæ Castitatis. Ad perfectionem quoque voti pauper-

57 tatis pertinent multa illo accessoria, vt licentia expressa, retentio super-

fluo-

ltorum, equitatio, pluralitas vestium, abstinentia à camisijs, & interulis lineis &c. In his potest consuetudo, quia sunt extra substantiam voti paupertatis, quæ est abdicatio proprietatis in eo consistens, vt professus nihil possit contrectare independenter à voluntate superioris, tamquam rei contrectatæ proprietarius, & dominus; atque in hoc nullatenus potest consuetudo, quæ abrogare non potest votorum substantiam, sed solum tollere præcepta illis accessoria. Et hoc à fortiori verum est respectu eorum statutorum, quæ non habent rationem præcepti, sed solum simplicis ordinationis ad nullam culpam obligantis cuius generis sunt statuta, & constitutiones omnium fere ordinum, vnde mirum non est, si consuetudo has facilius tollere potest.

Quæres 17. An Fratres Minores ex consuetudine possint fieri habiles ad possidendum bona in communi? Sermo est de obseruantibus, eorum Reformatis, & Capucinis. Videtur, quod non, quia consuetudo non potest habilitare personam ad aliquem actum, cuius est incapax, eius enim effectus est abrogare legem, non tollere personæ inhabilitatem inductum à iure naturę, seu diuino fundatam in professione solemni.

58 Resp. Possunt, quia votum paupertatis cadit super professos in particulari, ne habeat proprium in singulari, quod est commune omnibus religiosis; & ideo contra huiusmodi votum essentialiter acceptum, iuxta mox dicta, nulla consuetudo potest. Quod uero non habeant proprium in communi est ex præcepto Regulæ, non ex uoto, ipsa enim non uouet, nec eius alumni id fa-

59 ciunt, quia professio non est communitatis, sed actio personalis singulorum. Non habere ergo in communi humanum pręceptum est, non votum, ideo consuetudine abrogari potest. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 25. num. 16.* contra nonnullos, & Azorium *par. 1. lib. 12. cap. 23. q. 8. fine, atque Donatum par. 2. tract. 11. q. 51.* probantes quia uotum eorum paupertatis includit paupertatem non solum in singulari, sed etiam in particulari. Sed hæc ratio est falsa, quia luce clarius est, uotum paupertatis afficere profitentem ratione sui, non ratione communitatis, tum quia professio est actus personalis, ergo non se exten-

60 dit ad communitatem. Tam quia conuentus non committit actum proprietatis donando, Megal. consf. 33. num. 15. ergo nec professi, qui nihil sunt

61 præter conuentum collectiue sumpti. Tum quia proprium dici non potest,

62 quod est commune, *cap. Sicut* 8. *dist.* 47. Sed nouitius Minorum facit professionem uiuendi sine proprio, ergo non uiuendi sine communi, ergo prohibitio procedit ex Regula, non ex uoto professorum.

63 Ad rationem dubitandi ex his respondetur, consuetudinem non posse quemquam habilitare, quia eius est legem abrogare, non personam habilitare. Vel dic eam habilitare mediante, & indirecte abrogando legem, propter quam persona erat inhabilis facta. In casu antem nostro Fratres Minores non sunt incapaces, nec inhabiles respectu monasterij, cum non vouerint pro ipso Monasterio, sed pro ipsis tantum, ergo non occurrit dicere, quod consuetudo non potest tollere inhabilitatem ab illis, cum non sit. Immo posito, quod eorum professio sit communis ipsis, & Monasterio, & quod proinde ipsum Monasterium dicatur in agendo contra votum proprietarium, adhuc consuetudo destruere potest incapacitatem, & ponere in eis ratione communitatis habilitatem ea ratione, quia ea inhabilitas oritur ex constitu-

tio-

tione ecclesiæ, quæ votis apposuit solemnitatem, quæ professum reddit incapacem proprij.

Quæres 17. An superior negligens in faciendo obseruare Regulam permittendo contrarium vsum, & non contradicendo peccet mortaliter?

64 Resp. Affirmatiue antequam consuetudo præscribatur, post vero non peccat, Probatur, quia superior est custos, non destructor Regulæ, ex Lessio lib. 2. cap. 41. dub. 9. §. Quinto ergo debet ea custodire procurando, vt à subditis obseruetur, dum adhuc viget. Postquam vero contra eam obtinuit consuetudo legitime præscripta, non tenentur professi ex dictis supra, ergo neque superior, cum non debeat esse deterioris conditionis subditorum, omnium enim communis debet esse obligatio, & obseruatio. Verum quid est, quod consuetudo non semper est contra omnia in Regula præscripta, sed tantum contra aliqua V.g. præscripsit ieiunium Aduentus, non vero ieiunium Veneris. Quare curare debet, vt prosequatur ieiunium Veneris, non vero Aduentus, nisi velint cedere iuri suo vel ex deuotione seruare aliquot dies in singulis hebdomadis.

C A-

CAPVT XXII.

De peccato contra votum Paupertatis, seu de vitio Proprietatis.

1 *Proprietarius & religiosus agens æstimabile pretio sine vlla licentia.*
3 *Tres sunt actus vitij proprietatis, Acceptio, Retentio, & Dispositio.*
4 *Vt quis peccet contra votum paupertatis tria requiruntur.*
5 *Nouitius vlterius dicitur post professionem, si sit in valide professus.*
6 *Licentia generalis pro libito data excusat à vitio proprietatis.*
7 *Licentia hæc iusta est respectu dationis ex causa præcedenti mala.*
8 *Vitium proprietatis includit duas malitias, furti, & sacrilegij.*
9 *Potest dari vna malitia, sine altera.*
10 *Paruitas materiæ datur excusans à mortali.*
11 *Ea autem non mensuratur à malitia furti, nec sacrilegij, sed à re, & licentia.*
12 *Materiæ quantitas in actu Acceptionis mensuratur à re, & carentia licentiæ.*
13 *Acceptio, & depositio accepti non mensuratur à tempore.*
14 *In actu Retentionis spectatur tempus breue, vel diuturnum.*
15 *Actus illi tres Acceptionis, Retentionis, & Dispositionis arguunt tria peccata.*
16 *Proprietatis peccatum est contra iustitiam.*
17 *Peccare quis potest contra votum, & non esse proprietarium.*
18 *Causa moralis non tollit conditiones rerum naturales, sed morales tantum.*
19 *Desiderium habendi proprium est vitium proprietatis.*
20 *Prouincialis excedens in numero nouitiorum non peccat contra votum paupertatis.*
21 *Proprij obiectum est res incapax rationis.*
22 *Actus proprietatis diuersus ab actus iurisdictionis.*
23 *Multitudo vltra numerum non est causa relaxationis paupertatis.*
24 *Numerus religiosorum præfixus est inobseruabilis.*

1 SOlidum, & firmum est hoc fundamentum, quod religiosus professus vere tunc facit contra votum paupertatis, & euadit proprietarius, hoc est, peccat contra ipsum votum, quando sine licentia superioris saltem præsumpta, exercet vnum ex his tribus actum, nempe accipiendo aliquid pretio estimabile, vel receptum retinendo, aut acceptum, vel retentum disponendo. 2 Nam paupertas, & proprium ita opponuntur, vt qui vult esse proprietarius non potest esse pauper, siquidem paupertas dicit abdicationem proprij á se, proprietas vero aquisitionem. Dum ergo religiosus professione vouet paupertatem abdicando á se proprium, priuat se præfatis tribus actibus, quos auctoritate sua, nec proprio nomine, vult exercere, sed solum id præstare, cum opus sit, de licentia sui superioris, eius nomine, & auctoritate, atque dependenter ab eodem. E contra vero, si illos exercet sine licentia, independenter a superiore proprio nomine, & auctoritate, non dicitur age-

re secundum tenorem voti paupertatis, ergo illi adhæret, & consequenter euadit proprietarius, & peccat violando votum paupertatis. Et in hoc omnes de hac materia agentes conueniunt, & patet ex dictis in præcedentibus capitibus.

3 Actus ergo proprietatis sunt tres, ad quos cæteri omnes reduci possunt, & sunt isti Accipere, Retinere, & Disponere. Priores duo noti sunt, ideo super illis nihil dico. Disponere est actus nimis amplus, & generalis, quo significatur quilibet actus, quo aliquid destrahitur, donando, alienando, vel contrahendo, proijciendo, consumando, dando &c. Sub primo capite num. 27. reduxi ad quatuor capita, tribus dictis adiungendo Dare, quem hic suppono actui Disponere, qui enim dat satis disponere dicitur.

4 Colligitur hinc, vt quis faciat contra votum paupertatis, & peccet tria esse necessaria. *Primo*, quod sit professus, aliter faciendo unum ex illis tribus actibus non peccat contra votum paupertatis, quod emittitur in professione, cum illi nondum sit obligatus; quare Nouitius non potest dici proprietarius, nec facere contra votum paupertatis, quia illud nondum vouit. *Secundo*, professus ficte, vel aliter professione nulla existente, non est reus vitij proprietatis, quia nulli voto se obligauit, ad quod necessaria est valida professio,

5 unde adhuc dicitur nouitius, dum uere professus non est, ut dicit Sanchez lib. 7. cap. 5. num. 55. *Tertio*, ut unum ex illis actibus uere professus exerceat sine licentia superioris proprio nomine. Hæc ergo tria requiruntur ut peccet quis contra uotum paupertatis, quod sit professus, & quidem ualide, & quod agat sine licentia. Nullus contradicit.

6 Qualis antem debeat esse huiusmodi licentia, dictum fuit late cap. 17. ubi sub quæst. 5. probaui, superiorem posse dare subditis licentiam generalem utendi pro suo libito præscindendo ab usu licito, uel illicito, quæ abutentem excuset a uitio proprietatis, in tantum enim religiosus, non est proprietarius in agendo in quantum habet licentiam agendi, actio enim accipiendi, retinendi, & disponendi in se spectata non est mala, sed fit uitiosa quatenus exercetur sine licentia, ergo hac posita iam actio non potest esse mala, quia per licentiam remotum fuit impedimentum, & causa poterat exire uitiosa. Iustificatur ergo professi operatio facta cum licentia, hæc enim dirigitur ad rem

7 non malam, dare enim uictori pecuniam uictam non est malum; nec soluere mercedem meretrici; nec soluere mandatario promissum pro re illicita & c. dare hæc post factum, ad hæc enim dirigitur licentia superioris, non ad præcedentia, ex quibus oritur obligatio soluendi. Sed conuertam calamum ad quæstiones.

Quæres igitur primo, quale sit peccatum proprietatis contra votum paupertatis? & quotuplex malitia in eo reperiatur?

8 Resp. Est peccatum sacrilegij, & furti, ac proinde vtriusque malitiam includit, sacrilegij quidem, quia facit contra votum; furti vero, quia proprietarius vsurpat sibi alienum inuito domino, quod contingit, quando caret qualibet licentia sui superioris, qui dicitur dominus rerum monasterij. Ita omnes *bium Lodesma de statu relig. cap. 14. conc. 1. 3. dub. 9. Corduba quæst. 109. Sayro lib. 9. Clauis cap. 26. num. 11. Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 7. Peyrin. de subd. q. 2. cap. 2. §. 9. q. 3.* Late de hac re dixi cap. 1. a num. 29.

Queres 2. An quandoq; dari possit una malitia, sine altera in actu perpetrato.

9 Resp. Affirmatiue, nam furans alienum de licentia superioris, fur est non proprietarius. Dixi latius cap.1.q.16.& 17.

Quæres 3. An detur paruitas materiæ in vitio proprietatis?

10 Resp. Affirmatiue, quia ea datur in furto,& in sacrilegio voti ergo & contra votum paupertatis, cum perpetretur regulariter cum vtraque malitia. De paruitate materiæ in furto excusante à peccato mortali agunt omnes relati *à Diana par.1.tract.6.resol.36.& resol.24.de paruitat.mater.p.5.tract.5.* De paruitate in voto *Sanch.lib.4.cap.12.num.5.Dixi cap.1.nu.38.*

Dices, cum proprietarius incurrat duas malitias furti, & sacrilegij, esto diuisim & in diuersis subiectis paruitas locum habeat ad excusãdum à peccato mortali, non videtur id posse verum esse in eodem subiecto, quia tunc illæ duę paruitates vniuntur ad faciendum vnum quid magnum inducens peccatum mortale.

11 Resp. Paruitas non mensuratur à malitia, vt supponit argumentũ, sed à materiali quantitate rei,& à modico damno; in casu nostro vnica est materia, quę si sit parua,& modici detrimenti afficit religiosum peccato tantum veniali ista duplici materia,& cum illius subiectum sit peccatum veniale, non potest vlterius crescere malitia, nec denominari nisi peccatum veniale, tamquam genus, vt ita dicam, prædicans de illis duobus speciebus sacrilegijs scilicet, & furti.

Quæres 4. Quanti valoris debeat esse res, super quam agit professus, vt eius actus dicatur peccatum mortale contra votum paupertatis?

12 Resp. Per plures conclusiones sub cap.1.quæst.20.à num.39. ad 53. Ne repetam illuc remitto lectorem. Vnum aduerto ibi omissum. Materiæ grauitatem in actu accipiendi ab extraneo non esse desumendam à damno, quia religiosus accipiendo ab extraneo donare potente nullum illi infert damnum, cum sit dominus, qui dat; neque Monasterio acceptum est præiudiciale, cum nullum patiatur detrimentum, sed potius commodum, dum donatum est vtile vtrique sed considerandus est modus accipiendi, & valor rei acceptæ, modus autem accipiendi est accipere sine licentia superioris nec expressa, nec tacita, & præsumpta, à carentia ergo cuiuslibet licentiæ, quæ præsumitur in certis religionibus, quarum superiores rigidi sunt in conseruatione paupertatis, ne periclitetur, accipitur grauitas, vel leuitas peccati cũ respectu ad quãtitatem rei acceptæ. Quare si Capucinus reciperet duos, aut tres Iulios ab amico, certe non esset excusandus à mortali, sicut excusaretur religiosus alterius ordinis in hoc minoris rigoris. In alijs ordinibus non videtur habere locum carentia licentiæ, quia illorum professis non solet negari actus receptionis. Vide de hac re *de Lugo disp.3.de Iust.num.172.& Cotonium lib.4.contr.6.cap.2.num.121.*

Quæres 5. An ex tempore, quo res accepta retinetur deduci possit grauitas, vel leuitas peccati contra votum paupertatis? For no quæsitum in actu medio retentionis, quia in alijs extremis actibus scilicet Acceptionis,& Dispo-

13 sitionis, potest esse peccatum graue, vel leue respectu materiæ non autem respectu temporis siue breuis, siue diuturni, quia ab hoc peccatum non mensuratur, sed à re, & à carentia licentiæ, vnde bene Caramuel in Regul. S.Benedicti num.112.referente Cotonio cit.num.122.negat paruitatem desumi ex temporis breuitate, cum quis paruo tempore possit esse perfecte proprieta-

 rius

rius e. g. donans quid magni pretij, quod contingere potest quasi in instanti.

14 Resp. In actu solum retentionis spectari potest breuitas, vel diuturnitas temporis,& ab illis cum materia rei speculari grauitatem, seu leuitatem peccati, vnde sicut vna hora operis seruilis excusat à peccato mortali, ita vna hora retentionis, & vsus e. g. libri videtur excusare à mortali, inquit *ex Murcia, & Diana par.11. tract.1. resol.19. Cotonius num.122.* Ista responsio supponit actum acceptionis fuisse cum licentia superioris; nam coniunctus cum actu retentionis sine licentia, quo ad grauitatem, vel leuitatem non est considerandus cum tempore, sed qualitas & quantitas carentiæ licentiæ, & rei acceptæ spectandæ sunt,& obseruantia, quæ in ea religione practicatur.

Quæres 6. An actus acceptionis, retentionis, & dispositionis successiue facti sint tria peccata numero, an vnicum tantum?

15 Resp. Isti tres actus sicut inter se phisice distincti esse possunt, vt patet, ita & moraliter tria possint esse numero peccata, quod tunc contingit, quando exercentur sine aliqua licentia, vt nunc ab amico accipio pecunias, quas apud me conseruo per aliquot dies, & demum eas expendo, ex his tribus actibus physicis diuersis temporibus factis resultant tria peccata. Vnde si habeo licentiam præcise accipiendi,& non retinēdi, pecco ex actu retentionis,& dispositionis; pariter si habeo licentiam ad accipiendum,& retinendum, & non ad disponendum, pecco disponendo, quia licentia limitata ad priora duo non se extendit ad tertium ex sua limitatione. Aliquando tamen vnicum est peccatum acceptio,& retentio immo & dispositio, vt accepi esculenta, seu poculenta, seu etiam pecuniam, sed statim ea consumpsi, vnicum videtur peccatum, quia illi tres actus videntur habere continuationem ad inuicem ex temporis breuitate. Dixi etiam cap.1. num.37.

Quæres 7. An peccatum proprietatis sit contra iustitiam?

16 Resp. Affirmatiue, quia contrectatio rei alienæ contra voluntatem domini est actus contra iustitiam peccaminosus, fit enim domino iniuria, & iniustitia vsurpando sibi rem illius; ita facit religiosus accipiendo, retinendo, uel disponendo de re accepta, uel retenta, sine ulla superioris licentia, contrectat enim rem alienam inuito domino.i. superiore, rem quidē alienam quia per illius receptionem non sibi, sed Monasterio aquirit etiamsi non habeat licentiam recipiendi, ergo ita contrectando facit peccatum contra iustitiam. Confirmatur, quia est fur, cum rem alienam contrectet, ergo contra iustitiam facit. Ita omnes.

Quæres 8. An quis peccet contra votum paupertatis, & non sit proprietarius?

17 Resp. Affirmatiue,& id probatur exemplo superfluorum abundanter concessorum religioso à superiore, qui per suam licentiam licet tollere non possit superfluitatem, cum adhuc remaneat ex natura rei, sicut gibbositas

18 e. g. remanet in dispensato, quia causa moralis non potest auferre naturalia rebus, tamen excusare potest à vitio proprietatis, hoc enim illius proprium est, non vero à peccato superfluitatis contra votum paupertatis, quod est abdicatio proprietatis, ac proinde etiam superfluorum, quæ consequuntur illam. Dixi cap.17. nu.33. Vide ibi. In religionibus autem profitentibus Regulam mitigatam consuetudo legitima præscripta excusat à retentione superfluorum vitiosa, vt probaui capit.21. numer.23. quia eorum prohibitio

tio est de iure humano voti conseruatiuo in suo rigore.

Quæres 9.An ex corde desiderans diuitias, licet illas non accipiat, sit proprietarius.

19 Resp. Est proprietarius mentalis, & sine dubio peccat mortaliter,quia votum non solum obligat ad abstinendum ab illis tribus actibus,sed etiam à desiderio eorum, ergo peccat, sub voto enim nę dum cadunt illi tres actus externi non accipiendi,non retinendi,non disponendi,sed etiam actus interni nō desiderandi,vt probaui ex S.Patribus *cap.1.n.15.& cap.24.de profess.q.31.n.78.*

Quæres 10.An superior peccet contra votum paupertatis recipiens plures nouitios, quam patiatur possibilitas Monasterij habito respectu ad redditus certos,& incertos? Videtur, quod sic, quia valde relaxatur regularis obseruantia circa votum paupertatis, cum enim superiores ex multitudine abundante supra numerum ordinarium non possint occurrere indigentijs Fratrum necesse est illis permittere relaxationem voti paupertatis. Ita docet Iacobus Raggius Genuensis Ordinis Capucinorum *de Regim. Regul. dub.78. citando Bart.à S.Fausto lib.8.Thesauri quæst.32.& Bassæum eiusdem Ordinis V. Paupertas num.13.* debet enim se abstinere à causis, quæ per se,& notabiliter influunt in relaxationem voti paupertatis; receptio autem multitudinis religiosorum ex sua natura tendit ad relaxationem religionis, & per se est causa formalis, vt non obseruetur præceptum de non recurrendo ad pecunias,ac proinde peccabit mortaliter.

20 Resp.Hunc superiorem vltra numerum recipientem nouitios non peccare contra votum pauperratis,sed contra Bullas Pontificias,forsan solū venialiter.

21 Primum suadetur,quia ille dicitur peccare contra votum paupertatis, qui facit actum proprietatis sine licentia recipiendo,retinendo vel disponendo de re corporali pretio estimabili,vt patet ex hactenus dictis; sed Prouincialis recipiendo vltra numerum multitudinem nouitiorum nullum exercet actum proprietatis, sed solum iurisdictionis, de quibus inter se ualde differentibus dixi cap.2. num.7. ergo non facit contra uotum paupertatis. Confirmatur,

22 quia actus proprietatis prouenit à persona priuata circa rem corporalem rationis incapacem; actus uero iurisdictionis exit à persona publica circa aliam personam non qualemcunque sed priuatam, & subditam; sed Prouincialis recipiendo nouitios exercet actum iurisditionis super personas, & non super res,ergo non peccat contra uotum paupertatis.

23 Et ex his nego, receptionem multitudinis nouitiorum esse causam per se,& ex sua natura tendentem in relaxationē paupertatis,non enim relaxatur quādocunq; ex necessitate prouidetur occurentibus indigentijs Fratrum, sed cum præter necessitatem reccurritur ad pecuniā,ut patet ex c.4.& 6.primę Regulę S.Francisci.Nec inter Capucinos dari potest huiusmodi relaxatio,quia seruāt votum paupertatis,dum singuli non officiales contenti sunt victu,& vestitu,iura est officialium hæc alijs procurare,quod non est relaxare paupertatem,sed prouidere,ne relaxetur, multitudo ergo non potest esse causa relaxationis.

24 Secundum,nimiram peccare contra Bullas Pontificias, quæ numerum petunt iuxta redditus cuiusmodi Monasterij,dixi forsan solum venialiter, quia experientia constat talem numerum esse variabilem,quia etiam redditus mutantur,modo pauciores, modo grassiores, ideo non seruatur numerus, sicut nec prouentus sunt semper idem.

CAPVT XXIII.

De pœnis contra Proprietarios.

1 *Pena est damnum, quod transgreßor legis patitur.*
2 *Pena supponit culpam.*
3 *Culpa alia Theologica, alia legalis.*
4 *Conueniunt in obligatione transgressoris rei pana.*
5 *Differunt, quia illa est peccatum, hæc non, sed solum obligatio ad pænam.*
6 *Lex diuina, & humana contra proprietarios.*
7 *Legalis culpa, sed tantum Theologica afficit proprietarios.*
8 *Carentia sepulturæ ecclesiasticæ pæna contra proprietarios.*
9 *Ad quam incurrendam tres conditiones requiruntur.*
10 *Referuntur necessariæ copulatiue in proprietario.*
11 *Proprietarius huius pænæ reus est solum ex actu retentionis.*
12 *Resignare nolens proprium se manifestum fatetur proprietarium.*
13 *Iustus nomine monachus qui primus passus fuit hanc pænam.*
14 *Scuti tres monetæ Romanæ sufficiunt ad incurrendum hanc pænam.*
15 *Argenti quatuor sufficiunt.*
16 *De illis tribus requisitis iuridice constare debet.*
17 *An reus pænæ inuentus post mortem cum peculio?*
18 *Pecunia tota cum eo non est sepelienda.*
19 *Extra sterquilinium sepeliri potest.*
20 *Sterquilinium quid sit?*
21 *Proprietarius occultus non patitur hanc pænam.*
22 *A communione altaris remouetur.*
23 *Expellebatur à religione proprietarius.*
24 *Pæna priuationis vtriusq; vocis ex Tridentino.*
25 *Post sententiam incurritur.*
26 Deprehensus *quid importet.*
27 Priuatus sit, *est late sententiæ.*
28 *Excommunicatus non est proprietarius.*
29 *Actus Retentionis vti diuturnior, & permanens auget malitiam in proprietario magis, quam alij duo actus.*

1 PÆna est damnum, & incommodum, quod legis transgressor patitur.
2 Nullus autem pæna affligitur, nisi antecedenter sit legis transgressor, vnde communiter dicitur, quod pæna supponit culpam, l. Sancimus 22. C. de pænis. Quoniam autem inter leges aliæ obligant sub culpa ad sui obseruationem, vt sunt leges decalogi, & sacri Canones; aliæ vero ita non obligant sub culpa, sed tantum transgressorem subijciunt, & constringunt ad subeundum pænam expressam in lege, seu ordinatione, aut constitutione; congruum est rationi duplicis generis culpam his assignare, nam alia est theologica,
3 quæ nihil aliud est, quam peccatum ex transgressione legis sub peccato obligantis.

gantis ad sui obseruationem contractum. Alia vero est legalis, quæ peccatum non est, quia lex, seu constitutio sub peccato non obligat ad sui obseruationem, sed tantum exposita transgressione obligat violatorem ad subeundam pœnam in constitutione expressam. Conueniunt ergo hæ duæ culpæ,
4 quod ambæ obligant transgressorem ad subeundam pœnam, posita enim transgressione statim fit reus, & obligatur pœnæ, non tamen semper executio coniungitur cum culpa, sed solum, quando pœnæ sunt censurarum, & irregularitatum, hæ enim pœnæ ipso iure incurruntur a trangressore, in quo semper præcessit culpa theologica, hoc est, peccatum vel mortale, vel veniale ex precedente delicto, culpa ergo theologica ex legis necessitate secũ trahit executionem dictarum pœnarum canonicarum, absque alio hominis facto. Aliæ vero pœnę non sequuntur immediate culpam theologicam, & multo minus ciuilem, sed præter transgesionem requirunt sententiam iudicis, cui constare debet de reali transgresione legis, vt posit reum iam probatu cogere ad subeundam pœnam iure præscriptam. Differunt vero præfatæ
5 culpæ in eo, quod theologica semper est cum peccato, & ordinatur ad pœnam sibi proportionatam; legalis vero non includit peccatum, sed tantum obligationem ex ea transgresione ad subeundum pœnam post sententiam. In ea sunt duæ obligationes, reatus scilicet culpæ, & pœnæ, in hac vnica tantum obligatio ad pœnam subeundam. Sed hæc satis pro nostro instituto.
6 Contra proprietarios sunt leges Canonicæ, & Regularum sanctorum institutorum obligantes sub culpa theologica, agitur enim de obseruatione immediata trium votorum sub culpa læthali ex eo principio diuino. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Hæc ergo obligare sub culpa theologica, nemo ambigit, & patet ex dictis præcedenti capite. Culpa vero legalis locum
7 hic non habet, dum lex de abdicatione proprij, & obseruando voto paupertatis obligat sub culpa afficiente immediate animam.

Quæres igitur primo An sint aliquæ pœnę à iure inflictę contra proprietarios?
8 Resp. Affirmatiue. Et sunt duæ, carentia sepulturæ ecclesiasticæ, *cap. Monachi 2. capit. Super quodam 4. capit. Cum ad monasterium 6. de statu monach.* Secunda est priuatio vocis actiuæ, & pasiuæ, Trident. sess. 25. in fine cap. 2. In sequentibus sunt explicandæ.

Quæres 2. Quid requiratur ex parte proprietarij, vt incurrat pœnam Carentiæ sepulturæ ecclesiasticæ?
9 Resp. Id esse colligendum ex textu præcitatorum Capitum. In cap. 2. ita disponitur. *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum à communione remoueatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & digne non pænituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam quod etiam de vniuersis religiosis pracipimus obseruari.* In sequenti cap. 4. ita scribitur. *Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium, quod contra Regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremum, & fuit inter Fratres alios traditus sepulturę. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, non tantum fuit Christiana sepultura priuandus, verum etiam, si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa proijci dignus est ecclesia.* In alio cap. scilicet 6. ita disponitur. *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in*

morte

morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse.

10 Colligitur ex his textibus, vt proprietarius careat sepultura ecclesiæ tria requiruntur *Primo*, quod apud religiosum in extremis laborantem inuentum fuerit peculium sine licentia superioris. *Secundo*, quod illud noluerit resignare iam inuentum. *Tertio*, quod de illo digne non pœnituerit. Ad incurrendam

11 dam igitur hanc pœnam requiritur actus retentionis peculij, & quidem eo tempore, quo in extremis agit, vnde ratione aliorum actuum, nempe acceptionis non est reus huius pœnæ, si illud acceptum non retinuit, neque si illud alienauit à se ante mortem. Ita *Sanchez lib.7.cap.20.num.11. Laymam lib.4. cap.7.num.22.* quia in his duobus actibus non dicitur inuentus cum peculio,

12 dum illud non habet apud se. Nolens illud resignare manifeste se condemnat, & facit sine alia ratione reum huius pœnæ, cum vere ex facto proprio nolitionis se fateatur conuinctum, & obstinatum in vitio proprietatis consequenter ex hac nolitione resignationis sequitur non pœnituisse. Distinguntur nihilominus inter se, quia potest admitti resignatio, & quod digne non pœnituerit, eo quod coactus resignauerit, murmurando, & conquerendo, quod iniquè spoliatus fuerit, habens vlterius affectum more secularium ad peculium.

Quæres 3. Quanti valoris debeat esse peculium apud infirmum inuentum, vt incurrat pœnam carentiæ sepulturæ?

13 Resp. Tempore D. Gregorij quidam Monachus nomine Iustus in articulo mortis confessus fuit, se latenter tenere tres scutos, S. Gregorius de hac re admonitus, iussit, ne quis ex Monachis seruiret illi in ea infirmitate, permittendo, vt illi assisteret frater eius carnalis secularis, eundem vero mortuum iussit sepeliri in sterquilinio cum illis tribus scutis. Postea Sanctus Gregorius voluit, vt pro eo triginta diebus missa celebraretur in cuius vltima apparuit ille fratri suo totus resplendens. Ita refertur in lib. *Roma antica, & moderna* impresso Romæ 1653. ad instantiam Ioannis Dominici Franzini fol. 330. Quamuis is monachus, quia proprium resignauerat, non mereretur hanc pœnam, tamen Sanctus, non ad illius pœnam, sed ad terrorem aliorum mandauit sepeliri in sterquilinio, & postea fecit celebrare pro illo, quia anima eius digna erat illo suffragio, non cadauer sepultura, quod peculium, retinuerat. Gregorius Magnus Pontifex maximus electus fuit tertio Septembris anno 590. obijt duodecimo Martij anno 604. mirum non est, si in puniendo visus fuit satis rigidus, quia monachorum vita tunc erat sub prima centuria suæ fundationis S. Benedicti, vt præberet alijs exemplum, ne relaxaretur obseruantia monastica, tam rigidam pœnam illi imposuit.

14 Colligitur ex his peculium valens tres scutos monetæ Romanæ sufficere, vt relgiosus debeat sepeliri in sterquilinio, tamen quia casu accidit ille numerus, nec specialis determinatio extat in iure, iuxta dicta cap.1.num.48. dico, requiri quatuor argenteos, horum enim horum retencio sufficit ad constituendum peccatum mortale cum alijs duabus conditionibus, quod noluerit resignare peculium, vel noluerit pœnitere de resignato potius coacte, quam sponte, constat enim talem religiosum affectum, & obstinatum amore peculij decessisse in peccato mortali manifesto, quod sufficit ad priuandum quem sepultura ecclesiastica, vt docet Rituale Romanum, & dixi Resol.51. quæst.43. num.113.

num.113. Illi enim tantum sepeliuntur in loco sacro, qui sunt capaces suffragiorum ecclesiæ, morientes autem manifeste in peccato mortali damnantur, consequenter dum non sunt capaces suffragiorum, nec sepulturæ ecclesiæ, in qua defuncti in Domino suffragijs, & orationibus adiuuantur à fidelibus. Quod peccatum mortale inducat carentiam sepulturæ in religioso proprietario moriente sine pænitentia. Ita Nauar.co s.5.de sta u mon.num.13.14. &
15 17. Sanchez lib.7.cap.20.num.5. assignat quatuor argenteos, Rodriq. tom. 3. quæst.29.art.10. Thesaur.in praxi pen.par.2.V.Religiosus cap.12. Nec obstante dicta à nobis sub cap.1.quæst.20.de maiori quantitate ad hoc, vt quis dicatur peccasse mortaliter contra votum paupertatis, quia hæc maioritas certe abundantius suppletur per illam inpænitentiam, & obstinationem.

Quæres 4. Quid requiratur ex parte superioris, vt possit exequi huiusmodi pænam contra proprietarium defunctum?

16 Resp. Debet omnino iuridice constare per duos testes, peculium fuisse inuentum tempore mortis in cella religiosi infirmi, & quod admonitus noluerit illud resignare, vel noluerit pænitere de peculio sibi sublato de mandato superioris de his omnibus singillatim legitime apparere debet, agitur enim de pæna grauissima infligenda, vnde & de culpa, an sit grauissima, prout constare debet, ne innocens damnetur, aut ne noxius vltra delictum iniuste puniatur. Vide Barbosam super dictum cap.4. citantem Rodriquez ad hoc, sed non inuenit.

Quæres 5. An sepeliendus sit in sterquilinio ille, in cuius cella post mortem inuentum est peculium?

17 Resp. Si monitus respondit se carere, & non habere peculium, & post mortem inuentus est habere notabile peculium, illius pænæ reus est, nam posita eius responsione negatiua, se nihil possidere, idem est ac si recusasset illud resignare, ac proinde pro obstinato, & impænitente habendus est, nisi probetur esse peculium alienum ibi depositum. Contra Panorm. & Sanctorum de pænes proprietar.cap.7.fol.274. quia reperitur decessisse in peccato mortali, quod est causa à priori huius sanctionis, commonitio enim illa non est dispositio Pontificis, sed narratiua supplicantis Non sufficit mori in peccato mortali ex illo facta inuentionis peculij post eius mortem, cum peccatum illud non sit probatum, sed tantum præsumptum, potuit enim obliuisci habens animum paratum ad resignandum, ideo debet præcedere monitio, ex cuius responsione negatiua infertur prauus animus non resignandi.

Quæres 6. An cum eo tota pecunia, vel aliud inuentum cum eo sit sepeliendum?

18 Resp. Negatiue, vt docent omnes Canonistæ in dictum Caput Cum ad monasterium Ioan. ndr.num.4. Host.7. Anchar.num.10. Abbas num. 15. Sanchez lib.7 cap.20.num.11 Laiman lib.4.cap.7.num.22.ex illis Castropal.disp.3. de voto relig.p.24.num.1. Peyrin.de Subd.quæst.2.cap.2. §.9. quæst.7. Sanctorus loco cit.fol.273. ait, nullum esse peccatum non sepelire peculium, quia est quædam ceremonia detestatiua sceleris, & viuorum admonitio ne peccent. Immo ex sepelitione pecuniæ cum proprietario daretur ansa vel pauperibus, vel auaris extrahendi peculium ex sterquilinio. Malum igitur non est retinere eam pro conuentu pro expensis infirmarij, immo cum monasterium sit dominus non est opus pecuniam proijcere. Et gestum Gregorij fuit factum, non ius, quod

Nn iam

iam extabat in cap. 2. de statu monach.

Quæres 7. An in alio loco, extra sterquilinium, quod est fouea stercoris conseruatiua, sepeliri possit, vt sepeliuntur animalia, ne fœtent?

19 Resp. Potest, vt colligitur, ex cap. 2. ibi: *Nec inter Fratres recipiat sepulturam*, qui sepeliebantur in loco sacro, ergo proprietarius sepeliendus est extra locum sacrum, non designando qualis locus profanus debeat esse ille, in quo est sepeliendus. In 6. vero cap. non statuitur ius, quod sepeliatur in sterquilinio, sed ibi narratur factum S. Gregorij. Sanctorus cit. fol. 273. Vers. At quomodo, ait sepeliri posse in quolibet loco profano, qui dicitur sterquilinium

20 relatiue ad locum sacrum; immo ibi nomen sterquilinij non videtur importare cloacam immunditiarum, sed locus totus terreus per illud verbum *Subterretur*. i. sub terra sepeliatur, non sub stercore vnde non est substercorandus, sed subterrandus.

Queres 8. An si proprietarius sit occultus solum notus superiori, vel nonnullis, qui viderunt peculium, sit huius pœnæ reus, & sepeliendus extra locum sacrum.

21 Resp. Negatiue, quia sicut non potest proijci de sepultura ecclesiastica, si sequatur magnum scandalum, ita neque priuari illa, si sequatur idem scandalum, vt contingere potest, si sit occultum eius uitium ignotum de uisu maiori parti monasterij, & si enim sit reuera proprietarius, tamen ratione secretitudinis videtur habere ius aliquale ne prodatur, attento maxime scandalo, quod sequi posset. Confirmatur, quia ex illis tribus requisitis uidetur deduci, uitium proprietatis debere esse notum maiori parti monasterij.

Quæres 9. An ex illis capitibus aliqua alia pœna colligatur contra proprietarios?

22 Resp. Proprietarium remouendum esse à communione Altaris. Cap. 2. ed. ibi: *A communione remoueatur altaris*. Hoc est prohibeatur illi celebratio missæ, si est sacerdos, vel sacramentum Eucharistiæ accipere, si non sacerdos, cum sit in peccato mortali, intellige, quando non vult se emendare, & resignare proprium. Et hęc pœna non solum afficit laborantes in extremis, sed etiam sanos corpore. Non lego Doctorem de hac pœna tractantem.

23 Resp. Secundo, aliam exprimi pœnam in cap. Cum ad Monasterium 6. de statu monach. quod scilicet expellatur à religione, ibi? *Si vero post hoc*. i. post resignationem factam peculij, *proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur; nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam*. Sed is textus correctus fuit per cap. fin. de Regular. vt aduertunt *cum Abbate Sanchez lib. 7. cap. 20. numer. 12. Castropal. disp. 3. par. 24. num. 2.* Alias pœnas non inuenio in iure communi antiquo præter illas duas de sacra communione, & carentia sepulturæ ecclesiasticæ. Sed hæ pœnæ raro imponuntur, quia omnes in casu mortis facile se expropriant indicantes omnia, quæ possident sui superioribus.

Quæres 10. Quid statuat Tridentinum contra proprietarios illo cap. 2. sess. 25. de Reformat. Regularium?

24 Resp. Quod biennio priuatur voce actiua, & passiua, his verbis. *Quod si quis aliter quidquam temerè deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit. Atq. etiã iuxta sua Regulæ, & ordinis constitutiones puniatur*. Puniendus igitur proprietarius non ex quouis actu, sed tantum ex actu, reten-

retentionis ibi *tenere* de eo enim tantum fit mentio, ideo hæc pena vti odiosa non est extendenda ad alios duos actus Acceptionis, & dispositionis qui sunt transeuntes, & non permanentes, sicut est Retentio. Ita Sanchez *lib.7.cap.20. num.13. Layman lib.4.cap.7.num.22. quos citat. Thesaurus cap.11. in fine Castropal.disp.3.p.24.num.4. Peyrin.de subd.q.2.cap.2.§.9.fiue.*

Quæres 11. An hæc pœna priuationis vtriusque vocis incurratur ipso iure ac quis reuera est proprietarius ex actu retentionis, an vero necessaria sit sententia iudicis?

25 Resp. Non incurritur, nisi post sententiam, vt clare colligitur ex tenore illorum verborum *deprehensus, aut conuictus* quo non nisi per sententiam per-
26 ficiuntur, nam dictio *deprehensus* importat, quod sit repertus in fragranti crimine hoc est, habere apud se proprium, captus in crimine *l.quod ait ff. de adulter.* Qui autem deprehendit quemquam in crimine debet captionem probare per testes, *Glos. V. si deprehensi cap. De his 34. dist.50.* non enim creditur asserenti id, licet esset ipse iudex, sed debet vocare testes, qui peculium suis oculis videant existens in cella religiosi. Quod firmatur ex sequenti verbo *Aut conuictus* si disiunctiua dictio *aut* expositiuè sumatur pro idest, probanda ergo est deprehensio peculij, & reus conuictus, talis declaratus per sententiam est ipso iure priuatus vtraque voce; vt indicat ipsum verbum *priuatus sit* importans
27 executionem de præsenti, est ergo late sententiæ probato crimine, *Gemin.in cap.1.§.Vlt.de elect.in 6. Tiraquel.in l.Si vmquam, V. Reuertatur num.184. Sayr. lib.1.de cens.cap.11.num.9.ex illis Thesaurus de Pœnis V. Vsurpantes cap.1. Vers. Item pœna,* vbi ait verbum *sit* coniungi cum participio *priuatus* præteriti temporis, ipsum tamen verbum substantiuum *sit* est præsens imperatiui importans executionem pœnæ transeuntem in præteritum, quatenus pœna illi inhæret. post executionem. Ita omnes *cum Sanch.lib.7.cap.30.nu.13. Castrop.disp. 3.p.24.num.4. alios citat Barb.ad dictum cap 2.conf.nu.31.*

Quæres 12. An proprietarius sit excommunicatus?

28 Resp. Hæc pęna in iure communi non reperitur expressa, ergo asserenda non est, pęna enim iuris asserenda non est, quæ in eo non exprimitur, *Glos. V. Ex vi cap.fin.de iurepatr. Nauar.consil.4. de temp.ordin. & cons.13. de præbend. num.3. M..Ant.lib.3 resol.n39.11.& 32.* Et ita docent Sanchez lib.7.cap.20. n. 14. contra nonnullos, qui nihil probant, cum non à ratione, sed ab auctoritate in his sit procedendum.

29 Colligitur hinc, proprietarium incurrere post sententiam in duas pœnas priuationis scilicet sepulturæ ecclesiasticæ, & priuationis vtriusque vocis non ex quocunque actu inducente proprietatem, non ex actu Acceptionis, aut Dispositionis, sed solum ex actu Retentionis, vt aperte iura allegata loquuntur, quia in hoc medio actu Retentionis magis apparet vitium proprietatis, quam in alijs duobus, nam Retentio propter diuturnitatem, & permanentiam arguit maiorem affectum ad diuitias, quam alij duo actus, qui cum cito transeant, cum affectum, & amorem, quem generat Retentio, magnum enim bonum est possessio, producere non possunt.

CAPVT XXIV.

De restitutione facienda à Religiosis, & ab alijs bonorum monasterij.

1 *Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quo restituitur vnicuique quoad suum est.*
2 *Obligatio restitutionis procedit à præcepto negatiuo, sicut prohibetur eodem furtum.*
3 *Læsio solius iustitiæ, & non aliarum virtutum inducit obligationem restitutionis.*
4 *Radix restitutionis triplex Res accepta, In iusta acceptio, & Damnificatio.*
5 *Veniale etiam obligat ad restitutionem solum ratione paruitatis.*
6 *Non ratione culpabilitatis venialis ex damno sequente.*
7 *Damnum vero inculpabiliter datum non resarcitur.*
8 *Debita soluit professus de suis bonis contracta ante professionem.*
9 *Bona debitorum sunt obligata creditoribus.*
10 *Debitor satisfacere tenetur ex quæsitis etiam post professionem.*
11 *Quia sunt obligata creditoribus.*
12 *Professio non aduersatur actibus iustitiæ.*
13 *Cessio bonorum etiam solemnis non extinguit ius debiti.*
14 *Relictum particulari religioso quo ad vsum tantum.*
15 *Debita contracta post professionem sunt soluenda.*
16 *Mutuum restituere tenetur, qui sensit commodum.*
17 *Macedoniani priuilegio professus non gaudet.*
18 *Superior solus sine conuentu receptum mutuum reddere debet.*
19 *Laborare tenetur vt satisfaciat crediroribus.*
20 *Auth.* Ingressi *non facit Monastery bona onerata debitis.*
21 *Superior tenetur dare licentiam laborandi pro creditoribus.*
22 *Quod tibi non nocet, & alijs prodest, concedere debet.*
23 *Tenetur superior ex caritate non iustitia dare licentiam laborandi.*
24 *Obligatus facere dependenter ab alio, is debet dare licentiam.*
25 *Furans extraneis tenetur restituire, sicut secularis.*
26 *Furest uaferens res non solum communitatis, sed etiam particularis.*
27 *Restituere tenetur in vtroq; casu.*
28 *Restitutio in ludo non datur, si cum licentia ludat.*
29 *Quinq. aureos ludere potest.*
30 *Meretrix non tenetur restituere mercedem.*
31 *Superior nullo modo concedit abusum pecuniæ, sed vsum tantum.*
32 *Titulo elemosinæ meretrix recipiens non tenetur restituere etiam secundum contrariam sententiam.*

1 Restitutio est repositio rei alienæ in pristinum statum. Seu est actus iustitiæ commutatiuæ, quo res accepta redditur domino suo, aut illatum damnum eidem compensatur. Ita colligitur *ex l. Restituere 35. ff. de verb. signif. l. Prætor 2. §. Restituas, ff. ne quid in loco publ. D. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 1. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. vbi num. 28. Vers. de quarto* dicit eodem præcepto decalogi negatiuo *Non furtum facies*, prohiberi ablationem rei alienæ, vel eius
2 damnificationem, sed etiam retentionem rei ablatæ, quia retinens alienum non minus est fur, quam auferens, & non retinens, & quia fur aufert alienum regulariter, vt eo citatur, ergo vtrunque eodem præcepto negatiuo interdicitur. Verum quidem est, quod furtum prohibetur negando actionem positiuam, quę consistit in ablatione, & damnificatione, quæ non contingunt sine actione positiua; retentio vero licet prohibeatur, tamen eius executio fieri non potest, nisi per actum positiuum significatum in restitutione, & resarcitione damni, qui sunt actus positiui. Præcepto igitur negatiuo prohibetur retentio alieni, quod exequi non potest, nisi per actum positiuum. In furto ergo negatur omnis actio, quia præceptum hoc dicit abstinentiam à re aliena, & nullum actum positiuum; in restitutione vero dicit prohibitionem retentionis alieni, & in executione importat actum positiuum. Ita *Cardin. de Lugo disp. 8. de iust. num. 21. Cotonius lib. 2. Controu. 9. cap. 1. num. 4.*

3 Obligatio restituendi oritur solum ex violatione iustitiæ, non ex aliarum virtutum transgressione, cum per harum violationem nulli præiudicetur, sicut ex læsione iustitiæ. Ita omnes ex Bonac. initio p. 3. Communis sententia docet, non solum peccatum mortale, sed etiam veniale inducere obligationem restitutionis, quia non tam magnum est alienum, quam modicum, cum in vtroque læsio iustitiæ reperiatur, ergo & obligatio restitutionis. Bonac. cit. num. 5. de Lugo disp. 8. num. 55.

4 Ex triplici autem radice oritur obligatio restituendi. *Primo* ratione rei acceptæ & ex iusta acceptione, vt contingit in contractibus mutui, commodati, conductionis, &c. *Secundo* ratione iniustæ acceptionis, vt in furto, vsura, simonia, &c. Tertio ratione damnificationis, vt cum destruitur alienum, vel
5 deterioratur, aut deperditur ex culpa &c. Et quoniam damnificatio in re graui contingere potest etiam graue damnum non solum ex peccato mortali, sed etiam ex veniali tantum, idcirco in hoc posteriori casu dubitatur, an qui solum est venialiter culpabilis in damno alterius teneatur ad restitutionem?

6 Ego dico, quod non tenetur, quia peccatum veniale non est delictum simpliciter, & iniuria, vnde non debet parere grauem obligationem restitutionis. Ita *de Lugo disp. 8. num. 57. cum Soto lib. 4. de Iust. quæst. 7. art. 2. fine ante solut. argum. Nauar. de Restit. cap. 1. num. 48. cum multis alijs* obligatur ergo sub veniali, non sub mortali reficere damnum sub culpa veniali illatum, inquit Cotonius *lib. 2. contr. 9. cap. 1 num. 12.* Si vero damnum inculpabiliter accidit,
7 ad nihil tenetur, quia formaliter non damnificauit, ex eodem n. 11. His præmissis pro præsenti instituto.

Quæres 1. An religiosus iam professus teneatur soluere debita, & damna illata ante professionem? Vel monasterium eius?

8 Resp. Affirmatiue, ex suppositione, quod habeat in bonis, alias non, quia impotentia excusat à restitutione carentem bonis. Probatur, quia debitoris

bona

bona semper manent obligata pro creditoribus, ad quamcumque transeant,
9 *l.1.ff.de bonor.possess.Bart.in l.Mulier.ff.de iure dotium,Salicetus in l.Tutori C. ad leg.Ius.de vi publ.Gratiam cap.120.num.70.*vbi ait;quod quando bona transferuntur ad alterum ex dispositione legis sub nomine vniuersitatis, vel quotæ, tunc transeunt cum onere suo ex citatis, ergo cum bona profitentis debitoris transeant, ex vi Auth.*Ingressi* in monasterium, transeunt cum onere ad fauorem creditoris,ergo monasterium debet de illis bonis satisfacere creditoribus illius professi. Ita docet *Rota par.2.decis.333.n.1.ex Host.in cap.Vn.de obligat. ad ratioc.num.10.Roman.cons.292.num.2.Abbas lib.2.cons.102. num. 4. & 5. Sanchez lib.7.cap.31.num.2.Castropal.disp.3.p.16.num.2.de Lugo disp.3.de obligat.mon.num.315.*Nullus contradicit.

Quæres 2.Si ex bonis,quę intulit in monasterium, non potuit satisfieri creditoribus, numquid monasterium tenetur ex alijs bonis monasterio delatis intuitu personæ professi debitoris V.g.quæsitis donatione, hereditate legato &c.Loquor adhuc de debitis contractis ante professionem.

10 Resp.Monasterium tenetur satisfacere creditoribus de reliquo. Probatur, quia eius bona tam præsentia, cum profecit, quam futura manent obligata pro creditoribus, sicut mansissent cum eo onere,si ad illum peruenissent quouis tempore existentem in sæculo, *ex l.Quandiu C.de distr.pign.l.si rem §. omnis*
11 *ff.de pignor.act.Gratian.cap.38.nu.6.*vbi ait ex illis textibus, quod omnes res debitoris sunt obligatæ, creditori, etiamsi pars debiti sit soluta. Confirmatur, quia professione sublatum non fuit ius creditoris, neq.enim illa alicui infert iniuriam,nec maius vinculũ est professio in ordine ad temporalia quã sit ius passiuum debitorum, præterquam quod vnum non potest alterum de-
12 struere; cum vnum alteri non aduersetur sed simul esse possunt. Ita communior opinio cum *Sanchez lib.7.cap.31. num.4. Bertrandus vol. 7. cons. 22. num.5.de Lugo disp.3. de Iust.num.215.Castropal.disp.3. de obligat. relig. p. 16. num.3.*Quod maxime locum habere debet in illis religionibus,in quibus emolumentum relictorum conceditur ipsis professis quibus destinatum fuit; neq; enim iustitia patitur, vt quis locupletetur cum iactura proximi.

Opposita sententia est aliorum negantium Monasterium,nec religiosum ad aliquid teneri. Probant *Primo* ex D.Thoma 2.2.quæst.189. art.6.ad 3. cedat bonis, & vltra non obligatus, quia persona non obligatur ratione sui, sed eius res,cum sit libera, cessione ergo bonorum desinit esse debitor. *Secundo*,quæsita post professionem fiunt Monasterij,non ipsius religiosi,licet illi relicta; sed Monasterium non obligatur, ergo nec huiusmodi bona sunt obligata pro creditoribus,cum sint immediate delata Monasterio. Ita Rota *par.2.Recent. cit.decis.333.nu.2.alios citat Castropal.disp.1.de essentia status relig.p.7.§.4.nu.5.* sed non sequitur.

13 Resp. Ad primum, D. Thomam loqui de bonis eius ante ingressum, quod illa cedendo suis creditoribus satisfacit, de hoc speciali casu nihil dicit. Cessio autem bonorum etiam solemniter facta, quæ importat ignominiam in cedente non extinguit debitum,vnde si debitor peruenitur ad pinguiorem fortunam ex bonis sibi relictis,vel ex industria aquisitis tenetur satisfacere creditoribus,& a iudice cogitur, reseruatis sibi quotidianis alimentis quæsitis post cessionem,quibus parce viuere possit,*ex l.4.5.& 6.ff.de cess. de bonor.l.Ex contractu C.de bon.auct.iud.possid.Instit.de act.§.fin.*Ita Bonac.*disp.1.de Restitu.quæst.*

fin.

fin.par.1.num.38.de Lugo disp.21.num.40.& 41. Faber disp.50.de Restitut. num. 193. Patet ergo cessione bonorum non extingui debitum, sed tantum suspendi eius executione solutionis, ac proinde quæcumque eius bona futura habere semper adiunctam obligationem restitutionis; quod maxime verificatur in religioso, qui non eget victu, & vestitu, cum in his prouideatur à Monasterio, ergo de reliquis suis bonis quo ad emolumentum debet satisfacere creditoribus, in religione vbi rigorosa non obseruatur paupertas, nec peculium confunditu, sed diuisum, & separatum remanet pro vsu cuiuslibet, cui fuit relictū.

14 Ad secundum facilis est responsio, relictum particulari religioso esse ipsius Monasterij aquisitum immediate quo ad proprietatem, quo ad vsum vero & emolumentum à superiore concedi religioso, ideo de eo satisfacere debet creditori. Argumentum locum habere potest, vbi bona huiusmodi miscentur, & confunduntur cum bonis communitatis, cuius tunc dicuntur esse, & quod ad proprietatem, & quo ad emolumentum, in quo casu cum professus dicatur nihil aquisiuisse, ac proinde nihil habere, ad nihil tenetur, quia nemo dat, quod non habet.

Quæres 3. An debita contracta post professionem à professo, sint soluenda à Monasterio, & ab ipso debitore?

15 Resp. Monasterium, cuius superior non consensit in contractum, seu debitum sui subditi, nec ex eo conuentus factus fuit ditior, ex bonis communitatis satisfacere non tenetur, quia in nullo particeps est debiti. Verum quidem est quod tenetur ex bonis designatis ipsi religioso, qui non debet locupletari cum damno proximi. Et in hoc conueniunt omnes, in quantum ad Monasterium, quod ad nihil tenetur, si non dedit licentiam, vti quę vero Monasterium teneri si dedit licentiam, quia dicitur debitum nomine Monasterij contractum, ita *Sanchez lib.7.cap.31.num.9. Castropal. disp.3 de obligat. relig. par.16. num.4. de Lugo disp.3. de Iust. num.*217. Qui etiam dicunt, religiosum non obligari ratione contractus, aut delicti sine licentia superioris, quia bonorum administrationem nō habet. Id concedo, vbi nec emolumentum bonorum relinquitur religiosis, non autem in religionibus, in quibus est approbata consuetudo relinquendi administrationem bonorum particularibus religiosis relictorum, iustitia enim exigit, vt creditoribus satisfaciant ex suis commoditatibus.

Quæres 4. An religiosus teneatur pecunias, aut aliud mutuo acceptum restituere?

16 Resp. Tenetur si extra moratur de licentia superioris, & non habet vnde viuat, censetur enim tunc habere licentiam sui superioris, vnde Monasterium tenetur ad restitutionem mutui, sicut enim tenebatur alere intra clausuram, ita & extra, cum vtrobique retineat ius, vt à Monasterio alatur. Ita *Nauar. com.2. de Regul. num.65. Surd. de alim. priuil.97. num.2. 5. & 6. Sanchez lib.7. cap.31 num.15. Castropal. disp.3.p.16. num.5.* Quod si mutuum acceptum male consumpsit, non præsumitur in hoc licentia superioris, siue intra claustra, siue extra receperit, tenetur ipse religiosus restituere eo modo, quo potest ex bonis suis vsibus concessis, iuxta superius dicta, ita *ex Sanch. num.12. Castropal. numer.7.* Non enim gaudet priuilegio Macedoniano concesso filio familias non soluendi, *l.1. cum seq. C. ad Macedon. Instit. Quod cum eo, qui. §. Penult.*

17 Religiosus ergo debet ab his abstinere, quia mutuo dare non potest,

potest, nec accipere, ut probaui capit. 19. numer. 21.

Quæres 5. An superior mutuo recipiens pecunias, uel aliud teneatur ad restitutionem.

18 Resp. Tenetur ex bonis monasterij satisfacere creditori, si mutuum fuit versum in vtilitatem monasterij, aliter consumptum tenetur satisfacere ex bonis sibi concessis à conuentu, neque enim iustitia postulat, vt conuentus, qui non sensit emolumentum patiatur incommodum, & damnum. Dixi cap. 19. q. 13. num. 25.

Quæres 6. An religiosus debita contracta propria auctoritate teneatur soluere laborando, si non habet redditus à conuentu sibi concessos?

19 Resp. Affirmatiue, nomine autem laboris venit quoduis opus non disconueniens statui religionis, nec indecens conditioni personæ professæ, ut scribere, pingere, consuere, docere, concionari &c. Ratio est, quia professio nō impedit bonum iustitiæ, sed potius illud fouet, ergo professusnullo modo excusatur à solutione debitorum contractorū, si aliquo modo potest satisfacere suis creditoribus. Et hoc procedit respectu debitorum tam ante quam post professionem contractorum, licet enim quicquid monachus aquirit, monasterio aquirat, ex uulgatis iuribus, conuentus tamen non intendit aquirere in præiu-

20 dicium alterius, sed tantum ea, quæ alijs non sunt obligata vel actu, vel secundum esse possibile, huiusmodi enim aquisitio est non iure successionis necessariæ, sed iure legali Auth. *Ingressi*, ius autem ius est, non iniustitia, vt non satisfiat creditoribus, lex ergo nō intendit, vt alias vel obligata vel obligabilia aquiranturmonasterio, cui non debentur. Ita *Bon. dis. 1. de Rest. q. fin. p. 2. §. 1. n. 7. Sanchez lib. 7. cap. 31. num. 4. de Lugo disp. 3. de Iust. num. 220. & disp. 21. num. 79 & 80. Nauar. com. 2. de Regul. num. 42.*

Quæres 7. An superior teneatur dare licentiam subdito laborandi decenter, vt possit ex labore soluere debita?

21 Resp. Affirmatiue, quia ex quo subditus habet obligationem iure naturæ soluendi debita ex radice contractus, vel damnificationis, seu iniuste acceptionis, cogitur laborare vt satisfaciat, ergo & superior tenetur illi hanc licentiam dare, quia ambo habent hanc mutuam obligationem ex connexione mixtam iustitia, & caritate ex parte superioris, qui debet releuare subditum ab hac obligatione per licentiam laborandi illis bonis, quibus non tenetur seruire Monasterio. Confirmatur ex illo communi axiomate: *Quod sibi non*

22 *nocet, & alijs prodest, facere debes*. Deductum *ex l. 1. §. Ijdem aiunt ff. de aqua pluuiam*. Ergo superior petitam licentiam dare debet De hoc dicto *Gratian. cap. 686. num. 10. & cap. 793. num. 20. Bald. lib. 3. cons. 109. num. 10. Merlin. decis. 834. num. 5.* Ita Bonac. cit. in præced. 9. contrarium tenet de Lugo disp. 21. n. 81. superiorem non teneri dare hanc licentiam, & probat Vers. Vltima, quia prælatus, nihil debet creditoribus, & ius illius est fortius propter traditionem religiosi, non ergo obligatur dare illi licentiam.

23 Resp. argumentum solum probare non teneri ex iustitia, quod conceditur ab omnibus, vtique tenetur ex caritate, nam secundum eundem Cardinalem, religiosus tenetur laborare, vt suis creditoribus satisfaciat, ergo superior tenetur illi dare licentiam cooperando eius satisfactioni in hoc, quandocunque

24 enim aliquis est obligatus ad faciendum aliquid, & in eo exequendo dependet ab alio is debet consentire, vt faciat, aliter videtur esse particeps eius delicti,

libri, quod impedire potest per licentiam. Nec ius, quod habet superior super professum ratione traditionis potest dici fortius, nec debilius iure creditoris, ex quo superior dando licentiam huiusmodi in nullo sibi præiudicat, immo laudatur, & aquirit meritum, dum per licentiam benefacit debitori, & creditori. Immo extensiue loquendo fortius est ius creditoris, & debitoris, quod solui potest pro vtroque quam ipsius superioris, qui solum religiosum subditum respicit, & in nullo præiudicatur datione licentiæ, cum nō minus sit subditus ex datione licentiæ, quam ex eius negatione.

Quæres 8. An religiosus furans extra ordinem teneatur restituere?

25 Resp. Affirmatiue, quia ipse non minus obligatur secularibus obseruare præceptum de non furando, & non retinendo, atq; restituendo ablatum, & dixi supra num. 2. ergo obligatur ad restitutionem eo modo, quo secularis. Si ablatum consumpsit, equiualens restituat ex redditibus, & in eorum defectum ex suo laboritio, iuxta dicta in præcedentibus. Et Ita omnes sentiunt citandi in sequenti quæstione.

Quæres 9. An religiosus furans de rebus monasterij teneatur restituere?

26 Resp. Affirmatiue, quia cum super bonis communitatis nullum ius habeat, ea sibi vsurpando propria auctoritate sine vlla licentia furtum committit, cum alienum inuito domino accipiat, vt dicit S. Augustinus in sua Regula longiori seu tertia cap. 29, ergo restituere tenetur ablatum, si extat, aliter eius æquiualens, vt tenetur secularis. Ita *Corduba q. 109. P. Nauarra lib. 3 de Restit. cap. 1. part. 3. dub. 3. num. 195. Azor. lib. 12. cap. 11. dub. 6. cum illis Sayr. lib. 9. cap. 16. num. 20.* Idem dic de rebus consignatis particularibus religiosis, committitur

27 enim furtum obligans ad restitutionem, siue res auferatur communitatis, & nulli applicatæ, aut applicata vsui alicuius religiosi, quia in his omnibus læditur non solum Monasterium sed etiam religiosus, qui priuatur iniustæ vsu rei ablatæ.

Quæres 10. An religiosus ratione ludi teneatur restituere peculium uictum ab alijs. Et procuratore, vt extraneus restituat peculium Monasterio a se amissum.

28 Resp. supposita licentia saltem præsumpta iuxta morem, & consuetudinem religionis nulla est obligatio vtriusque restituere. Ratio est, quia per eam licentiam pecunia non distrahitur contra voluntatem domini, qui est superior nomine conuentus permittens ludum. Id probaui cap. 19. q. 22. num. 47. Debet autem genus ludi esse honestum non contrarium constitutionibus ordinis, & exercitium recreationis gratia, non turpis lucri desiderio. Vide de Lugo disp. 3. de Iust. num. 144. vbi ait, licentiam extendi posse ad quatuor, uel

29 quinque aureos ex centum destinatis ad sustentationem.

Quæres 11. An ex actu luxurioso datum à religioso restituendum sit à meretrice monasterio? Et religiosus dans sit proprietarius?

30 Resp. Religiosus habens licentiam generalem, & indifferentem utendi peculiū pro suo libito, non peccare contra votum paupertatis præcise ex vi dationis, & solutionis, quia habet licentiam expendendi pro suo libito, ergo, & soluendi mercedem pro actu illicito, & turpi, esto superior positiue, & directe talem licentiam in particulari non dederit, quia implicite comprehenditur in generali, iuxta probata cap. 17. q. 5. ergo persona recipiens non tenetur restituere acceptum ex turpi causa, cum alter dederit domino non inuito.

Dixi *cap.17.num.34.cap.21.num.25.Hurtadus par.Poster.tract.8. cap.8. resol.87.num.870.pro hac responsione refert.Salas de ludo dub.21. Angles ex 4.Sent. 9. de Ludo propos.4.fol.289. Alcocer de Ludo cap.12.Rebellus par.2.de obligat. iust. lib.12.q.4.sect.2.num.6.pag.730.Lopez lib.2.de contr.cap.40.§. An autum , & part.2.Instruct.cap.33.alias 183.Medina in sum.cap.14. §.29. Diana resol. 65. Ioan.Franc.Soarez in Enchirid.lib.3.de voto Paupert.fol.256.Vers. Accipiens pecuniam, Bannes 2.2.q.62.art.5.Petrus de Ledesma de statu relig.cap.4.differ. 4. fol.51.*

Contrarium, quod receptum à religioso ob turpem causam ludi, meretrici, sit restituendum, docent plerique citati ab eodem *Hurtado num. 869. cum Sanchez, Nazario, à S.Fausto Diana resol.98.de dubijs Regul.Castropal. disp.2.de iust.p.20.§.3. vbi alios citat.* Quia satis probabile est, non posse prælatos habere ratam eam alienationem, cum illis, vt dispensatoribus concessum non sit bona ecclesiæ expendere in usus turpes, & iniquos, non enim dissipatio, sed ministrario permittitur. Cum Vasquez tamen de Restit.cap.7.dub.3.Castropal.ait, religiosum, qui habet licentiam disponendi de aliquibus bonis, aut dandi in elemosinam, posse satisfacere virgini, cui honorem abstulit, & præbere alimenta filijs ex ea susceptis; & pariter rogare amicum, vt meretrici donet aliquid.

31 Nihilominus prior sententia non caret sua probabilitate, & eam sequens actus est in conscientia, aliud enim est vti peculio ad alliciendam meretricem ad concubitum, aliud post actum soluere illi mercedem; in priori enim casu religiosus abutitur peculio, nec per licentiam generalem religiosus excusatur à vitio proprietatis, cum superior id non intendat explicite, nec tacite, & præsumptiue, nec permissiue, sicut potest intendere saltem permissiue secundum, cum de se non sit malum, nec causa mali, licet turpis causæ effectus non malus. Argumentum igitur procedit secundum priorem sensum, non posteriorem, quia actus solutionis debiti non est quid malum, sed bonum, cum ex iustitia debeatur merces meretrici ex dictis cap.17.num.34.& c.21.n.25.

32 Cardin.de Lugo disp.3. de Iust.num.143.dicit Vers.Addo, etiam sequendo hanc opinionem, quod teneatur ad ræstitutionem, excusari posse ab huiusmodi restitutione, quia licet ab initio donatio fuisset inualida propter malum titulum, nunc tamen potest idem qui dedit, & habens aliunde licentiam ad vsus licitos, mutato animo donare eidem fæminæ titulo elemosinæ, aut ob alium titulum honestum.

CA-

CAPVT XXV.

Quomodo Proprietas, & Furtum sint casus reseruati in Religionibus?

1 *Clemens VIII. dedit formam Regularibus reseruandi casus.*
2 *Casus duo scilicet proprietatis, & furti explicantur.*
3 *Quænam peccata supponantur reseruationi?*
4 *Illi duo casus differunt.*
5 *Reliquias auferens est fur.*
6 *Proijciens cibos in cloacam est proprietarius non fur.*
7 *Damnificatio non est proprie furtum.*
8 *Combustio rei non est furtum, sicut nec proiectio rei.*
9 Vsurpare *importat vtilitatem in vsurpante*
10 *Quatuor argentei faciunt casum reseruatum.*
11 *Furtum rei destinatæ particulari religioso dicitur furtum rei monasterij.*
12 *Furta minuta non cadunt sub reseruatione.*
13 *Nunquam mutant naturam propriam transeuntia in mortale.*
14 *Mortale, & veniale in ratione auersionis differunt essentialiter.*
15 *Reliquiarum ablatio non subditur huic casui de furto.*
16 *Nec literarum furtum.*

1 CLemens VIII. in Reformatione Regularium edidit decretum casuum reseruandorum per superiores regulares prescibendo formam, qua vti deberent in huiusmodi reseruatione. Extenditur in Bullario nouo sub num. XXVI, explicatum à diuersis, nempe *à graffio lib. 3. Praxis casuum reserуat. Quaranta V. Casus reseruati, Francisco Coriolano, & ab alijs, ego quoque de his fuse tract. à Resol. 40. ad 50.*

2 In eo autem decreto ad propositum nostrum exprimuntur duo inter vndecim casus, nempe quartus sub his verbis: *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* Et octauus huius tenoris. *Furtum de rebus monasterij, seu conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

3 Suppono nõnulla certa circa qualitatẽ peccatorum in ordine ad reseruatiõnem. *Primo*, peccata venialia non reseruari, quia & illa facile committuntur, & multiplicantur; & quia sunt tantum materia voluntaria, non necessario subijcienda sacramento pænitentiæ. Ita omnes *cum Suarez disp. 29. de Pænit. sect. 3. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 3. Lezana V. Casus reseruati n. 10. late Mazuchell. disp. 1. q. 1. Difficul. 8.* Suppono *Secundo*, neque peccata merè interna reseruari, quia sicut ecclesia non iudicat de occultis, neque illa punit. Ita præfati *cum Bellochio p. 1. q. 1. num. 4. Florono p. 1. cap. 1. num. 25. Graffio lib. 1. cap. 4. Reg. 3. num. 6. Mazuchello cit. Diffic. 7. Regin. lib. 1. num. 128.* Suppono *Tertio*, peccata dubia an sint mortalia, an venialia non contineri

sub reseruatione, quia in obscuris, quod minimum est amplectitur ergo in
dubio peccatum repatatur veniale, & sic non subiectum reseruationi. Ita
*ex Comitolo lib.1.q.34. num.3. Lezana cit. num. 10. cum alijs multis de Lugo
disp.20. de Pœnit.num.18. Diana de cosc.dub.resol.4. Cotonius breuiter, & dilu-
cide lib.2, contr.7. disp.5. à q.2. nu .92. & sequent.* Suppono *quarto* mortalia
alias rite remissa non esse materiam reseruationis quia nemo cogitur ea con-
fiteri. *Ex Peyrino de Prælato q.3. cap.2. num.5. Lezana num.11.* Remanet er-
go, quod solum peccata mortalia externa sint reseruabilia à Prælatis, quia
ista alio medio tolli non possunt nisi per absolutionem datam à confessario, à
quo superior remouere potest iurisdictionis potestatem per reseruationem,
quæ consistit in ablatione iurisdictionis, ne confessarij absoluant à casibus re-
seruatis. Scio Cardinalem de Lugo citata disp.20.num multis alijs docere,
supradicta peccata, quæ diximus non reseruari à superioribus esse nihilomi-
nus reseruabilia, si non rite, saltem valide in casu, quo pænitens vellet ea subij-
cere confessario, quia tunc ex supposita reseruatione sacerdos ex ablata sibi
iurisdictione certe absolui non potest. Sed quoniam huiusmodi reseruatio-
nes non practicantur ab Episcopis, multo minus à Pontifice, nec à Regulari-
bus, ideo vlterius speculandum non est gratis, nec inutiliter. Paucula subij-
ciam quæstiones pro nostro instituto.

Quæres Igitur primo quomodo inter se differant isti duo casus de proprie-
tate, & furto, cum videantur esse idem? Nam omnis religiosus fur est etiam
proprietarius, & è contra omnis proprietarius est fur, quia violatio voti pau-
pertatis includit duas malitias furti scilicet, & sacrilegij, ergo cum idem sit
peccatum, frustra reseruantur sub diuersis casibus.

4 Resp. Differre, nam materiæ quantitas accipitur in casu proprietatis à vo-
to, & fidelitate; & in casu vero furti ex lesione, & damno dato. Præterea
religiosus quandoque est proprietarius non fur, vt cum accipit à domino cum
pacto, ne aquiratur Monasterio, & è contra fur, & non proprietarius, vt
5 cum furatur de licentia superioris, vt dixi cap 1. num.36. Fur est suscipiens
Reliquias, non proprietarius, quia nihil contrectat pretio æstimabile. Præte-
rea nomen furti hic presse sumitur pro acceptione, & retentione rei alienæ,
fur enim regulariter acceptum sibi vsurpat ad vtilitatem, & commodum pro-
prium. Vocabulum vero proprietatis latius patet, quia præter illos actus ac-
cipiendi, & retinendi, importat vlterius actum disponendi, donandi scilicet,
contrahendi, comburendi, distrahendi, proijciendi &c. Vnde ille religio-
6 sus, qui proiecit esculenta in cloacam proprie fur non est, sed proprietarius,
quia nihil sibi vsurpauit, sed proiecit cibos contra voluntatem superioris,
ac proinde magis fuit proprietarius, quam fur, quamuis quoque fur dici
possit, quia rem perdendo damnum intulit Monasterio; sed non ita pro-
prie, quia nihil sibi retinuit ad propriam vtilitatem. Confirmatur id ex dif-
7 ferentia inter furtum, & damnificationem, nam secundum leges ea inter se
differunt, siquidem furtum est fraudulosa contrectatio rei alienæ ex causa
lucri faciendi, vt colligitur ex l.1. §. fin. ff. de furtis. Est enim illicita vsurpatio
8 rei alienæ cap. Pœnale 13. 14. quæst.5. Qui autem rem alienam combuit, per-
dit, & proijcit nihil sibi vsurpat, nec lucratur, sed solum proximo damnum in-
fert. Id non placet Coriolano par.2. de casib. reseru. casu 8. num. 20. nec de
Lugo ex illo, disp.16. num.5. Vers. Dices, dicentibus concedentem, vel combu-
ren-

rentem cibos, esse vere furem, & incidere in hunc casum 8. de furto, probat, quia hic non est mera damnificatio, sed prius inuenitur acceptio, & usurpatio rei alienæ, quam prius fur extrahit ex potestate domini, & ponit in sua, & post quasi dominus destruit.

Legi in Coriolano non sub num. 20. sed 17. furtum committi à religioso comedente cibos, vbi non fit mentio de proijciente, vel comburente cibos, sicut habet Cardinalis. Ad cuius rationem respondeo, proiectionem ciborum non esse proprie furtum, vt dixi, sed damnum Monasterio illatum, & illa acceptio non fuit formalis, & lucrosa accipienti, ac proinde neque vsurpatiua, cum non fuerit alicuius vtilitatis proijcienti, nec cibos habuit in suo dominio vtili, sed tanto proiectiuo, vsurpare autem importat vsum, & vtilitatem atque aquisi-
9 tionem rei ex tit. de Vsucapt. est enim verbum compositum ex vsu, & capio inferens vtilitatem in vsurpante alienum. Megal. cons. 83. hunc vocat proprietarium, & non furem, cum ne verbum quidem ibi fiat de furto.

Quæres 2. Vt religiosus incurrat vtranque casum reseruatum quanti pretij debeat esse res sublata? Graff. casu 4. de proprietate num. 55. dicit donationem septem Carolenorum cum dimidio non esse casum reseruatum, & in casu 8. num. 23. cap. 7. ait, casum reseruatum furti esse vnum Catlinum, & sic variat. Lezana part. 1. cap. 6. num. 57. & V. Furtum n. 3. requirit duos regales, seu Iulios. Coriolanus casu 4. de proprietate facit casũ reseruatũ proprietatem dimidij aurei num. 19. Item donationem quinque Iuliorum non facit casum reseruatum in casu 8. num. 19. Vers. Ex dictis.

10 Resp. Iuxta principia posita cap. 1. quæst. 20. quatuor argenteos requiri ad incurrendum casum reseruatum 8. de furto secundum se spectato, prescindendo à circunstantijs, quæ grauare possunt delictum ex damnificatione, quia hic consideratur furtum ratione materiæ, quæ in se debet esse notabilis, iuxta dicta ibidem, & cum hic non reseruetur damnificatio, sed precise furtum, materia hæc cum hac sola quantitate spectanda est. Cardin. de Lugo disp. 16. de iust. num. 2. dicit, quod alij exigunt hos quatuor argenteos, quam opinionem, inquit, hodie esse communiorem, & veriorem fatetur Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 3. in Hispania, ipse Cardinalis alio modo procedit.

Quæres 3. An furans aliquid destinatum religioso particulari sit reus huius reseruationis? Videtur, quod non, quia textus clare dicit. *Furtũ de rebus monasterij*. Res autem deputatæ Fratribus non dicuntur res Monasterij, sed Fratrũ.

11 Resp. Est reus, quia adhuc res deputatæ Fratribus sunt res Monasterij, magis quam Fratrum, qui habent vsum, & Monasterium semper illarum est dominus, vt votum est. Ita Coriolanus casu 8. nu. 13. Dixi cap. 1. n. 35. cap. 24. n. 26.

Quæres 4. An furtum per minutias sit casus reseruatus, cum peruenerit fur ad notabilem quantitatem?

12 Resp. Furtum ex minutis non subijci reseruationi, quia plura minuta in ratione furti nunquam simul coniungi possunt vti plura venialia ad facien-
13 dum vnum mortale, quia impossibile est moraliter, quod plura venialia transeant in vnum mortale, cum differant inter se essentialiter; sed reseruatio supponit furtum esse peccatum mortale, quod esse non potest in casu nostro, ex dictis, ergo furtum ex minutis non cadit sub reseruatione. Confirmatur, quia esto vltimum furtulum importet notabile damnum, ac proinde arguat peccatum mortale, hoc tamen non est verum in ratione furti, quod de se est

fur-

furtulum, sed in ratione damnificationis notabilis, quæ aliud est à furto, quod solum hic reseruetur. Quod autem peccatum veniale iam in se consumatum
4 in sua specie non possit mutari in naturam peccati mortalis, etiam si millies replicaretur, patet, quia ambo essentialiter inter se distinguntur, nam mortale est formaliter auersio à Deo, non item veniale, in quo nulla est auersio à Deo, cum non faciat perdere amicitiam Dei. Nec obstat, quod malitia obiectiua possit esse eiusdem speciei in furto, quod dicitur mortale respectu magnæ quantitatis rei, veniale respectu modicæ rei, & sic solum differunt vtriusq. materiæ accidentaliter secundum magis, & minus. Ratio non obstantiæ est, quia ratio materiæ dat cognoscere vtrumq; ratio vero formalis, & intrinseca auersionis, & non auersionis vnum ab alio distinguit essentialiter.

Queres 5. An ablatio Reliquiarum comprehendatur sub v no ex duobus casibus reseruatis, furti scilicet, vel proprietatis? *Graff. cap. 7. num. 24. Cariolanus casu* 8. *num.* 10. Supponunt illam ablationem esse furtum, ac proinde incurri casum reseruatum.

Alij dicunt, hanc ablationem non posse esse casum reseruatum nec proprietatis nec furti. Illud probant, quia Reliquiæ non sunt quid prætio æstimabile, ergo illas auferens non fit proprietarius, nam proprietatis obiectum est aliquid pretio æstimabile, vt notum est. Hoc probatur quod non sit furtum reseruatum, quia hic non est dabilis mate ia notabilis quo ad valorem nec vnius oboli, cum non sit prætio æstimabile, ergo non est capax reseruationis.

Quæres 6. An furtum literarum sit reseruatum sub his casibus proprietatis, & furti?

16 Resp. Negatiue, quia non videtur dabile peccatum mortale ratione quantitatis rei, vnde etiam ponitur sub alio casu, qui est. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores*. Qui est vndecimus. Ratione ergo magni præiudicij quod fieri potest superioribus, & subditis, interceptio literarum est casus reseruatus non sub ratione furti, cum non sit peccatum mortale; neq; etiam in ratione proprietatis, cum sẽper sit leuis transgressio in cæte r is. Vide mul ta de literis missiuis, & commendatitijs apud Peyrinum de Subd. q. 2. c. 2. §. 10 ad 13.



CA-

CAPVT XXVI.

De Reformatione Voti Paupertatis.

1 *Reformatio quid sit?*
2 *Regula spectatur in duplici statu, vt labens, vt lapsa*
3 *Regula lapsa, quæ non amplius obligat, sicut labens.*
4 *In primo statu dicitur labens, in secundo lapsa.*
5 *Reformatio obligat ad labentem, non ad lapsam.*
6 *Regula eadem in pimo, & secundo statu.*
7 *Regulæ præscripta alia substantialia, alia accidentalia.*
8 *Licentia quo ad expressionem est inter accidentalia.*
9 *Ordo est idem labens, & reparatus.*
10 *Ædificium reparatum ex parte idem, quod vetus.*
11 *Specie remanente remanet eadem res.*
12 *Quinque causæ facile relaxant Regulam.*
13 *Negligentia superiorum.*
14 *Educatio mala iuuenum.*
15 *Penuria facultatum.*
16 *Familiaritas cum secularibus.*
17 *Vacatio extra claustra.*
18 *Difficilis est reformatio.*
19 *Natura hominis non facile mutatur.*
20 *Paulatim exequitur reformatio.*
21 *Prona ad malum ab adolescentia.*
22 *Capitulum Generale reformat.*
23 *Papa adhibet in consilium regulares.*
24 *An teneantur acceptare reformationem.*
25 *Quomodo Papa cogit ad reformationem.*
26 *Consuetudini non derogat sine speciali mentione.*
27 *Recusantes reformationem Regulæ labentis sunt in statu peccati mortalis.*
28 *Non vero recusantes reformationem iam lapsæ.*
29 *Non expedit restringere licentiam ad expressam.*
30 *Non peccant transgressores statutorum non obligantium sub culpa.*
31 *Consuetudo excusat à peccato.*
32 *Ordines eleuati in religionem non dicuntur reformari.*
33 *Idem essentialiter sunt sicut ante erant.*
34 *Magis, & minus, non variant speciem.*
35 *Tertius ordo religiosus seruat idem cum ordine antiquo.*
36 *Succedit religio in bonis Tertiariorum.*
37 *Reformatio non se extendit supra Regulam.*
38 *Superior præcipit, quæ sunt secundum, non supra Regulam.*
39 *Religio dicitur relaxata, & religiosi non viuere relaxate.*

PRO-

PRopositi titulum Reformationis super paupertate, quoniam in hoc
opusculo de sola paupertate discurro, & prætereà quia relaxatio
causa reformationis magis exercetur in voto paupertatis, quam in alijs ni-
hilominus non omittam agere etiam de ea vniuersaliter respectu aliorum
votorum, dum relaxatio vti malignantis naturę vitium inficit obseruantiam
eorum omnium, quæ in Regula, & constitutionibus exprimuntur. Sed mo-
re nostro procedamus in expeditione huius capitis per quæstiones.

Quæres primo quid sit Reformatio in materia religionum?

1 Resp. Est reductio religiosorum ad obseruantiam Regulæ, & constitutio-
num obligantium, quas primo professi sunt, a qua recesserunt trangressio-
ne eorum, ad quę adhuc tenebantur. Pro cuius explicatione, & intelligen-
tia.

2 Obseruandum est, statum Regulæ esse posse duplicem, nam secundum pri-
mum statum consideratur vt viget, & obligat secundum intentionem institu-
toris, quam qui profitetur tempore, quo viget obseruare tenetur sub culpa
theologica, quatenus continet vota, vel etiam præcepta, aut legali ad subeun-
dum pœnam respectu eorum in ea præscriptorum, quæ non obligant ad cul-
pam. i. ad peccatum, ut patet, in meo ordine, cuius Regula Nicolai IV. & Leo-
nis X. nec ad uenialem culpam obligat. Religiosus autem paulatim ab eius
obseruatione recedens dicitur illam relaxare, & dum viget dicitur collabe-
re, & paulatim vires suæ obligationis amittere, & perdere, ita quod certo
tempore præscripto iuxta quod dixi supra cap. 21. desinit obligare respectu
eorum præceptorum, seu statutorum, quæ religiosi neglexerunt obseruare
intuitu consuetudinis introducendæ, vt se eximerent ab illorum obseruatio-
ne. Posita igitur præscriptione Regula dicitur collapsa, hoc est, non amplius
3 obligare, quia ei per consuetudinem derogatum fuit, & sic transit ad secun-
dum statum, in quo non amplius seruatur adæquatè secundum mentem insti-
tutoris, quia eius obligatio defecit. Est autem differentia inter vtrumque
4 statum, quod Regula in primo statu dicitur non collapsa, sed collabens, & in
via ad collapsum. i. ad non obligationem, ideo eius transgressores dicuntur
peccare respectu præceptorum, & obligari ad pœnam respectu consiliorum,
& statutorum non obligantium ad culpam theologicam, quia aguut contra
Regulam obligantem. In posteriori vero statu, cum Regula non amplius sit
collabens, sed in termino, & iam collapsa non amplius peccant facientes con-
tra eam, nec puniuntur, quia desijt omnino obligare quo ad vtranq; & quo ad
culpam, & quo ad pœnam.

5 Et ex his patet explicatum, quid sit reformatio nam ea refertur ad primum
statum Regulæ, non ad secundum, vnde dixi, eam esse reductionem religioso-
rum ad obseruantiam Regulæ obligantis ad quam adhuc tenentur professi.
Reformatur ergo Regula collabens, & adhuc obligans secundum eius pri-
mum statum, & non secundum, quia cum religiosi non sint in statu pecca-
ti mortalis, eis non videtur necessaria reformatio, sicut viuentibus sub
eius primo statu, licet omnibus etiam in statu posteriori sit valde vtilis.

Quæres 2. An eadem sit Regula in primo, & secundo statu? Ratio enim
dubitandi est, quia in posteriori statu amisit vires obligandi, quas habebat
in priori, ergo videtur diuersificata, maxime cum obligare, & non obligare
maximam diuersitatem ponant inter vtranque.

6 Resp.

6 Resp. esse omnino eandem Regulam in vtroq; statu, tempus enim, & status diuersi intrinsecè non mutant rerum naturas etiam in moralibus, manent enim eadem præcepta, statuta, & ordinationes eiusdem Regulæ in vtroque statu licet obligationes diuersificentur, quæ ideo Regulam mutare non possunt, dum consequuntur ad illam, & sicut prius potest esse sine suo posteriori, ita & Regula sine obligatione illam consequente. Adde, quod nulla Regula collabens in totum labitur, non enim labitur quo ad vota, quorum obligatio consuetudine tolli non potest, sed perpetuo in illis viget. Neque desinit in cæteris obligare, quia in omnibus religionibus sunt aliqua præcepta, seu statuta, & ordinationes, quæ ab omnibus seruantur, & certe vita communis in choro, & in Refectorio ab omnibus obseruatur, clausura, & alia multa. Ita quod puto impossibile, quod Regula ab omnibus derelinqui possit quo ad obseruantias regulares.

Quæres 3. Ex quibusnam transgressionibus Regula ita relaxetur, vt amittat vim obligandi?

7 Resp. In Regulis Patrum alia dicuntur substantialia, sine quibus status regularis subsistere non potest; alia sunt accidentalia, sine quibus status idem esse potest, sed non perfecte, cum accidētalia prosint valde ad statum essentialem. Exemplifico, tria vota ordinaria omnibus religionibus communia pertinent ad substantiam monachatus, sine quibus subsistere non potest. Paupertas namque essentialiter importat abdicationem proprij, ita quod professus nihil accipere, retinere, aut disponere potest sine licentia ad minus præsumpta superioris, à quo independenter nihil operari potest, licentia ergo, & dependentia in operando ita necessaria est ad conseruationem voti paupertatis, vt nulla ratione tolli possit a religioso, nec voti obligatio infirmari, & destrui, etiamsi per mille annos professus ageret contra votum agendo sine licentia, independenter, & contra voluntatem superioris, quia nulla consuetudine induci potest, vt votum destruatur aut eius cesset obligatio, quia Deus non potest consentire in malum. Ad conseruationem voti paupertatis Regula præscribit, ne pecunia tangatur, ne fiant contractus à professis, ne quicquam recipiant, aut donent &c. Nihilominus hæc omnia fieri possunt de licentia

8 superioris etiam præsumpta, & si requiratur licentia expressa, id est accidentale, sicut & non tangere pecuniam, tamen hæc contraria consuetudine tolli possunt ex quo sunt accidentalia; & in his ita Regula relaxatur, vt amittat vim obligandi posita præscriptione, iuxta dicta Cap. 21. Quare ex transgressione substantialium relaxatur quidem Regula, sed non destruitur eius obligatio, sed continuo manet, tollitur vero obligatio ex transgressione accidentalium, posita præscriptione. Ad conseruationem voti castitatis præscribuntur ieiunia, disciplinæ, dormitio cum habitu, nuditas pedum &c. Hæc vti accidentalia tolli possunt contraria consuetudine, ipsum vero votum, vt professus luxurietur, aut ducat vxorem, nequaquam, quia abstinentia ab his, quam dicit votum castitatis, est essentiale voto. Vide dicta eodem cap. 21. q. 15. de præceptis Regulæ derogatis per consuetudinem.

Quæres 4. An idem sit ordo relaxatus, & reformatus?

9 Resp. Est idem non diuersus, ambo eiusdem identitatis, tum quia reformatio, nec relaxatio mutant statum religionis cuius sunt, quia remanet semper eadem Regula. Tum quia in cap. Relatum 7. ibi: *in suo ordine*, Ne cler. vel

mon. fit mentio de reformatione contra religiosos,qui relaxatè viuebant , &
tamen eiusdem ordinis obseruantes, appellantur . Tum quia sicut ædificium
10 successiue destructum paulatim reparatur antequam totum destruatur, sem-
per est idem etiam post reparationem arg.*l. Quod in rerum n.24. ff. de legat.1. §.
fin.Glos.V. Innouata cap. De fabrica 24. de consecr. dist.1.* Vnde cum alicuius rei
11 manet species,necesse est,vt eadem res maneat,*ex l. Proponebatur 76. fine ff.
de iudic.*vbi,quod idem est populus hodie, qui erat centum ab hinc annis, de-
functis posteriores succedentes;sed religio paulatim deficit in obseruantia , &
paulatim reparatur,ergo eadem est,cum eiusdem remaneat species.i.Regula,
ergo eadem religio . Neque enim differentiæ obseruantiæ, & in obseruantiæ
possunt essentialiter mutare religionem , cum sint accidentales non destruen-
tes substantiam status religiosi . Ita *ex Romano cons.198. Tambur.tom.1.disp.
25.quæst.1.post nu.190. Vers.Et licet Abbas in cap.Inter quatuor de relig.domib.
Felin.in cap. Ad nostram de Appellat.Tambur.num.*119. *Lezana in Marimagno
Carmel.num.30.citans Rotæ decis.26.par.2.Recent.* vbi dicitur,quod religio, &
Regula sunt idem,vbi non est mutatio substantialis.

Quæres 5. Ex quibusnam causis facile relaxetur obseruantia regularis ?

12 Resp. Ex sequentibus *Primo*, ex negligentia Superiorum . *Secundo*,ex ma-
la educatione iuuenum . *Tertio*,ex penuria rerum . *Quarto*,ex nimia familia-
ritate cum secularibus . *Quinto*, ex vagatione extra claustra, & ex alijs .

13 Primo igitur ex negligentia superiorum relaxatur regularis obseruantia ,
quia non currant continere in officio suos subditos , & delinquentes non pu-
niunt,vt deberent,*cap.vt famæ 35. de sentent. excom.* Vnde eorum negligentia
in ijs,quæ spectant ad eorum officium est peccatum mortale,*Glos.V. Alij cap.
3.de offic.Archid.* Malum illorum quoque exemplum exterminat regularem
obseruantiam,quia pastoris vita debet esse in exemplum omnibus,*capitum pa-
storis* 58.2.q.7.& debet differre à subditis sicut granū à paleis,*Glos.V.Satisfa-
ctionem cap.2.dist.36.* Debent ergo superiores esse primi in obseruantia regu-
lari, vt dent bonum exemplum subditis, quod enim agitur à prælatis siue bo-
num siue malum trahitur in exemplum à subditis, *cap.Magnæ ; de Voto* Si tot
ergo purum granum excussa palea , vt cum subditis ab eis imbutis intrare in
horreum Domini possint .

14 Secundo, ex mala iuuenum educatione relaxatur disciplina regularis, nihil
enim prodesse potest lenis educatio,dum enim Nouitius permittitur viuere
quasi seculariter vitam regularem instituere non potest , dum vnus viuendi
modus pugnat cum altero, adhuc secularis est non regularis,non potest ergo
facere fructus dignos pænitentiæ . S.Bonau. de inform.Nouit.par.2. cap.1.
id docet his verbis: *Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam
religionem, peruersus, & insolens in onus religionis,& disolutionem admittitur* .
Et in speculo disciplinæ in Prologo,ostendit quid valeat bona educatio,quid
possit mala,dum inquit:*Formam quam primum quis recipit vix deponit, & qui
disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit, ad eam postmodum difficile ap-
plicatur*. Bonus ergo habitus virtutis ex frequentatis sanctimoniæ actibus fa-
cile conseruatur,& difficile perditur; & è contra malus ex continuatis actibus
vitiosis difficulter remouetur . Et id affirmat Salomon in suis Prouerbijs 22.
6. *Prouerbium est Adolesces iuxta viam suam etiam cum senuerit ,nō recedet ab
ea*. Ieremia Treni cap.3.27. idem docet : *Bonum est viro, cum portauerit iu-*

gum

gum adolescentia sua. Exercendo enim vitam regularem ab initio ingressus in religionem, cum erit vir, & senex idem onus sustinebit, quod portauit ab adolescentia sua. Hinc est, quod Clemens VIII. verus religiosorum pater instituit nouitiatus in educationem nouitiorum certis regulis seruandis in eorum institutione, vt disciplinis regularibus instituti perseuerare possent, & facere progressum toto tempore vitæ in obseruantijs regularibus.

15 Tertio, ex penuria facultatum, Monasterijs existentibus pauperibus necesse est, quod religiosi relaxentur in obseruantijs suarum Regularum dum enim omnia necessaria non possunt recipere, á conuentu, opus est, illis aliunde sibi quærere, ex quo occasionem habent violandi si non votum in seipso paupertatis, ad minus illud transgrediuntur in accidentalibus. Hinc relaxatur modestia, & decentia in vestibus, nam alij induunt vestes pretiosiores, alij diuersas in colore, & in forma, dum á parentibus, & ab alijs benefactoribus vestiuntur. Ita quod verissimum illud prouerbium, quod *Abundantia facit obseruantiam*, de quo dixi cap. 21. num. 32.

16 Quarto, nimia familiaritas cum secularibus relaxat disciplinam regularem, non enim religiose viuere potest, qui seculariter viuit, qualem vitam degit, qui cum illis conuersatur. Ingrediens religionem mundo abrenuntiat, intendit ignorare quæ fiunt in mundo, & ideo mundum fugit, vnde professio dicitur fuga à seculo, *cap. Cum illorum de sent. excom.* Non seruat ergo religiosus, quæ Deo promisit, dum cum secularibus familiaritatem agit. Rem hanc late ex Sanctis Patribus prosequitur felicis recolentiæ P. Lezana in suo libro de Reformat. Regular. cap. 9. Ego soleo dicere secularibus, quod eorum amicitia non est bona nisi in ecclesia, quia ibi tractatur de eorum spirituali bono & non extra, vbi vix bona potest esse conuersatio.

17 Quinto, nulli dubium est, quod vagatio, & quotidianus exitus extra claustra magnum afferunt præiudicium religiosis, qui mundum reliquerunt, & illum sequi volunt, & seruire, aliam mercedem exhibere non potest suis famulis, nisi relaxationem vitæ regularis oppositam professioni, mundus enim dat quod habet, vitam dare non potest spiritualem, qua caret, dabit ergo mortem; hoc insinuat Eugenius Papa relatus cap. Placuit 8. 16. quæst. 1. ibi; *Sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio monachus* sicut locus piscium conseruatiuus est aqua, ita claustrum vitam impertit religiosis, relaxatur ergo eorum vita spiritualis, dum extra uagantur. De hac re late cap. 7. idem Lezana.

Quæres 6. An sit difficile reformare religiones?

18 Resp. Vtique, & tria sunt, quæ reformationem reddunt difficilem. *Primum* est malus habitus religiosi assueti uiuere contra instituta sui ordinis, prauus enim habitus difficile remouetur à subiecto, unde Imperator in Authent. de

19 Monachis bene dixit, quod non est facilis mutatio uitæ hominum, sed cum labore fit animæ, superiores enim ualde laborant, ut reducant oues dispersas ad caulam sanctæ reformationis; & Imperator paulo inferius reddit rationem quia humana natura facile labitur ad delicta, & prona est ad malum ab ado-

20 lescentia sua, testis est ipse Deus Genes. 8. 21. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Ad quod facit illud Eccles. 1. 15. *Peruersi difficile corriguntur*. Qui ergo errauerunt a uia, in quam fuerant ingressi, difficile ab ea recedunt, per quam male ambulant. *Secundum* est paupertas Monasteriorum, ut enim diximus in præced. quæstione sub num. 15. re-

ligiones relaxantur ob paupertatem, ergo frustra, & inaniter reformantur, si non prius remouetur causa relaxationis, ditando conuentus, qui ex pacto promiserunt subuenire suis alumnis in omnibus necessarijs, & ideo ultima reformatio nihil pro fuit, quia nec ex suis facultatibus datis extraneis proficere potuerunt nec in temporalibus, nec in spiritualibus; quod etiam docetur cap. Fundamenta 17.§.Isti, de elect. In 6. ubi dicitur, quod ecclesia in temporalibus adiuta proficit in spiritualibus. Frustratoriæ ergo sunt reformationes, si prius
21 non remouentur omnes causæ, quæ induxerunt relaxationem. *Tertium:* est indiscretus modus, & non proportionatus ordini, pro quo reformatio introducitur, non enim simul & semel introducenda est illius executio, sed paulatim, sicut enim successiue relaxatio, & in obseruantia inducta fuit, ita parimodo reformatio, & obseruantia præstanda est, eodem enim modo res reparatur, quo infirmata fuit. In hac ergo prudenter, suauiter, & cum magna circunspectione procedendum est, ne quod introductum est in salutem animarum conuertatur in eorum dispendium. Alias vide causas apud Pellizar. tract. 1. cap. 5. in suo Manuali num. 33.

Quæres 7. Ad quos spectat reformare religiones labentes?
22 Resp. Ad Capitulum Generale, quia reformatio est negotium, quod refertur ad omnes religiosos, quorum est viuere in regulari obseruantia secundum Regulam, & constitutiones, ergo ab omnibus reformatio facienda est, ex illo communi axiomate: *Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet*. Sed solum Capitulum Generale repræsentat totam religionem, ergo ab eo solo reformanda est. Id supponit Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 31. Si quandoque
23 Summus Pontifex ex suo officio vult reformare religiones, id non facit de se, neq; de solo consilio sacræ Congregationis, sed vtitur superioribus illius ordinis, quem intendit subijcere reformationi. Ratio est, quia cum non fuerint Ecclesiastici Principes professi in aliqua religione certe non possunt scire vitam regularem, quam non sunt professi, ergo nec dare ordinationes pro reformatione, nisi speculatiuo modo, quæ quandoq; non sunt proportionatæ; nec conformes fini ab ipsis intento. Summi ergo Pontifices, & Concilia adhibuerunt prælatos regulares in ijs reformationibus, vt fecit Benedictus XII. in reformatione Monachorum Nigrorum, vt videre est in eius Bulla eiusdem 5. incip. *Smmi Magistri*. In Tridentino, in quo erant præsentes multi regulares. Idem fecit Clemens VIII. Superiores enim regulares melius alijs sciunt quid opus sit suis subditis, cum quibus viuunt.

Quæres 8. An religiosi teneantur acceptare, & obseruare reformationem editam, & illis promulgatam à Capitulo Generali, siue à Pontefice Romano?
25 Resp. Tenentur, si reformatio fit super Regulam labentem, non vero si fit super Regulam iam lapsam, posita scilicet legitima præscriptione consuetudinis contra Regulam. Probatur utrunq; simul, nam Capitulum Generale habet potestatem interrumpendi consuetudinem nondum præscriptam, non uero iam præsciptam, ergo religiosi non tenentur ad secundum, sed tantum ad primum. Antecedens probatur, quia Regula labens adhuc suas uires retinet obligationis, ergo superiores ius habent illam conseruandi in suo robore, sunt enim illius custodes, ergo professi tenentur obedire, Regula verò lapsa cum iam desierit obligare, Capitulum illi dare non potest esse per reformationem quia reformatio supponit obligationem Regulæ labentis, vt possit

sit eam reducere ad perfectum esse in quo erat ante, ergo non potest Capitulum obligare subditos inductione nouæ obligationis obstante consuetudine, quæ nunquam recipit vires à superioribus regularibus, sed à solo Pontifice, qui suo legali consensu consuetudinem firmauit pro lege. Est ergo differentia inter consuetudinem inchoatam, & perfectam, de qua dixi cap.21.num.4. & 5. quod illa interrumpitur, & tollitur à Capitulo, quia contra eam uiget Regula, ista vero interrumpi non potest à Capitulo, quia nihil obligationis Regulæ viget, in qua Capitulum fundari possit ad illius destructionem, cum sit lege firmata, & nullam patiatur interruptionem ex sua perfectione. Et hoc idem latius probaui alijs medijs eodem cap.21.q.14.

25 Quamuis summus Pontifex restituere possit Regulam collapsam ad pristinum statum, destruendo consuetudinem, tamen professus ad Regulam collapsam obligare non potest sub vinculo sacrilegij, quia huiusmodi obligatio debet esse voluntaria, vnde si nolunt, cogi non possunt ad hanc vitam strictiorem, quam non fuerunt professi, cap. Integritas 13. 32. quæst. 1. Consuetudo

26 autem huiusmodi non censetur derogata, nisi Papa de ea mentionem specialem faciat in sua constitutione, vt colligitur ex cap. 1. de constit. in 6. vbi dicitur, quod Papa per suam generalem constitutionem non intendit derogare specialibus consuetudinibus, nisi de illis mentionem faciat, docet Montesinus apud Dianam resol. 22. de consuet.

Queres 9. An recusantes reformationem prosequentes viuere, vt ante faciebant, sint in statu peccati mortalis?

27 Resp. Sunt tantum illi, qui nolunt recipere reformationem Regulæ labentis respectu eorum, quæ habent rationem præcepti, non vero respectu eorum, quæ ad culpam non obligant, sed tantum ad pœnam, respectu vero Regulæ lapsæ non peccant, nec sunt in statu perditionis.

Primum de recipienda reformatione Regulæ labentis in suis præceptis quod mortaliter peccent non recipiendo illam, & subsequenter sint in statu peccati mortalis, probatur, quia hic duo considerantur, in primis ipsa receptio ad quam tenentur, dum eam Regulam professi sunt, ergo resistentes faciunt directè contra suam professionem seruandi Regulam, & viuendi regulariter, ergo peccant mortaliter, sunt enim infideles Deo in re graui. Secundum quod consideratur est ipsamet continua transgressio præceptorum obligantium sub culpa ad sui obseruationem, cũ intentione prosequendi illum viuendi modum quod sine dubio arguit continuam existentiam in peccato, quod dicit statum peccati mortalis, videtur enim in hoc se habere vt concubinarius, qui retinens in domo concubinam dicitur perseuerare in peccato.

28 Secundum de nolentibus acceptare Regulam labentem obligantem solum sub pœna, quod peccent solum in illo primo actu resistendo, & nolendo acceptare reformationem, & non deinceps transgrediendo ordinationes v.g. non ieiunando die veneris, probatur, quia graue delictum est recusare id, quod professione Deo promiserunt; in cæteris quod præscripta in Regula non obligent sub culpa, nescio quo pacto dicendi sint rei peccati præsertim mortalis. Dormiens sine habitu non peccat, si hoc statutũ non obligat sub culpa. Transgrediens statutũ non recipiendi peculium nisi de expressa superioris licentia,

29 peccat, quia immediate violat votum paupertatis, dum sine licentia necessario exprimenda recipit peculium, ac proinde contra volũtatem superioris.

& 25

& ab eo independenter. Quoniam autem Sancti Patres institutores, excepto S.Francisco, admittunt vtranq; licentiam expressam, & præsumptam, vt vidimus cap.17. attenta fragilitate humana, superiores non restringant licentiam ad expressam, sed vtantur indulgentia institutoris, non enim illo meliores, nec prudentiores existimare se debent, nec ab alijs teneri, sufficit enim delinquentes corrigere.

30 Tertium, quod nolentes recipere reformationem Regulæ lapsæ non peccant, ne sint in statu peccati mortalis, probatur, quia in professione non se obligauernnt ad eius obseruationem, ergo eam acceptare non tenentur, consequenter non peccant, cum nullius legis sint transgressores. Confirmatur,

31 quia consuetudo rationabilis, & legitime præscripta, qualis est hæc de Regula lapsa, excusat à culpa, & pæna, cap.fin.de consuet.ergo sic viuentes securi sunt in conscientia.

Quæres 10. An quando aliquis ordo eleuatur in religionẽ dicatur reformatus? E.g. Tertius ordo S.Francisci ab initio non erat religio post modum processu temporis eleuatus fuit in religionem professione solemni trium votorum. Idem quæri potest de quibusdam ordinibus, in quibus olim professio non erat solemnis, sicut nunc, vt contingit Fratribus Ioannis Dei, qui ab initio solemniter non profitebantur, sicut postmodum ex concessione Pauli V. Bulla 100. incip. *Romanus Pontifex*.

32 Resp. Ordines huiusmodi perfici quidem quia eriguntur in religionem, transeuntes à minori perfectione ad maiorem, & ab imperfectiori statu ad perfectiorem non tamen dici reformatos, quia non restituuntur ad antiquum statum, in quo Auctor eos instituit; nec dicuntur reparari in Regula labente, vel lapsa, sed tantum fit transitus à statu minus perfecto ad magis perfectum, in reformatione autem non fit transitus ad vlteriora, sed obseruantia negle-

33 cta resumitur ad præscriptum Regulæ antiquæ. Ordo autem antiqus erectus in statum regularem, vel à professione simplici euectus ad professionem solemnem, remanet idem in vtroq. statu, & eandem seruat identitatem in Fratribus præteritis, & futuris, sunt enim filij eiusdẽ institutoris, sub eius Regula viuentes, minor enim aut maior perfectio non mutant speciem instituti, iuxta il-

34 lud commune axioma, quod magis, & minus non variant speciem, *l.fin.ff. de fundo instr.l. Sed & si manente ff.de præcario*, inæqualitas enim hæc est accidens, ideo speciem mutare nõ potest, cum requiratur differentia essentialis. Et quod Fratres Tertij ordinis eleuati in religionem seruent identitatem cum eisdem

35 secularibus non vouẽtibus solemniter affirmat Rota p.5.to.2.dec.fin.per totã, qua extendi in meo Crono l.c.12.à n.88. Quare cũ inter se seruent identita-

36 tem ordinis, si aliquis Tertiarius de illis, qui manent in seculo decederet sine necessarijs heredibus ab intestato, ei succederent Fratres eiusdem ordinis Regulares ex hac identitate, cum exceptis necessarijs heredibus nullius illi proximior sit, quam ipse ordo eleuatus in religionem.

Quæres 11. An reformatio extendi possit supra Regulam. E.g. Religio Societatis Iesu vtitur calceis. An inducere possit, vt incedant excalceati, sicut Capucini, Carmelitæ &c.

37 Resp. Huiusmodi extensio non prohibetur, quia bonum non est prohibile, sed malum, vnde tale statutum vim habet, sed conditionatum si religiosi velint illud acceptare, & obseruare, est enim bonum supere-

pere-

perorogationis, & supra Regulam non cogens. quia nemo tenetur
38 crescere, nisi velit, & professus solum cogitur obseruare ea, quæ expresse, vel implicite sunt in Regula, & non supra Regulam, vt docent omnes *cum Miranda tom. 1. quæst. 26. art. 10. Rodriq. tom. 3. q. 19. art. 3. D. Thoma 2.2. q. 104. art. 5 ad 3. D. Bonauent. cum alijs relatis à Sanch. lib. 6. cap. 2. nu.* 15. Tale autem statutum, quod est supra Regulam proprie non est quid spectans ad reformationem, nam hæc formaliter est restitutio, & reductio religiosorum ad obseruantiam eorum, quæ illis obseruanda præscribuntur in Regula, & constitutionibus, à quibus recesserunt eorum violatione; religiosus autem non potest dici recessisse à præscriptis in sua Regula, dum non incedit excalceatus, cum in eius Regula non inueniatur tale statutum, ergo id non potest cadere sub reformatione Hinc est, quod Fratres S. Bernardi Reformati gestantes Zocolos excalceati, ex hoc capite non dicuntur Reformati, quia eorum Regula hoc non iubet, sed Reformati dicuntur, quia restituti fuerunt ad pristinam Regulæ labentis obseruationem, extra quam est incedere nudis pedibus accceptum ab eis ob maiorem perfectionem non ex præscripto Regulæ.

Quæres 12. An religio dicatur relaxata, & collapsa, vbi professi contra eius Regulam nonnulla sibi præscripserunt ex rationabili consuetudine?
39 Resp. Esto religio dicatur relaxata, & collapsa seu potius eius Regula, quod negari non potest, dum non amplius ad vnguem obseruatur ad mentem institutoris, non ideo eius professores dicuntur viuere relaxatè in quantum hoc verbum importat defectum, & vitium sed secundum præsens institutum ex mitigatione Regulæ introducta per rationabilem consuetudinem legitime præscriptam, quæ sicut excusat illos à peccato ex Nauar. & alijs cap. 12. nu. 50. Ita ne dicantur viuere relaxate, quia reuera vitiose non viuant. Ita Faber disp. 45. de Restit. nu. 84. dicens, Conuentuales, quorum ipse Confrater est non viuere relaxatè, licet ad litteram non seruont primam Regulam S. Francisci.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium.

Primus nnmerus indicat caput. Secundus ostendit numerum in margine.

D.

eodem

G

H

I

Insi-

Pos-

Q

R

Refor-

FINIS.